This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

3 3433 06137316 7

Digitized by Google

Digitized by Google

(Paulin…

*OAB

Digitized by Google

Digitized by Google

MUSEI BORGIANI VELITRIS

CODICES MANUSCRIPTI

AVENSES PEGUANI SIAMICI MALABARICI INDOSTANI

ANIMADVERSIONIBUS HISTORICO-CRITICIS CASTIGATI ET ILLUSTRATI

ACCEDUNT

MONUMENTA INEDITA, ET COSMOGONIA INDICO-TIBETANA

AUCTORE

P. PAULINO A S. BARTHOLOMAEO

CARMELITA DISCALCEATO MALABARIAE EX-MISSIONARIO
ACADEMIAE VOLSCORUM VELITERNAE SOCIO

In collegio Missionum Romae ad Sanctum Pancratium linguarum orientalium Praelectore.



ex aere

ROMAE MDCCXCIII.

APUD ANTONIUM FULGONIUM

PRAESIDUM ADPROBATIONE.

Digitized by Google

Digitized by Google

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO PRINCIPI

STEPHANO BORGIA

SANCTAE ROMANAE ECCLESIAE PRESBYTERO

CARDINALI

TITULI S. CLEMENTIS

F. PAULINUS A S. BARTHOLOMAEO CARMELITA DISCALCEATUS FELICITATEM.

Comparet, doctissime Cardinalis, Tuo praesidio munitum, novum plane hoc peregrinae eruditionis opus; codices dico

Tuos Avenſes, Peguanos, Siamicos, Malabaricos, Indoſtanos. Dulces ſunt hi laborum Tuorum, ſolicitudinis Tuae, ſtudiique Tui in exotica monumenta fructus. Hos Tu Tibi, velut primitias quaſdam, iure primus omnium vendicare potes. Locuples quidem eſt codicibus Indicis praeclara bibliotheca regia Pariſienſis, quorum elenchum affert eruditus vir Stephanus Fourmont (1). Ex iis illi, qui *num.* 12. 32. 55. 74. 78. 260. & 280. recenſentur, quantum ex lemmate arguere licet, nonnullorum codicum Indicorum, quos in hoc opere illuſtravi, ſocii ſunt, qui unum eumdemque videntur habuiſſe auctorem. Verum quemadmodum *Salicae* inſulae margaritis in profundo & turbido mari conſepultis, tunc ſuum precium accedit, quando

teſtis

teſtis exſolutae, apertae, & acriter inſpectae collucent: ita codicibus illis in bibliotheca regia deliteſcentibus, tunc tantummodo ſuum verum precium accreſcet, quando eos contrectare, luſtrare, acri & diligenti examini ſubiicere licebit. Hactenus vero de codicibus illis, pulvere & tabe confectis, nihil ſcire licuit praeter eorum exſiſtentiae locum, ſeriem, & lemmata. Illi ipſi ſpuriis Indicis libris ſunt permixti, & aliqui ambiguo ac falſo lemmate inſcripti (2). Liber Indicus *Bhagavatguita*, quem Wilkins, & *Oupnekhat*, quem Anquetil du Perron nullo Samſcrdamicae grammaticae & lexici adminiculo praediti in Anglicum & Gallicum idioma converterunt, tam aperte vagis & errantibus additionibus ſcatent: ut ex iis Indicae gentis reli-

gio & philoſophia, non ſolum dignoſci nequeat, ſed etiam maioribus tenebris maneat obvoluta (3). Meus itaque praecipuus labor & conatus eſt, Indicarum vocum tradere etymologias, atque ex iis, & grammaticis libris dictionibus Indicis ſuam primaevam ſignificationem reſtituere, aliquas illorum auctorum interpretationes falſitatis coarguere, ſententias caſtigare, varia ſcriptorum commenta diſpellere, hactenus a nemine, quod ſciam, editos libros Indicos diligenter recenſere, quidque ex iis pluribus inter ſe collatis, de gentis Indicae doctrina ſtatuendum eſſet, paucis indicare. Gratum & iucundum eſt, Eminentiſſime Princeps, laborum ſuorum fructu perfrui: titillat honeſtum animum illud intimum gaudium, quo afficitur, dum per diligens ſtudium &

cau-

Digitized by Google

cautas diſquiſitiones ex ſinceris libris & monumentis comperit: quae ſit alicuius peregrinae gentis philoſophia, quae eidem cum reliquis orbis gentibus opinionum concordia, quae peculiaris ſentiendi facultas, quae vetus & nova hiſtoria, quive ſint eius mores, dii, & ſacra. Hos igitur Tuos peregrinos codices & monumenta, ampliſſime Cardinalis, Tibi antiquitatis Vindici & Aſſertori, litterarum Indicarum Reſtauratori & optimo Patrono officii erga Te mei conſcientia fretus perlubenter ſiſto & inſcribo. Iucundo animo, ut ſoles, ea complectere; hoc ingenii & virtutis Tuae fructu gaude; meque ipſum Tuo praeſidio, Tua doctrina, benevolentia Tua fulcire perge, & vale.

Digitized by Google

(1) *Catalogus codicum manuscriptorum bibliothecae regiae*. Parisiis ex typographia regia 1739. *fol.* 434.

(2) *Sonnerat*, tom. 2. lib. 3. pag. 41. Vid. nostrum *Examen historico criticum codicum Indicorum bibl. S. Congr. de Prop. Fide* Romae 1792. pag. 42. 43. 44. 45.

(3) Appendix sur le *Bhagavatghita* par M. Anquetil du Perron. *The Bhagvat-geeta, or Dialogues of Kreeshna and Arjoon; in eighteen lectures; With notes*. London 1785. Vide *Recherches historiques & géographiques sur l' Inde*, seconde partie, à Berlin 1787. *pag.* 553. item *pag.* 297. §. III. fond de la théologie Indienne.

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

Franciſcus Xaverius Paſſari Viceſg.

FACULTAS ORDINIS

FR. ADRIANUS A S. THERESIA

CARMELITARUM DISCALCEATORUM

CONGREGATIONIS S. ELIAE ORDINIS B. V. M. DE MONTE CARMELO PRAEPOSITUS GENERALIS ET EIUSDEM S. MONTIS PRIOR

Opus a R. P. Paulino a S. Bartholomaeo Provinciae noſtrae S. Leopoldi Auſtriae alumno elucubratum et inſcriptum: *Muſei Borgiani Velitris codices manuſcripti*, *Avenſes*, *Peguani*, *Siamici*, *Malabarici*, *Indoſtani*, *animadverſionibus hiſtorico-criticis caſtigati & illuſtrati &c.* quantum per Nos licet, typis edi, vulgarique poteſt. Quam facultatem in publicae fidei teſtimonium noſtra dedimus manu ſubſcriptam. Romae ex conventu noſtro SS. Thereſiae & Iohannis a cruce 26. Ianuarii anno 1793.

Fr. Adrianus a S. Thereſia Praepoſitus Generalis.

THEO-

THEOLOGORUM CENSURA

Novum sane Indicae eruditionis ac doctrinae genus, multis ante implexum obscuritatibus, paucis vero licet doctis hominibus, monumentorum ipsorum Indicorum sive defectu, sive ignoratione, sive minus fida interpretatione cognitum, rursum aggreditur explicandum, augendum atque ornandum vir, scriptis iam editis, de hisce litteris optime meritus R. P. Paulinus eo in opere quod inscripsit: *Musei Borgiani Velitris Codices manuscripti Avenses, Peguani, Siamici, Malabarici, Indostani, animadversionibus historico-criticis castigati & illustrati.*

Atque in iisdem Borgiani musei, omnis generis rerum antiquarum thesauris maxime conspicui, codicibus recensendis illustrandisque, haud equidem scimus, an eruditi viri non certe mediocrem, neque vulgarem industriam magis mirati fuerimus ac diligentiam, an vero Eminentissimi amplissimique Cardinalis in eiusmodi colligendis Exoticis monumentis curam atque studium plane singulare. Quo nomine, R. P. Paulino plurimum gratulamur, moecenatem bonarum litterarum patronum, nactum esse se, omni laude summum.

De libri porro, quem iubente Reverendissimo P. Vincentio Pani, sacri Palatii Apostolici Magistro, diligenter consideravimus, doctrina si quis roget, quid statuendum arbitremur; is sic habeat: ne minimum quicquam ab Auctore pronuntiatum deprehendisse Nos, quod sanctissimis christianae religionis adversaretur decretis; contra vero multa ab se, Indicorum monumentorum ope atque praesidio recte animadversa, quae Indiarum gentium & dogmatis variis tum sacris, tum philosophicis & ritibus & institutis, aliisque ad earum etiam vetustae aetatis historiam spectantibus, haud parum affundere luminis nobis videantur posse & esse Apostolicis viris, ad Indos propagandi latius evangelii caussa proficiscentibus, emolumento. De erudito igitur opere cum hoc ferendum iudicium censeamus; quo minus rei quoque litterariae incremento & commodo, publicis edatur typis, nihil est quod impedimentum faciat.

Dabamus Romae in aedibus Minervae, nonis Februarii an. 1793.

F. Gabriel Fabricy S. T. D. Ord. Prædicat. Collegii Caſanatenſis Theologus.

F. Philippus Angelicus Becchetti S. T. M. Ord. Præd. Collegii Caſanatenſis Theologus.

IMPRIMATUR,

Fr. Thomas Vincentius Pani Ord. Præd. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

IN-

Digitized by Google

ELENCHUS LIBRORUM
MANU EXARATORUM

qui in hoc opere illustrantur.

Libri Avenſes & Peguani §. I. num. 1. & ſeq. pag. 1. & ſeq.
Bidágat. pag. 1. & ſeq.
Padimauka. pag. 16. & ſeq.
Mahatabaſſi Dhermarágiaguru, *compendium legis Barmanorum*. pag. 24. & ſeq.
Dialoghi tra un Khien ſelvaggio, ed un Siameſe Ex Talapoino. pag. 47. & ſeq.
Analyſis orationis Dominicae lingua Samſcrdamica elementis Granthamicis. pag. 52. & ſeq.
Budhae dei indigitamenta Samſcrdamica. pag. 60. & ſeq.
Compendio della religione de' Siameſi. pag. 83.
Kammuva, tractatus de initiatione Talapoinorum. pag. 84. & ſeq.
Riſtretto della religione dei Coccincineſi e Tonchineſi. pag. 89. & ſeq.
Libri Malabarici. §. IV. num. I. & ſeq. pag. 94. & ſeq.
Ciandrodayam. pag. 94 & ſeq.
Snánaparva. pag. 96. & ſeq.
Panduparva, ſeu poema de quinque Pandavis. pag. 115. & ſeq.
Libri Indoſtani. §. V. num. I. pag. 131. & ſeq.
Bálagapurana. pag. 131. & ſeq.
Argiunguita. pag. 151. & ſeq.
Dhermasháſtra. pag. 156. & ſeq.
Mulpanci. pag. 158. & ſeq.
Rámáyena. pag. 163. & ſeq.
Libri R. P. Marci a Tumba, num. VI. & VII. pag. 168. & ſeq.
Conſectaria ex codicibus Indicis. pag. 171. & ſeq.

De

De Magorum origine & philoſophia. pag. 186. & ſeq.
Sacellum Indicum num. I. pag. 200. & ſeq.
Sacellum Indicum num. II. pag. 220. & ſeq.
Coſmogonia Indico-Tibetana. pag. 231. & ſeq.
Elenchus monumentorum Indicorum in muſeo Borgiano Velitris exſtantium. pag. 240. & ſeq.

ERRORES IN TYPUM ILLAPSI

ERROR.	CORRECTIO.
Pag. 16. lin. 19. ക്കു *Kku*.	lege, ക്കാ *Kka*.
Pag. 32. lin. 12. *Piſhàſà*.	lege, *Phiſhàſhà*.
Pag. 33. lin. 1. *giva*.	lege, *givaga*.
Pag. 77. lin. 31. *Màraglt*.	lege, *Màragil*.
Pag. 170. lin. 22. *Deus*.	lege, *Dew*.
Pag. 181. lin. 2. in not. 2. *cenſet*.	lege, *cenſent*.

Reliquos errores typi argutus & benevolus lector ipſe emendabit.

Digitized by Google

§. I.

Codices Peguani.

NUMERO I.

B*idagat*, ſeu primi libri ex quindecim libris *Bidagat* fragmentum in foliis palmarum atramento exaratum, & lingua ſacra Barmanorum Pali dicta, ac characteribus quadratis, ut ipſi vocant *Magatá*, conſcriptum. Codex longus eſt palmos duos cum dimidio, pollices quatuor, largus pollices tres. Deſunt duo prima folia. Ex reliquis autem, quorum quinque tantum ſuperſunt, elucere videtur, fragmentum hoc initium eſſe primi libri *Bidagat*. Vide Melchioris *Carpani* Laudenſis, clerici regularis S. Paulli, olim Miſſionarii Avenſis, *Oſſervazioni ſopra i due libri Barmani in foglie d' arbori*, *num.* 1. *&* 2., quae animadverſiones manuſcriptae in Muſeo Borgiano exſtant. Confer etiam praefationem Iohannis Chriſtophori Amadutii in Alphabetum Barmanorum, *Romae* 1787. *Editio altera emendatior*, *pag* XIV. Vide pariter D. Cajetani Mantegatii clerici regularis S. Paulli olim Miſſionarii, & nunc epiſcopi Maximianopolitani, regnorum Ava & Pegu Vicarii Apoſtolici, dialogum inſcriptum: *Dialoghi tra un khien ſelvaggio*, *ed un Siameſe ex Talapoino*, in Muſeo Borgiano exſtantem. Ex ſententia horum virorum, ex relationibus D. De la Loubere [1], Kaempferi [2], Veyſierrei La Crozii [3], aliorumque, res certa atque explorata eſt, in regnis Ava & Pegu duas linguas, vulgarem nempe, & ſacram, quam *Pali* vocant, reperiri, eaſque characteribus rotundis, & quadratis ſcribi. Elementorum rotundorum ſpecimen exhibet ipſum Alphabetum Barmanum ſeu Bomanum; quadratorum forma ex libro Peguano *Kammuva*, de quo nos egimus [4], a Ioſepho Expilly inciſa, inſerta fuit ad pag. X. eiuſdem

(1) La Loubere, *du Royaume de Siam*, 2. *vol. a Paris* 1691.

(2) Kaempher, *Hiſtor. Iapon. tom.* I. *pag.* 208.

(3) *Comment. epiſt.* La-Crozian. *t.* 3. *epiſt.* 42. *p.* 85.

(4) *Examen Hiſtorico criticum codicum Indicorum bibliothecae S. Congregationis de Propaganda Fide*. Romae ex typographia S. Congregationis, an. 1792. *pag.* 77. 78. 79.

dem Alphabeti Barmanorum Romae anno 1787. His elementis quadratis fragmentum huius codicis Borgiani exaratum eſt, & his apicibus Talapoinos in conſcribendis liturgicis rebus uti res comperta eſt, praeſertim ab eo tempore, a quo iuſſu regis *Zenbiuſcèn* plures ſacri codices, qui vulgaribus rotundis characteribus conſcripti fuerant, venerationis cauſſa quadratis elementis tranſcripti fuere (1). De origine, ac analogia linguae *Pali* cum aliis orientalibus linguis, linguarum orientalium ipſe imperitus multa erudite ariolatus eſt La-Crozius (2). Nec hunc, nec Thomam Hyde multis perſequi vacat. Hoc unum operae pretium eſt, demonſtrare, linguam Pali, Bali, Balia, Pahli, aut quocumque alio modo haec dictio ſcribatur, dialectum, ſeu filiam eſſe antiquiſſimae & litteralis Indicae linguae Samſcrdamicae. Hoc ut nunc evincam, ex una parte deſcribam aliquot radices huius Samſcrdamicae linguae, ex alia dictiones *Pali* ad illas revocabo.

ဂုရု *guru* magiſter, item res magna, excelſa, ဂုရုဝီ *guruví* magiſtra, ဂုရုတွ *gurutva* moderatio, magiſterium; ဂုရုတမ *gurutama* ad magiſterium inclinatus, magiſtri indolem habens, item indoles, propenſio, proprietas ſi ita dicere licet magiſterialis. Hoc ipſo vocabulo *guru* utuntur Talapoini, quorum magiſtri & praeceptores vocantur *guru*, quemadmodum hodiedum Samanaeorum philoſophorum magiſtri *guru* in India vocari ſolent. Vide vocabularium Amaraſinha repart. *Brahmavargga*, & dictionarium R. P. Iohannis Hanxleden ſub voce *guru* (3). Regis Avenſis magiſter ſpiritualis Talapoinus Avenſis qui circa annum 1787. deceſſit, auctor compendii legis Barmanorum (4) pag. 17. eiuſdem compendii ita ſcribit: *Mahaa-atuba jaſsa damma raaza guru*, quae verba ita explicat

(1) R. P. Melchior Carpanus in cod. mſ. *oſſervazioni ſopra i due libri Barmani*.

(2) Loc. cit. *epiſt*. 9. *pag*. 22. & 23.

(3) Vide *Examen hiſtorico-criticum* ſupra cit. *pag*. 55. *num*. X.

(4) Vide infra codicem Borgianum *num*. LII.

Digitized by Google

cat R. P. Ioſeph ab Amato Barnabita Miſſionarius Avenſis : *Màbaa*, *il grande*, idem nempe ſonat *mahá* in lingua Pali, quod in ſacra Indica Samſcrdamica. മഹാ mahá *magnus*, *excelſus*, & മഹത്വം mahatva *magnitudo*, മാഹാത്മ്യം mahátmyá *magnitudo animi*. Ubi iam vides, Avenſe *mahaa* a Samſcrdamico *mahá* deſcendere, atque utrumque adiectivum eſſe, quod *magnum* ſignificat. *Atuba jaſſa* dictiones P. Ioſeph ab Amato explicat: *Atuba*, del quale, *jaſſa*, che à un gran corteggio il quale. Ita quidem explicari poſſet, ſi corrupte ſcribas *atula jaſſa*, ſed nihil certius exploratiuſque eſt, quam *tabaſſya* vel *tabaſſa*, quod contemplatorem ſeu Talapoinum Samanaeum philoſophum ſonat, vocabulum nempe Samſcrdamicum ibi ſubſtitui debere pro corrupto Palico *Atabaſſa* vel *atubajaſſa*. തപസ്സ് tabaſſa *contemplatio*, poenitentia, recollectio ſeu intenſio mentis in poenitentiam, unde vocabularium Amaraſinha ſect. Brahmavargga ſub voce *tabaſſa* ait: വ്രതം *vrdam*, obſervantia inſtituti, nempe contemplationis & poenitentiae Samanaeicae, de qua ibi agit, & ഉപവാസാദിപുണ്യങ്ങൾ *ubavásádi punnyagá*, id eſt, *tabaſſa* ſanctitas per jejunium & poenitentiam. തപസ്സി *tabaſſi* poenitens, jejunans, contemplans, monachus ſeu philoſophus Samanaeus ſtricte loquendo, poenitens, contemplator, heſychaſta, obſervator inſtituti. Inde Malabaricum gentilitium verbum തപസ്സിരിക്കുന്നു *tabaſſirikunnu*, contemplari, poenitentiae, obſervantiae ſanctae intentum eſſe. Talapoini Avenſes & Peguani vulgari nomine *Talapoini*, in lingua Pali vocantur *Tapaſſi* & *Zochi*, ut fatetur ipſe P. Ioſeph ab Amato *pag.* 16. ſub nota (a). Eodem ergo inſigniuntur nomine, quo Indici Samanaei veteres & hodierni, qui Samſcrdamice vocantur *Tabaſſi*, contemplatores, poenitentes; *Yogui*

 [unde

[unde corruptum Palicum *Zochl*] in communitate viventes; & ယမိန *Yaminá*, diligentes obſervatores legis, nocte in 4. vigilias diſtributa diligenter vigilantes & meditantes . Quid igitur ex his ſequitur? loco *atubajaſſa* in textu Talapoini Avenſis, qui utique linguae Samſcrdamicae imperitus lingua *Palica* Samſcrdamicae linguae dialecto ſcripſit, legendum eſt *Tabaſſi*, vel *Tabaſſa*, ac proinde exſurgunt hae duae ſincerae Samſcrdamicae dictiones: *Maha Tabaſſa*, magnus poenitens, magnus Talapoinus, magnus obſervator inſtituti, magnus contemplator ſamaneus, ſeu yaminaeus philoſophus. Quod ſi in textu Barmano, qui Italicae verſioni additur, revera *Mahá-atula* cum littera *l* pro *maha-atubá jaſſa* legitur, tunc dictiones illae duae primae conjungendae ſunt, ſcribendumque eſt: *Mahátuamulla*, qui eſt magnus, nempe Talapoinus, qui eſt magnus *Dhermarágia guru*, id eſt, regis Dherma magiſter. Guru *magiſter*, Dhermarágia *virtutis rex*, nomen eſt Mercurii ſeu Hermae, quod Avenſes & Peguani reges aliqui aſſummunt, ut apud nos aſſummitur nomen alicujus ſancti, quo quis ab alia perſona diſtinguitur (1). *Dhermarágia*, vocabulum P. Ioſeph ab Amato corrupte ſcribit: *Dammaraaza*, pro *Dhermarágia*. ရာဇ rágia, rex, ဓမ္မ dherma, *virtus*, *bonum opus*; quod epithetum a remotiſſimis temporibus Mercurio affictum in vocabulario *Amaraſinha* deſcriptum exſtat, quo Brahmanes indicare volunt, „ *Mercurium* virtutis ſeu bonorum operum inſtitutorem regemque eſſe, cum ipſe aſtronomiam, ſcientias, mercaturam, ſacros ritus

(1) Vide indigitamenta ſeu cognomina ſancta *Mercurii* ſeu Hermae in Syſtemate Brahmanico *pag.* 154. & *ſeq.* & indigitamenta *Godamae* Peguani numinis, *pag.* 78. In *Examine hiſtorico-critico* codicum bibliothecae S. Cong. de Propp. Fide. Haec indigitamenta ſacra Budhae, Dhermae, ſeu Mercurii Indi Budhiſtae ex corona precatoria recitant, ut Talapoini Avenſes & Peguani ſua ſcripta & publicas preces ab invocatione nominis Budha, Bhagava, Godama aut Shakyamuni, quae omnia Mercurii Máyae deae filii cognomina ſunt, exordiuntur. Vide cod. mſſ. P. Carpani, *oſſervazioni* &c. ſupra cit., & compendium legis Barmanorum, *pag.* 1. *num. III.* in Muſeo Borgiano.

Digitized by Google

ritus quibus dii colerentur inſtituerit. (*) Totus itaque Avenſis

(*) Diod. Sic. lib. 1. pag. 9. edit. Baſ. *Mercurium maxime omnium ab eo* (rege quodam Aegyptii) *honoribus affectum, ut repertorem rerum plurimarum quibus vitae hominum conſuleretur, volunt. Hunc enim primum & verba in ordinem redegiſſe, & multis indidiſſe rebus nomina, fuiſſe quoque litterarum inventorem aiunt, inſtituiſſe quoque quo honore quibuſve ſacris colerentur dii &c.* Qua ratione Phoenices omnia ſua Tauto, Hermae, ſeu Mercurio adſcripta referebant, narrat Euſebius *praep. Evang. l.* 1, *c.* x. *p.* 40. & 41. quas vide. La Loubere, tom. 1. pag. 536. *Mercure qui étoit le Dieu des ſciences, paroît avoir été adoré par toute la terre; parce ſans doute, que la ſcience eſt un de plus eſſentiels attributs du vrai Dieu... Remarques qui pourront à l'avenir exciter la curioſité des gens ſavants, qui ſeront deſtinez à voyager en Orient.* Haec tamen hactenus nemo animadvertit, quia viatores Europaei plerumque levi pede, & ſine peritia linguarum ſuis tantum commodis intenti in Aſia verſantur. Bailly, *Hiſtoire de l'Aſtronomie ancienne depuis ſon origine juſqu'à l'établiſſement de l'école d'Alexandrie*, ſeconde édition, à Paris 1781. *pag.* 79. ait: *C'eſt alors, c'eſt chez ce peuple que vivoit le fameux Mercure Triſmegiſte des Grecs, le Thaut ou Thoth des Egyptiens, le Butta* (Budha) *des Indiens, qui n'eſt qu'un ſeul & même perſonage placé à la ſource commune de ces peuples, & que ces peuples ſe ſont également approprié.* Recte quidem, ſed quomodo evincit Baillius hoc quod dicit p. 84. *une foule des uſages anciens réclament également un peuple anterieur, & une ſource commune.* Quomodo demonſtrat, ante Chaldaeos, Hebraeos, Aegyptios, Indos, alium populum exſtitiſſe, a quo hae gentes exortae ſint? Non videt Baillius, Mercurium, Thot, Budh, ſeu Budha aſtronomicum numen eſſe, atque has gentes ab aſtris ſuos deos primoſque reges deducere, eiſque inſtituta ſua attribuere. Ad caelum, ad ſolem, ad lunam, ad planetas conferunt ea quae homines inſtituerunt. Hos reges & inſtitutores Baillius inter aſtra quaerat, neque populum aliquem praedictis gentibus anteriorem, & qui creationis epocham a Moſe adductam

ſis Palicus textus Samſcrdamice ita redditur: *Mahá tabaſſi*, *vel Mahá tabaſſa Dherma rágia guru*, quod de verbo ad verbum

ɛtam excedat, ſibi fingat. Vide in opere inſcripto: *Mythographi latini*, Amſtel. 1671. Hygini *poeticon aſtronomicon* pag. 355. de *ſignorum caeleſtium hiſtoriis*, & pag. 416. ubi de Mercurio ait. *Haec ſtella* (Mercurius) *Mercurio data exiſtimatur*, *quod primus menſes inſtituerit*, *&* *perviderit ſiderum curſus*. Diod. Sic. lib. 1. pag. 9. Primum quidem regem fuiſſe referunt apud Aegyptios ſolem, *eo nomine quo & caeleſte aſtrum*. *Quidam ſacerdotes affirmant primum regnaſſe Vulcanum inventorem ignis*, *eoque beneficio ducem ab Aegyptiis conſtitutum*.... *Fertur ab Oſiri* (ſole) *condita eſſe urbs in Thebaide Aegypti* .... *de eius autem conditore non ſolum reliqui ſcriptores*, *ſed etiam Aegyptii ſacerdotes contendunt multi non ab Oſiride* (ſole), *ſed multos poſt annos a rege quodam Thebas fuiſſe conditas*. Confer Cicer. l. 2. *de nat. deor. pag.* 224. En ergo quomodo priſci illi homines divina humanis, caeleſtia terreſtribus miſcebant!

Communes enim erant epulae, *ſedeſque locorum*
Communes tunc hominibus mortalibus & diis immortalibus

Origenes in *philoc. cap.* 20. *p.* 30. ex Aſtreo poeta.

Et dii hoſpitibus ſimiles peregrinis
Omnifarii exiſtentes verſantur per civitates.
Hominum faſque nefaſque inſpicientes.

Homer. *Odyſſ. v.* 490.

Haec opinio hodiedum obtinet inter Indos. Conf. Clem. Alex. *Cohort. ad gent. pag.* 31. Platonem in princ. *Sophiſtae*. Genii nempe aſtra vehentes ac elementorum rectores mundum oberrare, hominesque inſpicere creduntur. Hoc igitur modo confiɛto & allegorico Aegyptiis Tout, vel Toth, id eſt, Budha, Graecis Herma, id eſt, *Dermarágia* virtutis & bonarum inſtitutionum rex; Indis Budha, id eſt mens ſeu conſiliarius; Tibetanis Pout, Peguanis Budha, Godama, Shakyamuni; Sinenſibus Fo ſcientias, aſtronomiam, commercii artem, deorum cultum, dierum & menſium diſtributionem, meditandi ſcientiam aliaque tradidit, ac omnem terram obivit. Cognomina Mercurii

Digitized by Google

bum traductum ſonat : *magnus contemplator poenitens*, Hermetis, Hermae, *Dhermae regis magiſter*. Ex his ergo iam palam & aperte dignoſcitur, linguae ſacrae Samſcrdamicae uſum in regnis Ava & Pegu obtinere, atque linguam Pali Samſcrdamicae dialectum eſſe (1). *Dhermarágla* etiam cognomen eſt dei *Yáma* Indici, quia ipſe virtuti & bonis operibus poſt mortem praemium conſtituit, atque exuto corpore hominum mala opera a bonis diſtinguit & dijudicat, ut illa poena aut praemio afficiat. Vide Amaraſinha ſect. *Svargavargga* ſub voce *yama*, quae dictio, *deum diligentem* & ſemper *vigilem* denotat. Utrumque hoc nomen reges, aliique Indici viri gerere ſolent, atque res certa & explorata eſt, Indos hodiedum, ut olim, nominibus deorum ſuorum, Apollinis Nomii, Mercurii, Solis, Lunae, Cereris, Iani, aliorumque pro ſexuum diverſitate inſigniri. Nullum itaque dubium eſt, ſub deorum fictorum & phyſicorum appellationibus plurimos in India reges, ac philoſophos exſtitiſſe ut hodiedum exſtant, ac proinde ſub fictitiis iſtis regum nominibus veras hiſtoricas actiones geſtas fuiſſe, quae utique non ad mythologiam, ſed ad hiſtoriam referendae ſunt. Verum cum priſcorum regum geſta fictionibus ſint refertiſſima, acri criterio ſunt ſubjicienda, priuſquam aliquod veritatis & hiſtoriae monumentum vel epocha ex iis proferatur.

Nemo negat *Godama* ſeu Gotama Avenſium, Peguanorum, Siamenſium numen eſſe (2). Sed en hoc ipſum numen ex mythologia Brahmanica, atque ipſa dictio *godama* ex lingua Samſcrdamica aſſumpta in illa regna perlata fuit. ഗോ *go* Sam-

ſcrda-

curii heic relata, omnia in vocabulario *Amaráſinha* ſunt deſcripta, nec mirum, ſi aliqua ex iis apud exteras gentes fuere vitio linguarum corrupta. Vide ſyſtema Brahmanicum de Budha *pag.* 154. & Examen hiſtorico-criticum codicum Indicorum, *pag.* 32. 33. 34. 35. 78. 79.

(1) Vide ſyſtema Brahmanicum liturgicum, mythologicum, civile, *pag.* 248 ubi de numis ſtanneis Avenſibus Palica inſcriptione inſignibus agentes, idem docuimus.

(2) La Loubere, Kaempher, P. Carpanus, P. Mantegatius, Amadutius, Talapoinus Dhermaragia guru, *locis ſupra cit.*

ſcrdamice vacca, bos, in nominativo habet ഗൌ *gau*, in duali nominativo ഗാവൌ *gávau*, in nominativo plurali ഗാവഃ *gává*, vide grammat. Samſcrdamicam (1) *pag.* 102. Ex hoc vocabulo procedunt: ഗോപഃ *gòba*, vaccarum paſtor, item rex, ഗോപാലഃ *gòpàla* vaccas paſcens, vaccas regens, earum curam habens, rex, ഗോവിന്ദഃ *govína* vaccarum paſtor, quod nomen eſt *Krshnae* dei Indici, Apollinis nempe *Nomii*, quem fiſtula canentem & inter vaccas ſtantem monumenta Indica infra recenſenda exhibent. ഗോരസഃ *gòraſa* lac vaccinum acidulum, ഗോമയഃ *gòmaya* ſtercus vaccae, item res coloris vaccini. ഗോതമഃ *godama* vel *gotama* cum littera t. leni, *vaccarum paſtor*, nomen Mercurii Máyae deae filii in vocabulario Amaraſinha deſcriptum. Vide Examen codicum Indicorum p. 79. Haec dictio duobus modis ſcribi poteſt, *godama* & *gaudama*, vidimus enim ഗോ *go* vocabulum radicem eſſe, quae ſi in caſum nominativum collocetur, habet ഗൌ gau; adde തമഃ *tama* propenſio, indoles, ingenium, vis, poteſtas, ſitque *godama* vel *gaudama* vaccae ſeu vaccarum curam habens, ad eas paſcendas propenſus, paſtor, & paſtorum praeſes, qui eſt Mercurius Nomius. Vide Caroli Stephani dictionarium hiſtoricum ac poeticum, Lutetiae anno 1553. *p.* 392. ſub voce *Mercurius*; confer Natalis Comitis mythol. *l.* 5. *p.* 435. ubi ex Pauſania Mercurium tamquam paſtorum deum a priſcis cultum fuiſſe docet. Hic idem Mercurius Phoebo vaccas ſurripuit, ut ait Homerus. Iam itaque nullus relictus eſt dubitandi locus, Godama eumdem eſſe, qui Brahmanibus eſt Mercurius Máyae deae filius, Muni ſeu contemplator, praeſtigiator, fur, Argi amicus & poſtea occiſor, raptor, nundinis praeſes, the-

(1) Sidharubam ſeu Grammatica Samſcrdamica, Romae 1790.

Digitized by Google

thesaurorum & pecuniae cuſtos, Gangis fluvii accola fictitius, cuius uxorem *Abalyam* Devendra ſeu Iupiter ſub forma galli compreſſit, ob quam cauſſam apud *Monteſalconium*, & *Stooſch* Mercurio huic in antiquis monumentis gallum appictum deprehendes. Nebulo deaſter iſte diſtinguitur ab illo gravi rege, & philoſopho Mercurio Termagno, quem venerabilem, accenſum, cenſorem hominum, ſex ſcientias poſſidentem, legum conditorem, ſanctum, omniſcium, conſiliarium & contemplatorem, bonarum inſtitutionum regem, radiantem, Cupidinis victorem, fuſcum, inſignem viatorem ſeu nuncium, atque cenſoria virga inſtructum vocabularium *Amaraſinha* ſect. *ſorgga vargga* deſcribit. Attamen duo hi Mercurii, quos Amaraſinha per ſacra cognomina ſeu indigitamenta ab invicem rite diſtinguit & ſeparat, in graecis fabulis & monumentis confunduntur (1). Eoſdem invicem confundunt & intricant vulgares fabulae Indicae, Peguanae, Siamenſes, & Tibetanae, unde fit, ut cognomina unius, alteri attribuantur, atque Mercurius nunc probus, nunc fur, nunc cenſor & vindex, nunc nebulo & praeſtigiator, nunc doctus, monachus & philoſophus, nunc auri cupidus, nunc liberalis ſedens & contemplans, nunc ut paſtor aut celer nuncius, nunc gallo aſſidens, nunc virgam cenſoriam ſeu caduceum pacis bellique indicium, vitae aut mortis ſignum geſtans exhibeatur. Vide Orphei hymnum in Mercurium *cum Henrici Stephani, & Ioſephi Scaligeri notis*, 1689. edit. Traject. *ad Rhenum*. Natalis Comitis mythol. *lib.* 5. *cap.* 5. *pag.* 432. Court de Gebelin, *tom.* 3. *pag.* 100. Hiſtoire de Mercure ou Thot, & *pag. ſeq. art.* 1. des noms de Mercure, ac praeſertim *pag.* 141. *art.* 5. Si Thot ou Mercure fut un étre réel ou Allegorique. Ex hac nominum & rerum confuſione factum eſt, ut Avenſes, Peguanique nomen *Godama* Mercurius Nomius ſeu *vaccarum paſtor* retinuerint, *Godamam* tamen maximum ſuum deum ſedentem, ac meditabundum fingant exhibeantque. Vide eius iconem in ſyſtemate Brahmanico *tab.* XV. b., & ipſum

B eius

(1) Manethon & Paullus Iablonskius omnes priſcae aetatis Mercurios ad duos tantum redigunt. Vide Allegories orientales *tom.* 3. *p.* 142., ubi Court de Gebelin multa de his Mercuriis inquirit, multa elucidat, plura intricat, & confundit.

ejus ſimulacrum autographum ex plumbo, & aliud ex marmore in eodem Muſeo Borgiano Velitris. Alter, nempe ille Mercurius venerabilis legum inſtitutor, conſilium & mens ſeu Budha, rex & philoſophus ſeu monachus cenſor, mente plena ac intenta meditabundus apud Indos & Tibetanos ſedens exhibetur. Vide *tab.* xx. *Syſt.Brahm.* Ita quoque exhibetur *Godama* apud Avenſes, Peguanos & Siamenſes, quamvis *Godama* epithetum ſit alterius Mercurii illius iunioris, furis & praeſtigiatoris, vaccarumque paſtoris, quod epithetum ſeniori illi Mercurio venerabili, quem Avenſes, & Peguani revera colunt, non convenit. Ubi iam vides, nomina cum ſimulacris dei quem exhibent, nequaquam ſemper convenire, & in ſimulacris quidem deos exhibentibus ſculpendis veterem morem & formam tenaciorem permanſiſſe atque minus mutatam fuiſſe, quam mutata fuerint nomina deorum, nam nomina deorum dialectorum diverſitate, linguae primigeniae & maternae ſtudio neglecto, mutata, facilius translata, corrupta, aut intricata fuerunt (1). *Nel volto di Mercurio ſi ſcopre l'acutezza dello ſguardo fino ed occupato da penſieri*, Winckelmann, *monumenti antichi inediti*, vol. 1. tract. prel. cap. 4. pag. 41., & cap. XIV. *pag.* 174. ait: *Mercurio dal ſuo proprio nome in Etruſco* Turm, *ſimile a quello che ſi legge in altra patera.* (Dempſt. Etrur. tab. 3.). *Turm* vocabulum a dictione *Herma*, *Dherma*, quod etiam Indicae gentilitiae linguae ſaepe corrupte *Darm*, *Derm*, *Tarm* ſcribunt, corruptum deſcendere haud adverſaberis. Vide grammat. Samſcr. *pag.* 39. *linea* 3. Turm itaque Etruſcum Mercurii nomen eumdem Mercurium ſonat, qui Indis *Dherma* vel Dharmarágia, *Herma* Graecis, *Thot* Aegyptiis & *Budha* Indis eſt. Idem Mercurius ex animadverſione Winckelmanno digna, facie intenta, oculis acutis, mente medita-

(1) Lingua Samſcrdamica caret litera *F*, proinde nequit ſcribere *Fo*, ſed litterae *F* ſubſtituit litteram *P*. ſcribitque *Po*. Tibetana & Sinenſis caret littera *B*. quare ſcribunt *Pout* pro *But* vel *Bout* vel *Budha*, & Sinenſes *Fo* pro *Bodda*, *Budh*, *Budha*. Hi iidem Sinenſes & Tibetani carent littera Samſcrdamica *ω db.*, proinde pro *Budha* ſcribunt *Butta*, vel *Baodda*, & linguae boreales *Wod*, *Oden*, pro *Budh* vel *Budha*. Ex his ergo coniecturae datur locus, veteres Aegyptios littera *B*. caruiſſe, quare ſcribebant *Tout*, *Taut*, *Toth*, pro *Budh* vel *Budha*. Nomina itaque ſunt varia; numen ubique idem.

ditabunda, ac cogitationibus plena etiam in graecis monumentis exhibetur. His ergo rite penſitatis, quis eſt, qui neget vocabula Samſcrdamica, cultumque deorum ac mythologiam eorum ex Aſia, & quidem ex India primitus dimanaſſe, indeque in alias mundi plagas perlatam fuiſſe? Quis eſt, qui neget, Avenſes, Peguanos, Siamenſes nomina & cultum dei *Godamae* ab Indis accepiſſe? Quis diffiteatur, linguam *Pali* Samſcrdamicae filiam eſſe? Ipſa ex inſula Ceylan, ubi ea inter ſacerdotes *Tiruvamshas* dictos hodiedum viget, in regnum Ava & Pegu perlata fuit (1), ipſa in typis numorum Avenſium exſtat, ut iam innuimus, ipſa deo Godamae nomen dedit, ipſa ex libris palicis ubique elucet. En plura huius rei exempla.

ဗုဒ္ဓ Budha Samſcrdamice nomen *Mercurii ſenioris*, Peguanis in lingua Pali *Pout*, quod ex illo corruptum eſt. Vide La Loubere *tom.* 1. *pag.* 487.

ပြဇ္ဇာတိ Pragiati, *ignis regenerans*, *ignis ſanctus*, quo Peguani ſubinde comburi ſolent, ut igne illo purgati, ſine labe renaſcantur, idem vocabulum eſt quo Indi hunc ignem appellant. La Loubere linguae Samſcrdamicae & Palicae imperitus, *pragiatí* vocabulo, quod corrupte *prátian-tee* ſcribit, non ignem hunc ſanctum, ſed homines eo exuſtos ita vocari autumat, atque dictionem illam corrumpit. Vide *t.* 1. *p.* 488.

သာကျ Shákya, *doloſus*, *fur*, *praeſtigiator*, *indagator* ſecundi ſeu iunioris *Mercurii* nomen eſt. La Loubere, aliique ex lingua Palica corrupte ſcribunt *Chekia*, *Xekia*, *Xaca*, *Sciaca*, *Thica*, *Iaca*. Hunc *Shakya* ſeu Mercurium iuniorem ſagacem, doloſum, & vigilem Aegyptii & Iapponenſes ob dolum, ſagacitatem, & vigilantiam corpore quidem humano, ſed capite *canino* repraeſentant. Vide tabulas Cartari, *imagini de i Dei degli antichi*, *ad pag.* 279. & 281. Franciſci Pivatii dictionarium

(1) La Loubere *tom.* 1. *pag.* 522. 525. 516. 519. 536. Chambers in libro *Aſiatick reſearches pag.* 158. *& ſeq.* compendium legis Barmanorum, *num. III. p.* 2. Mantegatius *in praef.* ad Alphab. Barmanorum, *pag.* 2., & in dialogo *num. IV.* infra cit., & iterum in praef. *pag.* 14. Kaempher, *Hiſt. Iap. tom. I.*

rium ſcientificum, *tom.* 8. *tab.* VIII. figura 1. *Amida Idolo* Iapponeſe, & fig. 2. idem *Amida* ſedens, meditans, ac coronam precatoriam manu geſtans. Unde Plutarchus in Iſide, pag. 348. edit. Paris. *Non enim proprie cani Mercurium nomen faciunt* (Aegyptii), *ſed ob cuſtodiendi ac vigilandi ſtudium*, *& ſapientiam*, *qua inter amicum & inimicum internoſcit*, *eum callidiſſimo*, *ut Plato ait*, *deorum accommodant*. Confer fragmentum epiſtolae cuiuſdam Miſſionarii Pekinenſis in bibliotheca S. Congreg. de Propaganda Fide, in quo ita diſſerit.

Fouhi (Iapponenſibus *Amida Buth*, quae corruptio eſt Indici nominis Budha) *& Mercurius iiſdem ſymbolis adumbratus eſt*: *a Sinenſibus quidem Fouhi per litteras ſuas & characteriſmos*, *ab Aegyptiis vero & aliis occidentalibus Hermes* (quem auctor confundit cum Shakya) *per imagines & ſtatuas*. *Etenim Hermam pro ſymbolo canem habuiſſe certum eſt &c.* Vide textum integrum in ſyſtemate Brahmanico in nota ad *pag.* 308. *&* 309. Iapponenſes itaque, apud quos ſtatuarum uſus eſt, hunc *Shákya* ſeu *Mercurium* corpore humano, ſed capite canino exhibent. Vide epitheta huius *Shákya* dei in examine hiſtorico-critico codicum Indicorum, *pag.* 78. Quid ad haec epitheta ex Brahmanico claſſico codice deſumpta, quid ad monumenta Indica, Peguana, Sinenſia, Iapponenſia, Aegyptia, quid ad has nominum etymologias ex Indicis linguis depromtas, quid denique ad hanc gentium hiſtoriam & traditionem, ad tot Miſſionariorum aliorumque relationes reponet noſter cenſor, qui poſthabitis his omnibus fontibus, ſuae tantum opinioni indulgens, molem profuſae eruditionis affert, ut evincat, Xacam, hoc eſt Shákyam, haereticum illum Manetem eſſe? Numquid Manes iſte apud Indos, Tibetanos, Peguanos, Iapponenſes capite canino exhibetur? numquid vaccarum paſtor eſt? numquid in loto pedibus decuſſatis ſedet? numquid deae Máyae filius eſt? numquid nundinis praeſes? (1) numquid mercato-

(1) *Quid qui aut fortes*, *aut claros*, *aut potentes* (adde, aut improbos) *viros tradunt poſt mortem ad deos perveniſſe*, *eoſque eos ipſos eſſe quos nos* (quos Indi) *colere*, *precari*, *venerarique ſoleamus*, *nonne expertes ſunt religionum omnium*? *quae ratio maxime tractata eſt ab Euchemero* ... *Ab Euchemero autem & mer-*

Digitized by Google

catorum deus, & theſaurorum cuſtos? numquid alipes? numquid ephemerides portans? numquid virtutis & bonarum inſtitutionum conditor? numquid fur & praeſtigiator? Ut omnia priſca ac ſacra cognomina, quae utrique Mercurio apud Brahmanes affinguntur, Maneti convenire oſtenderet, atque commentum ſuum rite illuſtraret, auctor Alphabeti Tibetani *p.*242. Manetem magum fuiſſe oſtendit, & omnis magiae originem inter Tibetanos a Manete derivat. Sed an Mercurius magus & praeſtigiator non fuit?

Tum virgam carpit: hac animas ille evocat orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit:
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.
Virg. *Aen.* 4.
Mercurii ſuffimen, thus.
Majai ſtirps alma Ioviſque, Accenſe, Viator,
Magnanimum cor habens, Quiquertlo, cenſor homonum,
Vinule, Multivole, Internuntius, Argilethe,
Alipes, & mortalium amor, ſermoni' magiſter:
Quem fraus, quem certamina adulant, almiſer omnium.
Interpres variae linguae, Nundine liber,
Sanguineum geſtans caduceum, pacis amice,
Frugi, Coruciota, Locuteje, Aje, beate,
Atque operum Titule, & Titane neceſſibu' rebus
Et mortalium praeſidium venerabile linguae,
Adſis oranti vitae addens exitum amicum,
Cultu operum, memori menti, ſermonibus lectis.

Orpheus *hymno* in Mercurium *edit. Traject. ad Rhenum* 1689. *cum* Henrici Stephani, & Ioſephi Scaligeri *notis*. Sub hac cenſoris aut praeſtigiatoris forma Budha, quem auctor cum Shakya confundit, colitur in templo Iagarnat in India, ubi ſedens in loto & mutus exhibetur, hominum tamen actiones intenta mente inſpiciens & examinans. *Ditono*, *che*

& mortes & ſepulturae demonſtrantur deorum. Utrum igitur hic confirmaſſe religionem videtur, an penitus totam ſuſtuliſſe? Cicero de nat. deor. *l.* 1. *p.* 212.

Cenſor Brahmanibus dicat, Manetem ab ipſis coli, & tunc videbit, quo vultu qua oris venuſtate, aut quo potius riſu excipietur.

che queſta è un incarnazione (Budhae) *muta* , *cio è venuta ſolo per vedere la condotta de' mondani*, *perciò ſi è poſta nelle quattro parti del mondo*, *ſolamente affine di oſſervare* , *e ſegnare tutte le azioni degl' uomini per farne poi giuſtizia nella decima incarnazione* . R. P. Marcus a Tumba *in cod. mſſ. in fol pag.* 182. in Muſeo Borgiano exſtante, & iterum in alio de locis ſanctis Indiae dum templum Iagarnat deſcribit. Si Budha iſte Manes eſt aut Ieſus Manichaeorum, ipſe adhuc ſemel incarnetur eſt neceſſe, incarnationem enim hanc decimam eiuſdem quin etiam plures alias omnino firma fide credunt Indi; iterum itaque apparebit magus Manes in India. Non videt cenſor ex commentis ſuis ubique abſurda ſequi, atque a fide Indorum & Tibetanorum res plane alieniſſimas, neque ullo modo cum ſtatuis, cum delubris, cum nominibus Indicis , ac cultu Indorum cohaerentes. Si Budha perſona phyſica eſt et hiſtorica, cur potius non ſit *Moſes*, quod adſtruit Huetius ? Cur non ſit *Noe* Patriarcha, quod multis evincere nititur Fourmont ? Cur non ſit *Siphoas* trigeſimus quintus Aegypti rex, quod vult Iablonskius ? Cur, & qua ratione factum eſt, ut Budha ſit Manes ? Vide Panthéon Aegyp. *tom.* 2. *p.* 166. 190. Voſſium, *de orig. & progr. idolol. tom* 1. *lib.* 2. *cap.* 32. Fourmont, *Reflexions critiques ſur les hiſtoires des anciens peuples*, tom. 1. cap. 3. pag. 234. & ſeq.

ഭഗവാൻ Bhagavân, *ſanctus*, *celebris*, *potens*, *beatus* cognomen Mercurii ſenioris ſeu Dhermaregis, ſub quo cognomine in vocabulario Amaraſinha deſcripto is invocatur in lingua *Pali* ab Avenſibus & Peguanis in principio & fine privatarum & publicarum precum. *Namo taſſa Bagavá*, adoratio illi Bhagavá, id eſt, *adoratio*, *ſancto*, *potenti*, beato, nempe *Mercurio*, cui cognomen hoc inter indigitamenta ſacra in vocabulario Brahmanico attribuitur. Vide ſyſtema Brahmanicum, *p.* 155. Itaque *namo Bhagavá*, non ſonat, *adoratio illi ſupremo domino*, prout male id interpretatur R. P. Carpanus. Vide *oſſervazioni ſopra i due libri Barmani in foglie di palme*. ഭഗഃ bhaga, Samſcrdamice, *ſanctitas*, *potentia*, *celebritas*, *ſplendor*, *opulentia*,

Digitized by Google

വാൻ *ván* terminatio eſt nominis maſculini *dominum* indicans, unde fit *Bhagaván* , & in vocativo *Bhagava* . Unde exurgit oratio illa Brahmanica : ഭഗവതെനമഃ Bhagavade nama , *tibi ſancto , beato adoratio* . Vide dictionarium R. P. Hanxleden ſub voce *bhaga* , *bhagavân* , & *bhagavadi* , ubi bhagaván cognomen Mercurii Indici etiam deo Vishnu & Shivae per antonomaſiam attribuitur. Confer Examen codicum Indicorum *p. 26. in notis* , ubi de hac Indica & Peguana adorationis formula iam egimus . Talapoinus Avenſis *Dhermarágia guru* in compendio legis Bármanorum *pag.* 1. ſcribit : *All' eccellente dio* Godama *io proteſto le mie adorazioni . Così ſia . Queſte parole dopo averle lette e ripetute tre volte , ſi vada avanti alla lettura . I Barmani maeſtri cuſtodi della divina legge anno per coſtume di mettere alla teſta di ogni libro , e di leggere queſte parole di adorazione* . Hae adorationis formulae cum Indicae ſint & Samſcrdamicae , iam plane perſpicis , non ſolum linguam Samſcrdamicam in regna Pegu & Ava penetraſſe , ac proinde linguam *Pali* , qua liturgici Barmani libri exarati ſunt, Samſcrdamicae dialectum eſſe, ſed ipſas adeo adorationis formulas Indico-Brahmanicas & Samſcrdamicas in Peguanis libris, ac publicis ſupplicationibus obtinere. Ita hae eaedem obtinent in Tibeto . Vide grammaticam Samſcrdamicam , *pag.* 34. 52. 55. 56. 57. 59. Haec pauca heic de lingua Pali dixiſſe ſufficiat, neque enim grammaticam linguae Palicae ſcribendi mens & conſilium eſt. Pauca illa quae digeſſimus , eo conſilio fecimus , ut oſtenderemus monumenta Avenſia & Peguana illuſtrari haud poſſe abſque peritia Samſcrdamicae linguae, neque viatores Europaeos umquam in perſcrutandis libris Palicis profecturos, niſi prius linguae Samſcrdamicae ſtudio incumbant.

Specimen characterum huius primi codicis Borgiani .



NUMERO II.

P*adi-mauka*. Codex corticeus ſeu ex palmarum foliis, quas Malabarenſes; Tamulici, Avenſes & Peguani ഓല ólá vocant (1), conſectus. Conſtat ex ōlis centum et duabus, longus eſt palmos tres & pollices tres, largus pollices tres cum ſemiſſe. Exaratus eſt elementis rotundis ſtilo chalybeo, quem Malabarenſes എഴുത്താണി *Ezuttánni*, id eſt *clavum ſcriptorium* appellant (2). Codices ipſi corticei vocantur ഗ്രന്ഥം *grantham*, & id quod in iis exaratum exſtat communi & generico nomine ഗ്രന്ഥവരി *granthavari* compellatur; unde linguae Samſcrdamicae ſactae a libris his inhaeſit nomen *grantham*, & *lingua granthamica*, cum revera *Samskrda* dici debeat. Lemma libri *Padi-mauká*, Iohannes Chriſtophorus Amadutius, qui hunc codicem falſo inter codices bibliothecae S. Congregationis de Propaganda Fide numerat, *in praef.* ad Alphabetum Barmanorum, *pag.* XIV. ſcribit, *Padimot*. പടി padi, *regula*, *modus*, *norma*; ഇപ്പടി ippadi, *hoc modo*; അപ്പടി appadi, *illo modo*. മുകൾ mughel *apex arborum*, *montium* aut cuiuſvis alterius rei; മുഖന mughana, vel cum *k* leni mukana *frontiſpicium*, മുഖം muggha *facies*, *principium*; മുഖ്യം mukyá *excellentia*, *res excellens*, മൂക്ക mukka *naſus*. Quibuſcumque elementis Barmanis aut Palicis dictio *Padi mauka* ſcribatur, ad has etymologias recidere debet, ac

(1) Ex vocabulo *ôlá*, folium palmae, componuntur dictiones ſequentes: *ôlapetti*, fiſcina, quaſillus, ſeu ſportula viminea ad recondendas appochas, aliaque inſtrumenta manuſcripta; *ôlapurá*, domus ex foliis palmarum conſtructa, tugurium. Heic iam iterum perſpicis, etiam vulgata Avenſia vocabula multa, ex maiori India, ac cumprimis ex ora Piſcaria, & Coromandelica in regnum Ava & Pegu perlata fuiſſe. Confer librum, *Aſiatick reſearches*, tom. I. p. 159. & ſeq.

(2) Extat huiuſmodi ſtilus chalybeus in muſeo Borgiano Velitris.

ac proinde libri genuinum lemma eſt , *regulae excellentes* , vel *regulae ad excellentiam*, *ad perfectionem ducentes* . Et revera , R. P. Carpanus , qui in hunc Barmanum codicem aliquas animadverſiones adiecit , ait : *Queſto è il libro delle conſtituzioni , o regolè de Talapoini , conoſciuto ſpecialmente ſotto il nome o titolo di Padi maukâ , benchè chiamaſi ancora con altri nomi più propri* . Vide in muſeo Borgiano , *oſſervazioni ſopra i due libri Barmani num.* 2., & noſtrum *Examen hiſtorico-criticum codicum Indicorum bibliothecae S. Cong. de Prop. Fide*, in quo *pag.* 31. libri *Padimauká* brevem ſynopſim , atque authenticitatis eius indicia iam expendimus atque tradidimus . Hic liber convenit cum altero Peguano codice *Kammuva* inſcripto , de quo egimus *pag.* 77., ad quam paginam animadvertendum eſt , *Kammuva* librum non eſſe ſcriptum litteris aureis , ſed in olis inauratis , litteris nigris . Libri Padimauká initium eſt hoc

Samizzaní padí bozà udakàn aſané naza

Ubò ſattaſſa etanì pouppà karamanti vuzzati &c. id eſt : „ orationis domum ſcopis everrere , & in domo orationis lucernam accendere , quoniam nunc ſolis lux (adeſt) , opus non eſt „ . Vide interpretationem P. Carpani *loco citato* , quam intactam relinquimus . Liber ſcriptus eſt lingua Pali & Barmana mixta , ut ambae appoſitae invicem clarius eluceſcant . In eo minimae quaevis culpae contra regulam admiſſae enumerantur , regulae paupertatis & caſtitatis Samaneorum Talapoinorum ſtabiliuntur , ab animantium contactu cavendi , ſe ſe luſtrandi , templum everrendi , lucernam in eo accedendi , in pleniluniis ac noviluniis jejunandi modus , & inſtitutio traditur . Eadem fere praecepta exſtant in libro Peguano *Kammuva* , ex quo iam nonnulla excerpſimus in ſyſtemate Brahmanico *pag.* 115. *& ſeq.* Ex ibi dictis , ac cum his collatis , iam res certa atque explorata eſt , Talapoinos hos veros eſſe *Samanaeos* , nam hi etiam lingua Palica vocantur *Scien* , vel *Samane* , *Tabaſſi* , vel *Yogui* , quae omnia Samanaeorum philoſophorum nomina ſunt , eamdem Samanaeorum ſectam ſignificantia (1) . Samanaei vel Yamanaei di-

(1) Vide compendium legis Barmanorum *num III.* infra relatum , *pag.* 16. *ſub ſigno* (*a*) . Syſtema Brahmanicum , *pag.* 115. Dictionarium R. P. Hanxleden ſub voce *Tabaſſi* , *Yogui* , & Amaraſinha ſect. *Brahmavargga* .

Digitized by Google

dicuntur a ശമം *ſámam*, manſuetudo, lenitas, affabilitas, quae ex virtutum exercitatione naſcitur, aut quia ipſi nullum omnino animal interimunt; vel dicuntur Yamanaei a *yàmam* vigilia, quia nocte in 3. aut 4. vigilias diſtributa vigilabant, atque ſiderum motus contemplabantur, ut ait liber Sambhavam, cui adſtipulatur S. Hieronymus (1), vel denique *Yamanei* a യമം *yamam* dicti ſunt, quia *yamam* cum prima littera *a* brevi *diligentiam* ſonat, & quia hi diligentes & vigiles ſunt; unde etiam deus ille Indicus, qui hominum actionibus praeeſt, eiſque invigilat, ut eas deinde praemio aut poena afficiat, *yáma*, ideſt *vigil*; & യമ *yama*, cum littera prima *a* brevi, id eſt, *diligens* dicitur. Ex his nominibus, ex libris Samſcrdamicis, quibus hi philoſophi utuntur, ex inſtituto & actionibus in his libris praeſcriptis, ex epocha eorum exiſtentiae, quae uſque ad Alexandri M. tempora & ultra refertur, iam aperte patet, mera eſſe figmenta ea omnia, quibus auctor Alphalber. Tibetani (2) hos Sa-

(1) *Pervenit* (Apollonius) *ad Brachmanas, ut Hiarcham inter paucos diſcipulos de natura, de motibus ſiderum, ac dierum curſu audiret docentem*. S. Hieronymus ep. ad Paullinum.

(2) Vide in Reliquiis actorum S. M. Paneſniv *pag*. 285. *&* 283. *in notis*. Huius viri opinioni, quam hauſit ex La-Crozio & D. De Guignes, reluctatur de Paw, *Recherches philoſophiques ſur les Américains* 1770. *tom*. 2. *lett*. 2., Anonymus, *Gazette littéraire de l'Europe*, a Paris 1764. *tom*. 2. *pag*. 262., ac cumprimis Renaudot, qui P. Trigault, & Kircheri ſententiam, ac rationes, quibus praecocem evangelii in India & Sinis progreſſum ſuadere volebant, ſcite refutat, ac propagationi ſive haereſum ſive catholicae fidei in India & Sinis *ſeculum ſextum* aſſignat. Vide Renaudotii, *Anciennes relations des Indes, & de la Chine de deux voyageurs Mahometans, qui y allerent dans le neuvieme ſiecle*, a Paris 1718. pag. 228. & ſeq. *Eclairciſſement touchant la predication de la religion Chretienne a la Chine*, & cumprimis *p*. 264. *& ſeq*., ubi de miſſione haereticorum epiſcoporum agit. Confer Tillemont, *tom*. 1. de praedicatione Indica Thomae Manetis diſcipuli; & Coſmae Indopleuſtis topographiam chriſtianam *tom*. 2. *collect*. *novae Patrum & ſcriptor*. *graecor*. *per Bernard*. *Montfalconium Pariſiis pag*. 179. in qua ſeculo ſexto chriſtianos eccleſiaſque in India exſtitiſſe narrat. Hae tamen diſtinctae erant a delubris & aſceteriis Samanaeorum, neque tam frequentes, ut opinatur noſter cenſor. Marcus Paullus Venetus, *lib*. 3. *cap*. 23. *&* 24. de provincia Maabar, hoc eſt de *Malabar* & *Madure* diſſerens ait: *Complura ſunt ibi monaſteria, in quibus idola coluntur*. Ubi palam & aperte indicat, haec monaſteria non chriſtianorum, non Manichaeorum aut Neſtorianorum, ſed Samanaeorum philoſopho-

Digitized by Google

Samanaeos philoſophos pro monachis Neſtorianis aut Valentinianis aliiſque priorum ſeculorum haereticis ex Perſide, Syria, aut Aegypto in Indiam illapſis, nobis obtrudere vult. Non ignoro monachos chriſtianos in India, ac praeſertim in Malabaria exſtitiſſe (1), ſed hi Malabarice ſemper റമ്പാൻ *Rambán*, hoc eſt *Raban*, non autem *Tabaſſi*, non *Yogui*, non *Samanaei* vocabantur. Vide dict. P. Hanxleden ſub voce *Rambán*. Hi monachi chriſtiani ante Chriſtum natum in India non exſtabant, hi nonniſi ſeculo quinto aut ſexto dum Bagdadenſes Catholici in Malabariam monachos epiſcopos ad regendam chriſtianorum S. Thomae eccleſiam mittebant, in Indiam penetrarunt, & pulſis inde Neſtorianis iterum ex India exceſſerunt; hi idola non adorabant; hi transmigrationem animarum non docebant; hi carnibus veſcebantur; hi longe & ſeparati a Samanaeorum aſceteriis Perſico more induti verſabantur, non autem nudi, ut Yogui ſeu Samanaei. Hi Chaldaicis libris utebantur, non autem Samſcrdamicis, quos ne quidem legere ſciebant. Quam vana igitur ſunt ea ſcriptorum commenta, quibus humana divinis, chriſtianae res cum gentilicis, inſtituta inter ſe adverſa, epochae, libri, homines, doctrinae haereticae, inter ſe miſcentur, atque gentilibus variorum novatorum ſomnia perquam liberaliter affinguntur! Numquid melius erat haec omnia intacta relinquere, quam tot commentis pervetere & intricare? Interroget, cui libet, Brahmanes aut Samanaeos, quotnam ex ipſis chriſtiana ſacra amplexi ſint, quaerat ex Miſſionariis & aliis Europaeis viatoribus quot delubra, quot aſceteria gentilica, quot Brahmanicas ſcholas, quin immo quot privatos Brahmanes aut Sama-

phorum domicilia fuiſſe. Confer *Benjamini Tudelenſis itinerarium*, Antuerpiae 1575. pag. 93. 94. 9.., & de *Talapoinis* Peguanis librum *Aſiatick reſearches*, tom. 1. pag. 159. & ſeq. Ceterum, cum cenſor noſter omnem Brahmanicam religionem ex fabulis & commentis Valentinianis; D. D'Hancarville, Bailly & de Paw ex Scythia; D. De Guignes ex Aegypto; P. Marcus a Tumba ex Perſide deducat, auctores hi primo inter ſe conveniant, tum opiniones ſuas aliis venditare adnitantur.

(1) Synodus Odiamper. *decreto* XIV. *pag.* 94. *& ſeq. edit. Rom. apud Mainardum*, epiſtola D. Garziae ſynodo Cranganorenſi praefixa *num.* XXX. inter codices S. Congr. de Prop. Fide.

manaeos ipſi ad Chriſti fidem traduxerint. Egò certe plurium annorum ſpatio non plures quam quinque Brahmanes chriſtiana ſacra ampleƈti, plurimos vero viros feminaſque Brahmanicas anno 1789. dum Nabab Tipu Sultan atrocem iis perſecutionem intulerat, fame ac miſeria exanimes vidi cadere potius quam Muhamedana, vel Chriſtiana ſacra adoptare. Adeo nempe hoc genus hominum pertinax eſt ſemperque fuit, ut mori potius eligant, quam exteris ſacris initiari. His igitur poſitis, jam quiſque coniiciat, quos progreſſus veteres illi haeretici in propagandis Valentinianorum, aliorumque novatorum pſeudo-evangeliis, quorum inter Brahmanes ne veſtigium quidem exſtat, facere debuerint. Libri Brahmanici legendi ſunt, atque ex iis Brahmanica doƈtrina evertenda, quos libros Samſcrdamicos cum cenſor noſter non legerit, in Indicis rebus tradendis teſtis non videtur idoneus. Hos libros Samſcrdamicos, quia nec veteres illi haeretici, neque monachi Neſtoriani legerant aut intellexerant, Brahmanicam religionem & philoſophiam evertere, atque ſuam eiſdem affingere nequibant. Quare hodiedum ſtat Brahmanica moles, neque niſi illuceſcente ſuperiori lumine diſſolvetur. Ceterum in codice *Padìmauká* praeter quìnque praecepta Talapoìnis (1) communia, de quibus egimus in ſyſtem. Brahmanico *pag.* 115. & 116. 53. alia ſeptuaginta quinque enumerantur. De his ſubdit P. Carpanus: *oltre alle molte regole fondate ſui cinque commandamenti univerſali, ed a molte altre arbitrarie, ce ne ſono* 75. *a guiſa di* litanie, *ciaſcuna delle quali finiſce in* Seikha gò Karaniiá *i*. Has diƈtiones ipſe non interpretatur. At ſi mea interpretatio valet, haec certe verba non aliud ſonant, quam *Shákya godama miſereſce noſtri*. Seikha go, corruptio eſt ex ശ ഗ ത്രു 8 *Shakya* & *Godama*. കരുണ്ണ Karunna, & കാരുണ്യ8 Kárunya *miſericordia*, adiice articulum, erit, *miſerere noſtri*, vel *miſericors eſto*, *miſericordiam impertire nobis*. Itaque latine ſonabit: *Mercuri miſereſce noſtri*. Vetuſtiſſimus eſt hic etiam inter gentiles oran-

(7) Ne minimum quidem animal occidere, non fornicari, non furari, non mentiri, a vino abſtinere.

Digitized by Google

orandi modus. Primo, indigitamenta ſeu ſacra cognomina alicuius dei ex corona precatoria recitabant, vel etiam abſque corona in manibus exſtante, ſolo ore, manibuſque paulliſper elevatis ſacra dei nomina pronunciabant; deinde addebant: *ſerva me; propitius eſto; adorare; tibi adoratio; miſereſce mei; adiuva me*. Hic modus orandi hodiedum inter Brahmanes alioſque doctos Indos obtinet, qui ſacra cognomina deorum in libro *Amaraſinha* deſcripta in quotidianis, & menſilibus luſtrationibus, ac in ſacris functionibus recitare ſolent, & ſaepenumero praedictam orationis clauſulam ſacris nominibus addunt. Vide de corona gentilica *Rudraksam* dicta Syſtema Brahmanicum *pag.* 41. 88. 193.

കാരുണ്യമൂർത്തിശിവശക്തിസംഭവദേവൻവദന

ങ്ങൃപാമ

പ്രാർത്ഥനവിഘ്നങ്ങളെക്കളവാനനുഗ്രഹത്തിനുടെനമസ്കാരമെ

ാല്ലാംവന്ദിക്കുന്നേൻ Sambhava ſub initio.

O vos miſericordiae numina (*múrti* numen, idolum, corpus, perſona) *Shiva & Shakti, tum qui ex iis natus es benedictionis facie inſtructe deus* (nempe Gannésha).

Supplicis meae vocis obſtacula tollite, atque ut benedictionem mibi impertiamini, toto quo poſſum conatu ego vos adoro.

മംഗലശീലെവൃഷ്ണിവംശത്തിൽവന്നുകൃഷ്ണനായിപ്പി

റന്നൊരു

വിഷ്ണുവിശ്വാത്മാവിശെഷിച്ചനുഗ്രഹിക്കെണം

Mangala Shílé Vrshni vamshattil vannu Krshnenai pirrannoru Vishnu Vishvátmá vishész*icia* anugrahikennam.

O Tu optimae indolis, omnium rerum anima, Vishnu deus, qui ex proſapia Vrshni veniens ſub nomine Krshna natus es, tu deus Vishnu praeprimis mei miſereſce, (reſpice me, adiuva me (1). In libro *Sambhava* ſub initio. Or-

(1) Quis chriſtianus non erubeſcat, dum falſa numina tanto animi ardore, tantoque conatu coli, adorari, eiſque ſupplicari videt. Miſericordiae deos eos Indicus textus vocat, non truces, non crudeles, non ſanguinis cupidos, ne arbitreris, deos a gentilibus ex ſolo metu coli.

Digitized by Google

Orpheus vetuſtiſſimus poeta (1) hymnum in *Mercurium*, in quo huius dei indigitamenta ſeu ſacra cognomina recitat, ita concludit: *Adſis oranti vitae addens exitum amicum, cultu operum, memori menti ſermonibus lectis*. Et in hymno in Apollinem: *Pro populo orantem me caelitus viſe parumper*. Animadvertit Scaliger pag. 322. in Orphei hymnos edit. Traject. *Veteres latini quos graeci vocant hymnos, ipſi nominant aſſamenta, quae ſcilicet ſeparatim in aliquem deum canuntur, in quibus geſta, & virtutes ejus dei celebrarunt. At indigitamenta vocarunt, in quibus deorum cognomina varia eſſent*. Et ſupra dixit: *His invocationibus deorum utebantur in myſteriis ii, qui ſacris cuiuſpiam dei initiabantur*. De Brahmanibus id animadvertit R. P. Vincentius a S. Catharina (2): *Se domandi qual ſia il nome di queſta prima cauſa, dicono che non ha nome . . . . Con tutto cio li Malavari lo chiamano Shiba* (Shiva, bonus) *che vuol dire concorſo del vento col fuoco* (nempe fabulas phyſice explicando) *perchè all' ora vogliono ſi maniſeſtaſſe, quando queſti due elementi ſi accopiarono la prima volta . . . li Patares* (Brahmanes ſacerdotes) *gli accumulano molti altri nomi ſin al numero di ſeſſanta, queſti ſono*: Kinchere, id eſt *ciangra*, *metum incutiens*, aliaque huius dei cognomina, quae ob imperitiam linguae Samſcrdamicae corrupta affert, cum nullam libri *Amaraſinha* haberet notitiam. Haec indigitamenta ſacra omnia in hoc libro continentur, atque haec nos in *Syſtemate Brahmanico* iam attulimus.

Itaque preces illae Peguanae & Avenſes, quas P. Carpanus ex libro *Padimauká* affert, modo a nobis ſupra expoſito ſunt intelligendae (3). Inſigne horum indigitamentorum ſacrorum apud veteres chriſtianos exſtat exemplum 1. tom. operum *M. Aurelii Clem. Prudentii*, Romae 1788. pag. 186. in notis, ubi ex cod. pergam. nunc eccleſiae Veliternae, olim Biſuntinae anno 1030. exarato, ad fer. III. Paſchatis a cl. Arevalo hic adfertur hymnus.

Alma

(1) *Onomacritus Athenienſis vates, cuius dicuntur eſſe poemata, quae Orpheo adſcribuntur tempore Piſiſtratidarum circa quinquageſimam Olimpiadem invenitur* Clem. Alex. *lib.* 1. *Strom. p.* 397. *edit. Venet.*

(2) Viaggio all'Indie orientali, *lib.* 3. *cap.* 17. *pag.* 283. & *cap.* 18. *pag.* 287.

(3) Deficiente originali textu in codice P. Carpani ex ſolis corruptis vocabulis certa dictionum illarum explicatio tradi nequit.

Digitized by Google

Alma chorus Domini nunc pangat nomina ſummi
Meſſias, Sother. Emmanuhel. Sabaoth. Adonay.
Eſt unigenitus. via vita manus homouſion.
Principium. primogenitus. ſapientia. virtus.
Alpha caput finiſque ſimul vocitatur & eſt ω.
Fons & origo boni paraclitus ac mediator
Agnus ovis vitulus ſerpens aries leo vermis.
Os verbum ſplendor ſol. gloria lux & imago.
Panis flos vitis mons ianua petra lapiſque.
Angelus & ſponſus paſtorque propheta ſacerdos.
Athanatos Kyrios theos. panton craton ysus.
Salviſicet nos ſit cui ſecla per omnia doxa.

Celſus apud Origenem haec nomina, huncque orandi modum chriſtianis tamquam vanum obiecit & carpſit (1). Vide, quomodo eum, ut antiquitatis ac nominum antiquiſſimorum, quibus dii invocantur, imperitum, ac novatorem perſtringit Origenes. *Alia*, ait Origenes, *alia quoque Aegyptiaca lingua prolata daemonum nomina ſuam quamdam vim habent*, *rurſuſque aliam linguae Perſicae: & ſic apud ſingulas gentes alia ad quoſdam aſſummuntur uſus* (2). Haec de orationis formula in libro *Padimauká* deſcripta, dicta ſufficiant. Confer *Aſiatick reſearches*, tom. I. pag. 142. & 143. ubi de Budhae ſeu *Mercurii* cognomine *Sugada* ex vocabulario *Amaraſinha* agitur.

Specimen elementorum rotundorum Peguenſium, quibus exaratus eſt hic ſecundus & tertius codex Peguanus muſei Borgiani Velitris.

အကုလ ဆြာတော်

NU-

(1) Origenes contra Celſum, *lib.* 1. *pag.* 419. *edit. Paris.*

(2) De Apollinis cognominibus apud Graecos & Romanos ſacris, vide Macrobium, *Saturnal. lib.* 1. *cap.* 11. *p.* 253. *edit. Venet.*

NUMERO III.

Compendium legis Barmanorum. Codex chartaceus manuſcriptus continet paginas viginti minus una. Scriptus eſt lingua Palica, characteribus rotundis, compoſitusque fuit a Talapoino Avenſi nomine *Maha tabaſſi Dhermarágia guru*. Hic magiſter erat regis Ava, & Pegu, anteceſſoris illius, qui rerum potiebatur anno 1790. Guru ſeu *magiſter* iſte a rege hodierno ex *Bao* (1), ſeu aſceterio reliquorum Talapoinorum pulſus fuit ex eo, quod regi ſolus adverſaretur, reliquis regis partes ſequentibus. Vir erat excelſae mentis, ſuae legis tenax, veritatis amans, & propagandae falſae ſuae religionis ſtudioſus. Deceſſit, annos aetatis nonaginta numerans, circa annum 1788. Vide epiſtolam R. P. Ioſeph ab Amato clerici regularis S. Paulli Miſſionarii Avenſis huic compendio praefixam, qui in Talapoini textum Palicum aliquas animadverſiones lingua Italica adiecit, ac in una quidem columna textum Palicum, in altera verſionem eius Italicam affert. Quare de authenticitate huius codicis nullus dubitandi locus datur; nam *primo*, lingua Palica exaratus eſt, itaque ab Europaeis ſupponi non potuit. *Secundo*, adorationis formulam Indicis gentilicis libris genuinis communem in fronte libri affert. *Tertio*, cum Indica, & Peguana theodotia in aliis libris exarata convenit. *Quarto*, ab auctore ipſo exemplar unum D. Iohanni M. Percotio Utinenſi, Epiſcopo Maſſulenſi & Miſſionum Apoſtolicarum in regnis Ava & Pegu praefecto datum fuit, quod auctor ipſe Talapoinus fatetur ad calcem ſui libri. D. Percotius Avae obiit pridie idus decembris anni 1776., atque codex ille Utinum miſſus fuit ad

(1) *Bao* corruptio eſt vocabuli Samſcrdamici *Bhava*, vel *Bhavana*. *Bhavadi*, ille est, exiſtit, habitat. *Bhavaſi*, tu es, exiſtis, habitas. *Bhavámi*, ego exiſto, ſum, habito. *Bhava*, quod eſt exiſtit, naſcitur, habitat. *Mégbabhava*, quod in nube eſt, fit, naſcitur. *Bhávana*; domus, habitatio. Unde Brahmanes, domum ſuam ſeu habitationis locum *bhava*, et *bhavana* vocant, et eodem vocabulo Samanaeorum aſceteria *bhava* vel *bhavana* appellantur. *Bao* itaque vel *Bau* vocabulum, quo Talapoinorum domicilium, aedes vel aſceterium Avenſes ſignificare volunt, corruptio eſt Samſcrdamicae dictionis *Bhava* vel *Bhavana*, quae vel a Luſitanis, vel ex inſcitia vulgi, vel ex corruptione linguae Palicae a Samſcrdamica deſcendentis inducta fuit.

Digitized by Google

ad cl. P. Angelum M. Cortenovis adiecta eidem epiſtola 15. Ianuarii anno 1791. a P. Marcello Cortenovis Avenſi Miſſionario ex urbe *Ran-goun* ſcripta, quae una cum codice ad Emum Card. Borgia miſſa eidem dono data fuit. Confer epiſtolam praedictam P. Ioſeph ab Amato, praefationem Iohannis Chriſtophori Amadutii ad Alphabetum Barmanorum Romae 1787. *pag*. VI. & VII., ac noſtrum *Examen hiſtorico-criticum codicum Indicorum* a pag. 23. uſque ad pag. 50., ubi criticas regulas tradidimus ad genuinos codices Indicos a ſpuriis ſecernendos (1).

Praemiſſa libri notitia, videamus nunc quid liber ipſe contineat. Incipit ab his verbis: *A quelli cui non convengono que' luoghi occulti, e naſcoſti atti a mal operare* (2), *A quelli che per ſcienza infuſa conoſce le quattro coſe immutabili*, *A quelli, che appieno è dotato de ſei ſupremi poderi*, *ſi all' Eccellente Dio* Gotama *lo proteſto le mie adorazioni*. *Così ſia*, *queſte parole &c.* Vide *n.* 1. ſupra, ubi de hoc codice diſſeruimus. Antequam progrediamur ad alia perſcrutanda, ſiſtamus paulliſper in limine ipſo.

D Quan-

(1) Expoſitis illuſtratiſque loco citato genuinorum codicum notis, iam nihil moramur philoſophum de *Paw*, atque nonnullos rabulas Anglos, qui Miſſionarios tamquam impoſtores traducunt, atque opera, relationes, codices, monumenta Indica ab iis in Europam allata aut tranſmiſſa rabido dente arrodere ſolent. Vide *Iſtoria generale de' Viaggi*, *tom.* 27. §. 3. *pag.* 290. *et ſeq. in notis*. Placet obtrectatoribus illis rancidulum aliquid de naribus ex tempore effutire, ut commentis ſuis colorem addant, atque hoc tanta audacia, tam ſuperba et immodeſta fronte, ut nemini alteri quam ſibi credendum cenſeant. Non ignoro multos Indicos Miſſionarios Indicas res obiter et ſine ſufficienti linguarum peritia attigiſſe, explicaſſe, pervertiſſe, intricaſſe. Sed an libri et monumenta intacta ideo reiicienda ſunt, quia a Miſſionariis fuerunt allata? An falſa ſunt, quia falſis fuere interpretationibus vitiata? Quod ſi hae rationes valent, iam nullum fore monumentum peregrinum genuinum erit, nam et philoſophi hi ſine peritia linguarum monumenta interpretantur et illuſtrant, et hi ſcripturiunt, quod eis in mentem venit, et hi ſpurios codices pro veris nobis obtruſerunt, & hi ſine idoneo teſte monumenta afferunt, eruunt, explicant, offuciaſque ſuas eiſdem addunt.

Simia quam ſimilis, turpiſſima beſtia, vobis! Ennius.

Vos autem nolo exiſtimetis me adiutorem illis veniſſe, ſed cenſorem et quidem aequum, libero iudicio, nulla eiuſmodi adſtrictum neceſſitate, ut mihi, velim, nolim, ſit certa quaedam tuenda ſententia. Cicero *Lib.* 1. *de nat. deor. pag* 198. ed. Lugd.

(2) Vocabulum *araba* Palicum, quod in textu Palico exſtat, latine ſonat: *non convenit*, *non decet*. Verum ſenſus eſt: *Deus ille*, *qui nulli peccato ſubiicitur*. Vide animadverſiones P. Ioſeph ab Amato in textum Palicum *in notis pag.* 1.

Digitized by Google

Quatuor res illae neceſſariae & immutabiles ſunt: *primo*, tranſmigratio, cui ſubiiciuntur omnes homines, & omnia animantia, quae ab interno quodam ſpirituali principio moventur. Atque haec tranſmigratio ex ſententia huius Talapoini ita neceſſaria eſt, ut ſine ea *Niban*, hoc eſt, gloria aeterna & perfecta obtineri nequeat. Idem docent Brahmanes, & Samanaei Indici. *Secundo*, res altera neceſſaria, eſt exuſtio ſeu abolitio concupiſcentiae, qua omnes creaturae animatae ita infectae ſunt, ut ipſis, velint, nolint, certa quaedam concupiſcentiae labes adhaereſcat ex uſu rerum terreſtrium, quae labes tranſmigratione, & poenitentia eſt expianda. Haec itaque concupiſcentia tranſmigrationis animarum principium & cauſſa eſt ex ſententia huius Talapoini.

Quemadmodum igitur Chriſippus in tract. de *Providentia* naturam humanam ſanctam, & perfectam, peccatum vero naturae defectum eſſe aiebat, qui defectus praeter naturae intentionem ſequatur, ita Samanaei, & cum his Talapoini animam quidem in ſe ſanctam, & perfectam eſſe cenſent, ſed corporeorum ſenſuum adhaeſione ad res terreſtres coinquinari dicunt, ex quo fit, ut anima contracta labe, tranſmigratione & poenis purgari debeat. Quare Samanaei obiecta animam a contemplatione Dei alienantia & diſtrahentia, ac cumprimis motus animi iram, cupiditatem, ſuperbiam, avaritiam, *Dvishendriam*, hoc eſt, animae & ſenſuum internorum inimicos appellant. *Dvil* inimicus, *indriam* ſenſus, unde exurgit dictio *Dvishendriam*, ſenſuum inimici. Vide Syſtema Brahmanicum pag. 58. *de 4. praecipuis Brahmanicis inſtitutis*. Nihil itaque certius exploratiuſque eſt, quam ab his philoſophis animae immortalitatem doceri, utpote quae tranſmigrationis poenae ſubiecta ſit, neque gloriam adipiſci queat, quouſque perfecte purgata non ſit. *Pythagoras & Plato, ratione praeditam partem* (animae) *non interire: eſſe animam quippe non deum, ſed opificium aeterni dei. Brutam eſſe obnoxiam interitui*. Plutarch. de placitis Philoſoph. l.4. cap. 7. *Indorum videamus ſapientiae profeſſores, illi enim cum ſint boni viri, vitae quidem tempus, quaſi quoddam neceſſarium naturae munus inviti ſuſtinent; praeparant autem animos corporibus ſol-*

vere

vere propter immortalis converſationis deſiderium .... *ita certam veramque animis eſſe inter ſe conſuetudinem credidere*. Ioſeph de bello Iudaico. *lib.* 7. *pag.* 867. Confer Strab. *lib.* 15. Porphyr. *lib.* 4. *de abſtinentia*. *Tertia* res immutabilis & neceſſaria eſt *Niban*, nempe ille ſtatus animae, in quo iam a concupiſcentia, atque a poena tranſmigrationis immunis, anima pati deſinit, ac deo ipſi coniungitur, id quod Talapoinis *Niban* (1), Brahmanibus & Samanaeis *mokſham* ſeu beatitudo dicitur. Vide Amaraſinha ſect. *Dhívargga*, in qua *beatitudo* ita definitur: *Anugula*, quies, felicitas, *Deivada* divinitas, *Adisbtam*, a quavis neceſſitate exemptio, *Bhâguia* felicitas, *vidhi*, optimum fatum, optimus eventus. *Quarta* res immutabilis & neceſſaria, eſt ipſe hic ſtatus perfectionis animae Deo unitae, qui ſtatus ex unione illa fit immutabilis & neceſſarius, ita ut anima eum amittere non poſſit. Ab his igitur quatuor animae ſtatibus Deus immunis eſt, cum ſit natura ſua impeccabilis, atque hos 4. ſtatus ipſe ſcientia infuſa cognoſcit, id quod ait Talapoinus.

Sex illae facultates quarum meminit Talapoinus, ſunt: I Dominium, quod Deus exercet in omnes res animatas, ac cumprimis in homines legem certam eis praeſcribendo. II. dominium & facultas, qua deus aſſignat animantibus certos limites & qualitates ad bona opera, quos fines animantia tranſilire nequeunt, id quod fatum, ac neceſſitatem quamdam olet. III. facultas ſanctificandi ſequaces & imitatores dei dum hi vita fruuntur, non autem poſt mortem. IV. donum miraculorum. V. omnipotentia. VI. impeccabilitas. Acriter & diligenter heic animadvertendum eſt, ſcientiam illam infuſam, de qua ſupra, ac ſex iſtas facultates a Talapoinis & Samanaeis, *Godamae* deo attribui. Godama Mercurius *Nomius* heic palam & aperte confunditur cum Mercurio *Budha*, qui eſt mens & conſiliarius,

 Dher-

(1) *Niban* vocabulum apud Avenſes et Peguanos in uſu, corruptio eſt vocabnli Samſcrdamici *nirvána*, quod gloriam caeleſtem ſignificat. Vide Amaraſinha ſect. *dhívarga* ſub voce *mokſham*, *mukti* gloria, beatitudo. *Guna* utilitas, bonitas, *nirguna* inutilitas. *Bhaya* metus, timor, *nirbhaya* intrepiditas. *Vána* patiendi agendique ſtatus, *nirvána* inactio, impaſſibilitas. R. P. Erneſtus Hanxleden ſcribit, *niryána*, exitus ex vita, obitus, in gloriam caeleſtem ingreſſus. Itaque *Niban* et *Neiban* a Mantegatio et P. Ioſepho ab Amato. atque ab ipſo Talapoino in lingua *Palica* deſcriptum, corruptio eſt *Palica* ex Samſcrdamica lingua deſcendens.

Dhermaràgla ſeu bonorum operum rex & meditationis ac philoſophiae inſtitutor. Huic Budhae, Thot, Buth, Wod, Oden, Budd, Fò, Pout, aut quocumque alio corrupto vocabulo eum voces, vocabularium Brahmanicum Amaraſinha ſect. *Sorggavargga* ſub voce *Budha*, omniſcentiam, rerum abdicationem, mentis aciem, bonorum operum inſtitutionem, concupiſcentiae victoriam, mundi victoriam, ſex ſcientias, philoſophiae ac contemplationis inſtitutionem, eloquentiam ac veracitatem, decem denique facultates ſeu potentias adſcribit, quarum ſex tantum philoſophus iſte Talapoinus Avenſis enumerat. Vide cognomina ſacra Budhae Mercurii in Syſtemate Brahmanico *p.* 155. Iam itaque palam & aperte patet, Peguanos Talapoinos Mercurio iſti Budhae ſupremum cultum tribuere; iam ineluctabili rationis & argumentorum vi demonſtratum, certum, atque exploratum eſt, Samanaeos illos Indicos & Peguanos Talapoinos unius inſtituti homines eſſe, Budhae aſſeclas, philoſophos & contemplatores Indicos antiquiſſimos non deum ſupremum illud numen per ſe exiſtens ab omni fabularum congerie immune & ſecretum, ſed Deum ens ſupremum ſub forma Mercurii, Mercuriumque Dei, ut aiunt, Vicarium variis illis facultatibus exornatum adorare. Iam perſpicuum & apertum eſt, Budham, & Godamam non eſſe Ieſum Chriſtum, non eſſe Manetem aut Manetis diſcipulum, non eſſe Noe aut Enoch Patriarcham, non eſſe regem verum & phyſicum, ſed eſſe Mercurium numen fictitium, allegoricum, & quidem ab aſtris deductum, id quod in Syſtemate Brahmanico docuimus. Ex his etiam liquido colligitur, quaenam ſit Budhiſticae religionis & contemplationis baſis, quae principia, quis eius inſtitutor fictitius, quis Fohi, quis Godama, qui denique ſint etiam Sinenſes & Iapponenſes Budhiſtae. (1) Ex hac cauſſa deus Budha, Godama, Shakya, Sa-

(1) *La religione de Talapoini non è che una Setta dell' antichiſſima religione Indiana o ſia de' Bramini: queſta ſuſiſte tuttavia da per tutto l' Indoſtano, e nell' Iſola di Candi* (Ceylan): *ma quella de Talapoini, ovvero de Bonzi, giacchè fra queſti e quelli non ha quaſi altra differenza che quella dell' abito; oltre ad una parte dell' Iſola di Candi o Ceylano, occupa tutta l' India al di là del Gange, e del golfo di Bengala, il Tibet, ed una parte della Tartaria, tutta la Cina, e l' Iſole di Giappone. Queſta Setta* (non Brahmanum,

Digitized by Google

Samanaſſa, id eſt *genius bonae voluntatis*, apud Indos, Tibetanos, Peguanos, Avenſes, Siamenſes, & Fohi apud Sinenſes facie intenta, oculis demiſſis ac defixis, mente meditabunda ac cogitationibus plena ſtans aut ſedens exhibetur. Apud Sinenſes quidem involucrum papyraceum doctrinae ac magiſterii ſymbolum ambabus manibus ante faciem tenens ac inſpiciens; apud Iapponenſes coronam manu geſtans; apud Siamenſes, Indos & Tibetanos vola manus ad faciem obverſa more inter eos ſolito, meditans repraeſentatur. Quae omnia etiam externo geſtu contemplationis, ſcientiarum, philoſophiae, legum inſtitutionem, & deos colendi ritum ab eo inſtitutum ſignificant, atque exprimunt. Nec mirum, ſi Aegyptii aliique eum ſaepe ſub alia forma exhibeant, cum ſub omnibus formis & attributis in vocabulario *Amaraſinha* deſcriptis coli poſſit, & revera colatur, id quod libri huius αὐθεντίαν ac antiquitatem aperte demonſtrat. Vide novem ſimulacra Budhae, Godamae & Fohi Sinenſis in Muſeo Borgiano Velitris exſtantia. Confer icones eius in Pivatio *tom.* 8., Cartari, Montefalconium, Stooſch, Court de Gebelin, alioſque. De contemplatione, libris, & aſceteriis Budhiſtarum ſeu Samanaeorum Indicorum, qui praeter nomina varia ſupra explicata ipſis a variis officiis, actionibuſque inhaerentia, etiam nomen യോഗി yogui *in communitate viventes* a യോഗം yògam *communitas*, gerunt

num, ſed Samaneorum) *benchè affatto purgata dalle laidezze, ed abbominevoli inſtituzioni de' Bramini, ne conſerva però i medeſimi cardini o fondamenti, il fataliſmo, e la transmigrazione: Ella non ha potuto non variare de' riti, e di dogmi, ſecondo i varj paeſi, ne' quali di mano in mano è penetrata, ma i Tibetani l' hanno più degl'altri caricata di favole, e d'invenzioni, ed è fra loro, ch' ella ha fondato da molti ſecoli il ſuo trono, e i loro gran Lamà, o ſupremi Pontefici non ſolamente regnarono lungamente ſopra tutto il Tibet; ma furono adorati da gran parte dell' Impero Cineſe, allorchè vi dominavano i Mongali; e ſono adorati tutta via da innumerevoli borde o tribù di Tartari independenti. Gl' Indiani però e particolarmente i Barmani* (Avenſes & Peguani) *non hanno mai ſaputo neppur che il Lamà eſiſteſſe: fra queſti il Talapoiniſmo ſi è introdotto più tardi, e conſervato più ſemplice; e del tutto conforme a quel di Ceilano*. D. Mantegatius Epiſcopus Maximianopolitanus regni Ava et Pegu Vic. Apoſt. in opere mss. *Dialoghi tra un Khien* &c., num. IV. inter cod. Peguanos Borgianos, *pag.* 2. *in praef.*

Digitized by Google

runt (1), confer Anquetilii Recherches Hiſtoriques & geographiques *tom. 2. pag. 579. & ſeq. uſque ad finem*. Librum indicum *Mulpanci* a P. Marco a Tumba in linguam Italicam converſum num. V., librum *Argiunguita* num. IV., & librum *Dhermashâſtra* num. III. inter codices Indoſtanos in Muſeo Borgiano exſtantem. P. Pons, *Lett. Edifiant. tom. 26. pag.* 252. 255. Aſiatick reſearches *tom. 1.* §. 18. *pag.* 340. *& ſeq.* De Budhiſtis ſeu Samanaeis Avenſibus & Peguanis vide D. Mantegatii *Dialoghi tra un Kien ſelvaggio ed. un Siameſe ex Talapoino*, num. IV. inter cod. Peguanos in Muſeo Borgiano, & de Budhiſtis Sinenſibus ex relationibus Du Haldi, Martini, Trigaulti, vide de Paw, *Recherches philoſophiques ſur les Egyptiens & les Chinois* tom. 2. ſect. 8. pag. 175. & ſeq. *De la religion des Chinois*. Raynaldi, *Proſpetto dell' Aſia, dell' Affrica, e dell' America*, tom. 1. in Venezia, 1788. *pag.* 231. Renaudot, *Anciennes relations des Indes & de la Chine*, pag. 345. & ſeq. ac pag. 367., ubi ait: *les perſonages ſerieux qu' ils* (Sinenſes) *introduiſſent* (in ſuis libris) *pour leur faire dire des ſentences, ſont des Bramines, ou anciens Brachmanes Indiens, & jamais de Chinois*. Ubi animadvertas Samanaeos, aliquos ſacros religionis libros Budhae conſecrare, ſub nomine ipſius ad populum proferre, eius nomini inſcribe-

(1) Hi ipſi, *Samanaei*, id eſt *vigilantes*, ſive a vigiliis nocturnis, ſive a legum obſervantia, vigilantia, et meditatione, ſive allegorice *vigilantes* dicti ſunt, quod Mercurius, quem ſuum inſtitutorem profitentur & colunt, vigilans ſit et paſtor allegoricus, quia ipſe vigilantia ſua errantes vaccas paſcit; unde ipſe paſtorum deus dictus fuit. In regno Ava et Pegu ac in tota India hi philoſophi etiam *Gòſvámi* vel *Gòvámſvámi* id eſt *vaccarum domini* dicuntur. *Go* vacca, in genitivo Samſcrdamico plurali *Gòvám*. *Svámi* dominus, unde fit *Gòvámſvámi* vaccarum dominus. Mercurius Samſcrdamicae vocatur *Gòdama*, id eſt vaccarum paſtor, vaccarum rex, vaccarum dives; a numine itaque *Gòdama*, pariter hi Samanaei appellantur *Gòvámſvámi*, vel contractius *Goſvámi*. Vocabulum *Goſvámi* multi linguae Indicae imperiti corrupte ſcribunt *Guſen*, *Goſen*, *Goſami*. Ex hac etymologiarum imperitia, atque vocabulorum perverſione etiam omnis Indicae mythologiae & hiſtoriae everſio exorta eſt. *Rectiſſime apud philoſophos dicitur, qui vocabula non diſcant recte intelligere, eos etiam de rebus ipſis falli*. Plutarchus lib. de Iſide *pag* 366. *edit Pariſ.* 1572. Ex his igitur etymologiis ſequitur: Samanaeos iſtos non eſſe Manichaeos aut Valentinianos, Godamam non eſſe Manetem aut Ieſum Manichaeorum; id quod in Alphabeto Tibetano magna contentione docetur. Vide num. II. inter codices S. Cong. de Prop. Fide R. P. Hanxleden grammaticam Grandonicam *in Syntaxi pag.* 2.

Digitized by Google

bere ; quem morem ſecutus eſt Talapoinus noſter, qui in fronte ſui libri *Godamam* Mercurium adorat. Ita Aegyptii Philoſophi libros ſuos Mercurio, Thot, ſeu Hermae (Dhermae) inſcribebant, eiuſque nomine ad populum proferebant. Vide de Paw, *tom.* 2. *pag.* 161.

Poſtquam Talapoinus Avenſis in exordio ſermonis dei Godamae proprietates deſcripſerat, ita proſequitur. *Si deve in primo luogo oſſervare come per eccellente* (1) *mondo attualmente eſiſtente, quello ſpazio poſto nel gran circolo con in mezzo la ſua montagna Meru ed i ſuoi freddi mari con i ſette cerchi di monti: il grand oceano con le* 4. *grandi iſole, e la gran maſſa di terra ſottopoſta* (2). *In queſto eccellente mondo eſſendo gia nati ed entrati al Niban i quattro dei Cauçiaſan, Gonagoun, Caſſapa, e Godama, ſi domanda ora di qual di queſti c'è ſtata data la preſente legge? Di queſti quattro dei già fioriti, la preſente legge è quella, che fu data e predicata dall' ultimo nato Godama. Ora di Godama coſa n'è? Godama fatto dio nell' età di* 36. *anni non compiti dopo aver predicato per* 45. *anni la legge a tutti gli eſſeri viventi, e diſpenſato l' eterna ſalute finalmente nell' età di ottanta anni entrò nel Niban, e perciò nel preſente anno* 1124. *della noſtra era ſono già* 2306. *da che Godama è entrato nel Niban*. *Pag.* 3. Godama praecipit, ut ſimulacrum Godamae quinque mille annis, quibus lex ipſius in hoc mundo ſubſiſtet, ſequaces eius adorent. *pag.* 5. 6. 7. & ſeq. Talapoinus multa tradit de monte Meru, de Niban, de bonis maliſque operibus, de tranſmigratione animarum,

(1) Mundus hic excellens dicitur, quia lucem tribuit quinque diis. Animadverſio P. Ioſeph ab Amato ſub nota (*e*).

(2) Mons Meru etiam fabuloſis Graecorum carminibus celebris in quo Bacchum ex femore Iovis natum fuiſſe fabulantur, ab his philoſophis fabulatoribus Indis in medio mundi ſitus eſſe dicitur, ut fortitudine ſua caelum terramque inter ſe quaſi colligatam teneat. In hoc monte Meru, qui eſt *Himala* ſeu *Imeja* Graecorum, Solem, Lunam, Mercurium, Venerem, Iovem, Martem, Saturnum reliquoſque deos habitare, deum Ens Supremum contemplari, ex uno corpore (cum genii ſint) in aliud tranſmigrare, inde delapſos humana corpora aſſumere, hominumque vitam inſpicere, Indi, Peguani, Tibetani et Sinenſes comminiſcuntur. Vide Syſtema Brahmanicum *pag.* 129. *et ſeq.* Item, Examen crit. des hiſt. d' Alex. *pag.* 241. *&c.* 312. *&c.* Vide etiam Abb. Mignot, *Acad. des Inſcript. tom.* XXXI. *pag.* 248. P. Marcum a Tumba in cod. mss. in fol. pag. 152. *del modo con cui gl' Indiani ſi figurano il mondo*. Exſtat in muſeo Borgiano.

Digitized by Google

rum, ac denique omnes gentes ſibi cognitas ad amplectendam Godamae legem invitat.

Priuſquam huius Talapoini textum illuſtremus, pauca ſunt praemittenda. Liber Brahmanicus *Amaraſinha* incipit ab ipſo nomine caeli ſeu paradiſi caeleſtis. സ്വൎഗ്ഗ ſuargga, നാകം nágá *caelum gentilicum*. Secundo, affert nomina geniorum generica: *immortales*, *non ſeneſcentes*, *beati*, *genii bonae voluntatis* ſeu *angeli*, *lucidi*, *intellectu pleni*, *in principio exiſtentes &c.* Tertio, deſcribit varias larvas & daemonas. Hi vocantur: *Rudrá*, flere facientes, *Gubyagá* ſpeluncarum dii, *Apſará* nymphae, *Bhudá* larvae noctu vagantes, *Kinará* muſici caeleſtes, *Takshá* theſaurorum cuſtodes, *Pisháſá* diaboli. Sequuntur gigantes *aſura* dicti, qui in aere verſantur, Veneris planetae diſcipuli eſſe dicuntur, & deae *Didi* filii ſunt. Alii dii patrem habent കശ്യപ *Cashyapa*, quod vocabulum alii ſcriptores corrupte ſcribunt *Caſſiopa*, *Caſſiope*, *Caſſapa*, & Galli *Koshiapa*, vel etiam curruptius *Kochiopo*. Vide l'Ezourvedam, *tom.* 2. *pag.* 108. Hic Cashyapa contemplator duas habuit uxores, quarum una *Didi* ſupradicta, quae genuit malos genios ſeu gigantes. Secunda uxor erat *Adidi*, quae genuit bonos deos eoſque immortales. Hi inter ſe bella geſſerunt. Pleraque bonorum deorum nomina Brahmanes in ſacrificio *yágam*, quod planetis offerunt, recitant. Bonorum horum deorum magiſter erat *Iupiter* planeta, quemadmodum gigantum magiſterium obtinebat Venus planeta, apud Brahmanes non femina ſed maſculus. Cashyapa, Iupiter, Venus, Mercurius, Saturnus, Mars, aliaque nonnulla aſtra, muni, ideſt, ſilentiarii contemplatores, deorum hominumque magiſtri apud Indos, Tibetanos & Peguanos eſſe creduntur, & ut tales exhibentur. Theogonia itaque Indorum incipit a geniis, & hos genios attribunt etiam aſtris, quia aſtra non niſi a geniis moveri poſſe exiſtimabant. En quomodo *Amaraſinha* deſcribat Iovem. ബൃഹസ്പതി Brhaſpadi *vaſti corporis dominus*, quia Iupiter planeta Venere & Mercurio maior eſt, ഗുരു guru *magiſter*,

giſter, bonorum nempe geniorum praeceptor, ജീവകഃ gívá *ſator*, quia planetae virtute ſua in terreſtria influere creduntur, unde in fabulis Indicis Iupiter & Venus virtute ſua ſaepe mortuos, aut a gigantibus diſcerptos reſuſcitaſſe dicuntur: ശിഷ്പതി shishpadi *humiditatis dominus*, *frigidus*, ആംഗിരസഃ anguiraſa *circulo atmoſphaerae cinctus*, വാചസ്പതി vaciaſpadi *elocutionis dominus*, loquelam tribuens. Ciceroni *lib.* 2. *de nat. deor. pag.* 221. φαέθων dicitur. Et Horat. lib. 1. ode I. *Manet ſub Iove frigido venator, tenerae coniugis immemor*. Iuvenalis, *fremeret ſaeva cum grandine vernus Iupiter*. Iovis filia erat *Devayáni*, Veneris filius *Kacen* qui in nemore, nempe in caeli latifundio jocari ac colludere, gigantes vexare, aliaque facere finguntur in libro *Sambhava*. Confer Hygini Poëticon Aſtronomicon *pag.* 418. *& ſeq.* de ſignorum caeleſtium hiſtoriis. *Alii caelorum contemplatione decepti ſunt, & ſolos oculos in conſilium aſſummentes, conſpectis aſtrorum motibus ſtatim admiratione capti, illa in numerum deorum retulerunt, & deos a curſu nominarunt, hinc Indi* (N.B.) *Soli, Phryges Lunae divinos bonores tribuerunt*. Clemens Alex. cohort. ad gent. *pag.* 22. *edit. Venet.* Et iterum de Samanaeis Strom. lib. 2. pag. 539. *Videntur* (Samanaei) *obſervare caeleſtia, & per eorum ſignificationem quaedam futura praedicere*. Sonnerat, tom. 2. lib. 3. pag. 35. *Les Brames aſtronomes calculent le cours de la lune, & des planétes, & ils fabriquent les Panjangams ou Almanachs, ils parviennent auſſi a calculer promptement & avec exactitude les eclypſes, au moyen de formules qui y ſont renfermées en vers enigmatiques*. Verſus hi aenigmatici nihil aliud ſunt, quam *Shloga* ſeu Samſcrdamicae ſententiae, de quibus egimus in examine codicum Indicorum. Has a veteribus Samanaeis ſeu Brahmanibus acceptas conſervant hodierni Brahmanes, & iis inſpectis aſtrorum curſum ſcrutantur atque definiunt (1). Quod ſi igitur veteres Brahmanes &

 Sa-

(1) Confer, Le Gentil, *Voyage dans les mers des Indes*, tom. 1. p. 231. 353. *Memoire ſur la conformité ou la reſſemblance de l'Aſtronomie des Brames de nos jours avec celle des anciens Chaldeens*. Walther, *doctrina temporum*

Samanaei aſtronomiae erant periti, ut id fatetur Strabo, Arrianus, Q. Curtius, D'Anville (1), anne plus laboris conſtabat, hos ipſos planetas ſuis fictionibus exornare, genios eis affingere, magiſterium, ſcientias, connubia, legum inſtitutionem, humanarum rerum inſpectionem, contemplationis ſcientiam, humana denique inſtituta fere omnia eiſdem attribuere? Hoc legibus pondus & auctoritatem addebat, hoc populum in deorum & legum venerationem pelliciebat, hoc populi imbecillitati accommodum erat. Quare plures ſcimus legislatores & philoſophos in cavernis & ſpeluncis prius delituiſſe, quam populo leges annunciarent, ac velut a diis acceptas proponerent. Vide Orig. contra Celſum *lib.* 2. *pag.* 440. & *lib.* 3. *pag.* 451. Quare ſacer textus diſtinctis verbis prohibet, ne Iſraelitae ad aſtrorum cultum convertantur, non ſane ob aliam cauſſam, quam quod deos, genioſque in iis exiſtere, eaque regere creditu facillimum eſſet. *Cum reperti fuerint apud te vir aut*

rum Indica, pag. 153. ad calcem hiſtoriae regni Bactriani a Bayero editae. Bailly, *tom.* 1. *p.* 78. Sonnerat, tom. 2. cap. 11. pag. 176. *Syſtème des Indiens ſur la durée du Monde*. P. Conſtantinus ab Aſculo, *Notizie laconiche di alcuni uſi, ſacrifizi ed idoli nel regno di Nepal*, num XXXII. inter codices Indicos S. Congr. de Prop. Fide *ad fig.* 48. 49. 51. 52. 53. 54. 55. Haec omnia naſo ſuſpendi vellet cenſor noſter, qui cognitionem aſtronomiae Indis abiudicat. *Beata Indorum gens, quae ſine teleſcopiis, ſine Hiparchi, Tichonis, Kepleri obſervationibus, perfectum aſtronomiae ſyſtema domi habent e caelis inter reges ſuos in terram delápſum!* Cenſor in reliquiis actorum S. M. Raneſrui, pag. 280. Sed numquid Graeci, numquid Manichaei, numquid Valentiniani a quibus cenſor Brahmanicam religionem deducit, perfectum aſtronomiae ſyſtema domi habent e caelis delapſum? Vide commenta Graecorum Philoſophorum apud Plutarch. *de placitis Philoſ. lib.* 2. Numquid ad obſervandas eclypſes, aliaque prima aſtrorum & naturae phoenomena teleſcopiis opus eſt? Numquid fabulae Graecorum, Manichaeorum, Valentinianorum quas affert cenſor, veriores ſunt fabulis Indicis? Numquid aſtronomiae peritia Brahmanibus antiquis & hodiernis abneganda eſt, ut fabulae Manichaeorum et Valentinianorum quas Brahmanibus affingit cenſor, locum habeant? *Chryſippus ſaepenumero expoſitis, quibus ipſe movetur rationibus, relegat nos ad alios, ſi forte poſſimus invenire aliquos, differentes eo melius*. Orig. contra Celſ. *lib.* 1. *pag.* 423. Cenſor noſter Valentinianas fabellas venditat, ut tollat Indicas, vocabula Indica intricat, doctrinam pervertit, Indos damnat ut Graecos abſolvat. *Quid tam temerarium, tamque indignum ſapientis gravitate atque conſtantia, quam aut falſum ſentire, aut quod non ſatis explorate perceptum ſit, et cognitum, ſine ulla dubitatione defendere?* Cicero de nat. Deor. *lib.* 1. *pag.* 195.

(1) Strabo *lib.* 15. ex Megaſthene et Nearcho. Arrianus *in Indicis*. Q Curt. *lib.* 8. *cap.* 17. D'Anville, *Geographie ancienne abregée*, tom. 2. pag. 340.

aut mulier, qui faciant malum ... ut vadant & ſerviant diis alienis & adorent eos; ſolem & lunam & omnem militiam caeli ... educes virum ac mulierem, qui rem ſceleratiſſimam perpetrarunt, ad portas civitatis tuae & lapidibus obruantur. Deut. c. 17. v. 2. 3. 4. 5. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quae eſt in caelo deſuper, & quae in terra deorſum, nec eorum quae ſunt in aquis ſub terra*. Exod. cap. 20. v. 3. 4. *Ne forte elevatis oculis ad caelum, videas ſolem & lunam, & omnia aſtra caeli, & errore deceptus adores & colas, quae creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus quae ſub caelo ſunt*. Deut. cap. 4. v. 19. *Non potuerunt intelligere eum qui eſt, neque ex operibus attendentes, agnoverunt quis eſſet artifex, ſed aut ignem, aut ſpiritum, aut citatum aerem, aut gyrum ſtellarum, aut nimiam aquam, aut ſolem & lunam, rectores orbis terrarum deos putaverunt*. Sap. c. 13. v. 1. 2. Quid ad haec reponet noſter cenſor, qui philoſophorum in hac re auctoritates faſtidit, & interpretationes noſtras, quibus pleroſque Indicos deos ad aſtra & ad naturae phoenomena retulimus, Attico lepore *recens nocturnarum tenebrarum involucrum* appellat? Vide in reliquiis actor. S.M. Paneſniv. *pag.* 280. Quid reſpondet ſacrae ſcripturae cenſor noſter qui omnes gentilium deos homines fuiſſe defendit? Quid *ſophiſtae* Indico reggeret Theologus ipſe, qui ut Indos Valentinianos eſſe oſtendat, in actis Martyrum de colore Indicorum deorum diſputat, atque errores erroribus accumulat, nulla habita Indicorum librorum, monumentorum, linguae, philoſophiae Indicae ratione? *Videtiſne ut a phyſicis rebus, bene atque utiliter inventis tractaratio ſit ad commentitios & fictos deos? quae res genuit falſas opiniones, erroreſque turbulentos & ſuperſtitiones pene aniles. Et formae enim nobis deorum, & aetates, & veſtitus, ornatuſque noti ſunt, genera praeterea, coniugia, cognationes, omniaque traducta ad ſimilitudinem imbecillitatis humanae* (1). Cicero *lib.* 2. *de nat.*

(1) R.P. Conſtantinus ab Aſculo Miſſionarius Indicus in *cod. mss.* biblioth. S. Congr. *num.* XXXII. non tantum ſolis et lunae, ſed etiam Mercurii, Veneris, Martis, Iovis, Saturni aliorumque Indicorum deorum imagines vivis coloribus a Nepalenſi Indo expreſſas affert ſub ea forma, ſub qua in regno Nepal adorantur. Anati inſidet dea luna albo colore expreſſa. Vide *fig.* 49. Tauro vehitur Mars facie rubea, Mercurius leoni inſidet facie flava, Iupiter facie exhibe- [illegible] tur

deor. pag. 224. Non ignoro Arnobium, Iuſtinum, Euſebium, Lactantium dum cum gentilibus agebant, hoc mente intenta, & omni conatu adlaboraſſe, ut omnes gentium deos homines eſſe oſtenderent. Vide Lactant. *lib.* 1. *div. inſt. c.* 15. Bergier, *Origine du Paganiſme*, tom. 1. in praef. Court de Gebelin, *Genie Allegorique des Anciens*, tom. 2. §. 5. *Sentimens des Peres de l' Egliſe*. Sed aequo animo ſit cenſor ſi ex eo quaero: Quid Patres hi evincere volebant? Quis ſcriptionis contra gentiles finis, quod propoſitum erat? Nonne demonſtrare volebant, gentium deos non eſſe veros deos, ſed homines, ac proinde contemnendos, inopes, mortales, improbos, cultu indignos. Suapte natura ſequitur in hac argumentatione iſta concluſio: *Homo es, ergo non es deus, ergo non es adorandus*. Haec propoſitio recte demonſtrata, deos e medio tollit; quis enim adoret ſibi ſimilem, miſerum, improbum, mortalem? Quo pacto homines iſti dei, beati, aeterni, ſancti, incommutabiles eſſe poſſunt? *Hunc cenſes, primis, ut dicitur, labris guſtaſſe phyſiologiam, qui quidquam, quod ortum ſit, putet aeternum eſſe poſſe*? Cicero de natura deor. *lib.* 1. *pag.* 198. & ſupra dixit: *Sin dii neque poſſunt nos iuvare, nec volunt, nec animo curant*, adde, ſi ipſi aeterni, beati, ſancti non ſunt; *quid eſt, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus*? Sublata ergo in diis hominibus, quin etiam in aſtris aeternitate, beatitudine, cura, iuvandi potentia, ſanctitate, ſuapte natura ſequebatur, deos illos homines non eſſe deos, ac proinde non eſſe colendos; id quod adverſus gentiles demonſtrare voluit Lactantius & Arnobius. Sed an hi ſcriptores ab antiquis aſtra culta fuiſſe negant? Cenſor noſter purgatis oculis, intenta mentis acie eos adhuc ſemel inſpiciat, videat Euſebium *praep. Evang. l.* 3. §. 2. *pag.* 87. item *lib.* 1. §. 9. *pag.* 28., Clementem Alex. *loco ſupracitato*, Origenem *cont. Celſ. lib.* 6. *pag.* 517. & in Philoc. *cap.* 23. *pag.* 42. Deinde, de quibus diis, & quo ſeculo loquuntur Arnobius & Lactantius? Anne de diis Indicis? An de

Per-

tur flava, Venus elephanto vehitur facie flava, Saturnus gallo inſidet facie et corpore fuſco. Vide *fig.* 50. 51. 52. 53. 54. His iconibus inſpectis, cenſor noſter neget, ſi poteſt, ab Indis planetas coli, planetarum cultum in ſimulacra tranſmigraſſe, idola pleraque aſtrorum ac partium naturae ſimilitudines eſſe.

Digitized by Google

Perſicis ? Nonne de Graecis & Romanis ? Nonne ſeculo tertio, quo aſtrorum cultus exoleverat, quo mythologia Graeca iam vitiata erat, quo primaevi cultus vix aliqua notio exſtabat ? Nonne illis ſeculis quibus Romae omnia adventitia numina colebantur, quibus ſimulacrorum uſus in toto fere orbe terrarum Sabaiſmo ſucceſſerat ? Confer Euſebium, Bergier, Court de Gebelin, *locis citatis*, & apud hunc ultimum, auctoritates ſententiaſque pro Sabaiſmo & allegoriis ſtantes Baconis, Blackwelli, Baſnagi, Abbatis Conti, Gali, Alexandri ab Alexandro, Mignotii, Budaei, Huetii, Ioannis Clerici, Macrobii, aliorumque. *Si qui* (homines) *faſtu elati, & ut Plato ait ſimul iuventute & inſcitia animis inflammatis per laſciviam deorum cognomina acceperunt, ac templa ſibi poni voluerunt: eorum gloria brevi floruit tempore. Deinde praeter vanitatem & arrogantiam impietatis etiam ac iniuſtitiae culpam ſuſtinentes*

Evolitaverunt tenues ceu fumus in auras
Praepete ſurrepti fato.

Et nunc tamquam fugitivi ſervi, in quos ius abducendi eſt dominis, avulſi a templis & aris, nihil praeter monumenta, & ſepulcra habent. Plutarchus de Iſide *pag.* 352. Quare ſtoici aliique philoſophi aſtra, naturae varias partes, naturae phoenomena, deos eſſe docebant, & inter hos Thales, Anaximander, Anaximanes, Crotoniates, Parmenides, Diogenes, Xenocrates, Heraclides, Theophraſtus, Zeno. Vide Cicer. *lib.* 1. *de nat. deor. pag.* 199. 200. 201. Mihi permoleſtam, cenſori viro alioquin doctiſſimo ingratam, lectori faſtidio plenam rem egi tam longe excurrendo, ſed neceſſarium erat, ne cenſor nobis in ſequentibus fucum facere ac Indicas res denuo intricare poſſit.

Diſcuſſa iam Indicorum deorum origine, involucro aperto, allegoriis detectis, iam facilis ad illuſtrandum Talapoini Avenſis locum datur acceſſus. Dum is Avenſem ſacram legem a Godama allatam ac praedicatam fuiſſe docet, mens eſt, Godamam genium, id eſt, Mercurium, qui, ut reliqui planetae, magiſter eſt ac doctor, praecepta religionis Talapoinorum in Indiam ac inde in Ava & Pegu attuliſſe, ac ibidem evulgaſſe. Hoc de ſuo Mercurio credidere Phoenices, Aegyptii, Indi,

Digitized by Google

Tartari, Tibetani, Sinenſes, Iapponenſes (1). Tres dii ante Godamam praedicaſſe dicuntur, & horum unus eſt കാശ്യപഃ Cashyapa, aſtrum, genius, monachus, & doctor, ut genii, monachi, & doctores ſunt planetae, Iupiter, Mercurius, Saturnus, Venus, quos Indi hodiedum contemplatores, ſacerdotes, ac philoſophos fuiſſe credunt. Vide *Notizie laconiche* P. Conſtantini ab Aſculo *loco ſopra citato*. Ultimus ad praedicandum veniſſe fingitur Godama Mercurius, qui, ut ex libro Peguano *Kammuva* aſſerit eius interpres, 999. tranſmigrationibus exactis, honeſtae & decorae vitae praecepta in hunc mundum attulit (2). Difficultas inſurgit in haec Talapoini verba: *nel preſente anno* 1124 *della*

(1) Euſeb. *praep. Evang. lib.* 1. §. 9. *pag.* 30. 31. 34 40. Diod. Sic. *rer. ant. lib.* 1. *pag.* 9. Plato apud Euſeb. & in Philebo: *Vocem* (Thamus Aegypti rex) *infinitam animadvertit*, *ſive deus aliquis*, *ſive divinus homo*, *veluti fama refert*, *huiuſmodi hominem nomine Theut in Aegypto exſtitiſſe*. Teut, Thot, vel Toth vocabulum corruptum eſſe ab Indico *Budh* ſeu *Budha*, mens, conſiliarius, bonus genius, in Syſt. Brahmanico oſtendimus *pag.* 156. Confer Clem. Alex. *lib.* 1. *Strom. pag.* 359. de Budha ab Indis adorato, ac ex virgine hoc eſt ex *Maya* dea nato. De Tartaris Calmukis vide Strahlenberg, *deſcription hiſtorique de l' empire Ruſſien*, tom. 2. p. 170. *Ils* (Calmuki) *pretendent que Xacamuni*, id eſt Shakya monachus doctor contemplator Mercurius, *a regné dans les Indes il ya* 4000. *ans*, *et qu'a cauſe de ſa ſainteté il eſt monté vivant au ciel*. *L'un de ces fils nomé* Arend-ſur *tranſporta la foi des Indes dans le Tibet*. Sinenſes *Fohi* deum ſuum in India & quidem in regno *Cashimir* natum eſſe dicunt. Tibetani in urbe Caſſi ſeu *Benares* ortum fuiſſe comminiſcuntur, & Peguani eum ex inſula *Ceylan* deducunt. Vide la Loubere, *du royaume de Siam*, tom. 1. cap. 24. item *tom.* 1. *pag.* 525. Ribeiro, *Hiſt. Ceylan pag.* 113. Aſiatick reſearches *tom.* 1. *pag.* 159. *& ſeq.* Contemptis vulgi fabulis localibus, & cuique regno peculiaribus, quis non videt Mercurium omnibus gentibus legem ſuam praedicaſſe, quis non cernit, numen allegoricum eſſe, quis non perſpicit Mercurium ab omnibus gentibus in inſtitutorem ſuarum legum aſſumptum fuiſſe, ab una denique & antiquiſſima origine has fabulas deſcendere? *Deorum maxime Mercurium colunt* (Germani), *cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litari fas habent*. Tacitus, *Germ. c.* 9.

(2) De Guignes, Hiſt. de Huns *tom.* 2. La Loubere, *du Royaume de Siam*, tom. 1. pag. 516. *edit. Pariſ.* P. Mailla, *Recherches ſur les caracteres Chinois*, pag. 396. *Nous ſavons que les ſectateurs de Budda* (nempe Samanaei) *qui s'introduiſirent quelque temps apres I. C. a la Chine y porterent avec eux un livre*, *dont le langage*, *et les caracteres etoient bien differens de ceux des Chinois*, *et ou leurs principes etoient expliqués* . . . *Ils* (Sinenſes) *conſervent dans leur liturgie pluſieurs phraſes*, *et des termes d' une langue particuliere a ce peuple*, *c' eſt a dire le Samſcretan*. Obſerv. prelim. ſur l'Ezourvedam *tom.* 1. *pag.* 109. Confer Renaudot, *Anciennes relations*, pag. 367. *Eclairciſſemens ſur les ſciences des Chinois*.

Digitized by Google

della noſtra era (Barmana) *ſono già 2306. anni da che Godama è entrato nel Nìban*. Quomodo natus, quomodo mortuus eſt Godama, quomodo Avenſibus praedicavit, quomodo Peguani eius receſſus aeram ſcribunt, ſi numen hoc allegoricum & ab aſtris deductum eſt ? Sed reggerere liceat, quomodo unus & idem in tot regnis tam longe inter ſe diſſitis apparuit ? quomodo in Aegypto, in India, in Graecia natus ? ubinam mortuus ; ubi eius ſepulcrum, ſi homo eſt ? An non mortuus ut alii dii ; ut Oſiris, Bachus, Iupiter Ammon, cuius ſepulcrum monſtrabant Aegyptii ?

Perbelle Callimachus apud Orig. cont. Celſ. lib. 3. p. 452.

Tuum Iupiter ſepulcrum exſtruxerunt :
Tu vero non es mortuus, ſemper enim es.
Iupiter Te natum aiunt in Idaeis montibus,
Iupiter te in Arcadia.
Utri pater mentiuntur ?
Cretenſes ſemper mendaces &c.

Quomodo Godama natus & mortuus eſt ſi deus eſt ? aut quomodo deus eſſe poteſt, ſi homo eſt ? Fabulae itaque Avenſes invicem ſeſe deſtruunt, neque aliud Talapoinus dicere vult, niſi Godamam in humana forma apparuiſſe, ut apparuere dii alii, ac ſtabilita ſua lege in gloriam caeleſtem ad montem *Merù* iterum rediiſſe. Simulacrum autem ſuum ſequacibus ſuis poſt ſe in mundo reliquit, ut populus illud adoret ; unde ortus eſt idolorum cultus, Indis, Tibetanis, Peguanis, Sinenſibus communis. His poſitis, in epocham apparitionis dei *Godamae* paucis inquiramus. R. P. Carpanus in cod. mſſ. Muſei Borgiani, *oſſervazioni ſopra i due libri Barmani* ad cod. num. III. ait, annum aerae vulgaris Avenſis milleſimum centeſimum trigeſimum primum correſpondere anno noſtro milleſimo ſeptingenteſimo ſexageſimo nono. Itaque annus Avenſis 1124 quo Talapoinus ſcripſit, correſpondet anno noſtro 1762. Hoc anno noſtro 1762. iam 2306. anni numerabantur, ex quo Gaudama in Nibàn intravit. Itaque hoc anno 1792., quo ſcribo ſunt 2332. anni ex quo Godama diſparuit. Subtrahe 1792. annos a 2332., manebunt 540. anni, qui vulgarem noſtram aeram tranſcendunt.

An-

Digitized by Google

Anno Chriſti.

Initium aerae vulgaris Barmanae. ——— ——— ——— 638
Talapoini annus quo ſcripſit. ——— ——— ——— 1762
Godama diſparuit 2306. annis ante annum Chriſti 1762
Annus aerae Barmanae 1154. correſpondet
preſenti anno 1792. ——— ——— 1792

ſublatis igitur 1792. annis ex apparitionis Godamae 2332. annis, manent 540. anni, qui epocham aerae noſtrae vulgaris tranſcendunt.

Quodcumque Peguanae mythologiae ſyſtema amplectaris iam aperte perſpicis, epocham hanc nec cum praedicatione I. C. Servatoris noſtri, neque cum Valentinianis fabulis componi poſſe, nam Godama 540. annis ante aeram Chriſti in India & Pegu legem ſuam promulgaſſe dicitur. Quis igitur ex India Godamae legem in Pegu, Ava, Siam & Sinas pertulit, ſi Godama genius eſt, ſi Godama homo non eſt, ſi denique Godama numen mere fictitium eſt?

Hi praedicatores alii eſſe nequibant, quam hi ipſi Talapoini atque Samanaei Indici, qui ex India in proximas regiones deſcendentes deorum cultum allegoricum & aſtronomicum in alia regna pertulerunt. Iam anno 65. aerae noſtrae vulgaris Indica religio in Sinis ſtabilita fuit. Iam anno 683. ante Chriſtum natum in annalibus Sinenſibus legislatoris Fo, Godamae ſeu Mercurii mentionem ingeri obſervat de Guignes, qui fictitiam huius dei nativitatem ad hunc annum 683. ante Chriſtum natum reiicit (1); a quo non multum diſſentit Talapoinus, qui octouaginta aetatis annos Godamam numeraſſe dicit, dum in *Niban* intravit. Adiectis igitur his 80. annis, erit annus 620. ante Chriſtum natum, quo Godama ex ſententia Talapoini apparuit, & hic annus, haec epocha coincidit cum progreſſu ſcholae & librorum Samanaeicorum, quorum nonnullos ad hanc epocham (2) referendos eſſe docuimus. Si vera eſt traditio Perſica in India hauſta (3), quam affert Anquetil du Pe-

(1) Acad. des Inſcript. *tom.* XXVI. *pag.* 780.

(2) V. *Examen Hiſtorico-Criticum codicum Indicorum*. pag. 37. 38. Vide ſupra *pag.* 38. ſub *nota* (2).

(3) Vie de Zoroaſtre, Zend-Aveſta, *tom.* 2. *pag.* 52.

Digitized by Google

Perron, pluſquam octuaginta millia ſapientum ad Indum fluvium, in Bactriana, in Aria, in Gedroſia, ad flumen Gangem habitantium peccata ſua ſibi invicem confitebantur, atque Zoroaſtri ſeu Zera Thuſti legem profitebantur; quod ſane non exiguum Samanaeorum numerum iam circa annum 500. ante Chriſtum natum in India verſatum fuiſſe palam & aperte indicat. Hi Philoſophi peccata ſua ſibi invicem confitebantur, id quod hodiedum faciunt Samanaei Indici & Peguani (1). Hi ſe ſe igne exurebant, cuius exuſtionis veſtigia, non ſolum antiquis ſcriptoribus teſtantibus, ſed etiam hodiernis aſſentientibus apud Indos exſtant (2). Hi ſapientes ſoli, lunae, planetis, igni ſacrificabant; id quod hodiedum fit ab Indis (3). Adde, veterem Perſarum linguam, ſive *Zendicam*, ſive *Pazendicam*, ſive denique *Pehlavicam* voces, Samſcrdamicae antiquiſſimae linguae dialectum eſſe, eo fere modo corruptam, quo corruptam eſſe vidimus Palicam linguam in regnis Ava & Pegu hodie obtinentem. Hoc ex Thoma Hyde, atque ex ipſo Anquetil du Perron ope grammaticae Samſcrdamicae ac vocabularii *Amaraſinha* facile demonſtrare poſſem, ſi heic diſſerendi locus & tempus daretur (4). Non ignoro apud veteres ſcriptores plures Zoroaſtros numerari (5), nempe Pamphilum, Medum, Perſam, qui in Bactriana circa annum 519. ante Chriſtum natum floruit. Quidquid ſit de duobus praecedentibus, quos incauta antiquitas confudiſſe videtur cum Zoroaſtro Bactriano, cum Plato apud Clem. Alex. Strom. *lib.* 5. *pag.* 711. Zoroaſtrum rogo impoſitum die ab interitu duodecimo revixiſſe

dicat;

(1) Syſtema Brahmanicum *pag.* 116. 36. 5. Vide etiam animadverſiones R.P. Carpani in librum *Kamuva* Peguanum *num.* XXXVI. inter codices S. Cong. de Prop. Fide.

(2) Strabo *lib.* 15. Porphyrius *lib.* 4. *de abſt.* Philo, libro, *quod omnis probus ſit liber*. Clem. Alex. Strom. *lib.* 4. Vide Syſt. Brah. *pag.* 18. La Loubere, *du Royaume de Siam*, tom. 1. p. 488.

(3) Syſtema Brahmanicum, *pag.* 1. 2.3.4.5.6.7.8.9. 10. Confer *Xenoph.* de Cyro apud Thomam Hyde *pag.* 98. item *pag.* 99. ex libro Perſico Pharhang Gjihanghiri. *Horum 7. Pyreorum quodvis alicui ex 7. planetis relatum habuere* (Perſae): *ibique incenſum, illis planetis proprium in illo igne ſuffiebant.*

(4) *Touchant la langue Balie* (Pali) *il ma dit* (D' Herbelot) *que l' ancien Perſan s' appelle Pahalevi* (aliis Pelhvi, Pahlavi), *et qu' entre Pahali, et Bahali les Perſans ne mettent point de difference*. La Loubere *tom.* 1. *pag.* 536.

(5) Clemens Alex. *Strom. lib.* 1. *pag.* 399. lib. 1. *pag.* 357. Confer l'Avocat, *Dictionaire des hommes illuſtres* ſub voce *Zoroaſter*.

dicat; id quod & morem exurendi corpora & tranſmigrationem ſeu regreſſum animae in corpus, duo dogmata Indica ſubobſcure indicat, nullus heic mihi ſermo de Zoroaſtro Pamphilo & Medo.

De altero Zoroaſtro Perſa ſeu Bactriano nullus fere apud ſcriptores relictus dubitandi locus. Laertius *in prooemio* Zoroaſtrum Perſam fuiſſe dicit; Plinius *lib.* 3. *cap.* 1. a Zoroaſtro Perſa *vicies centum millia verſuum* condita fuiſſe ſcribit; ii qui Prodici haereſim ſequebantur, non *pſeudo evangelium Iudae*, ſed arcanos Zoroaſtri libros ſe poſſidere gloriabantur (1), ex quibus ſane male intellectis ac evangelio admixtis Gnoſticorum monſtra prodierunt. Denique Clemens Alex. Strom. *lib.* 1. *p.* 357. ait: *Adiit Democritus Babylonem, Perſidem, Aegyptum, Magorum, & ſacerdotum ſe praebens diſcipulum. Zoroaſtrem autem Magum Perſam Pythagoras oſtendit.* Igitur tempore Pythagorae aetate maior Platone in Bactriana ad ſuperiorem Indi fluminis partem ſita florebat Zoroaſter, quem Zoroaſtrem Bactrianum & *artes magicas inveniſſe, & mundi principia ſiderumque motus in Bactriana diligentiſſime ſpectaſſe* ſcribit Iuſtinus *lib.* 1. *pag.* 2. Nec mirum, ſi Iuſtinus, Diodorus, Clemens Alex. aliique ſcriptores Graeci circa aetatem ac perſonam Zoroaſtri inter ſe diſcordes ſint, cum Graeci ante Alexandri M. expeditionem, quam aetate ſua ſuperat Zoroaſter, pauca de India certa & explorata haberent (2); mirum non eſt, ſi plures Zoroaſtros in Bactriana diverſis temporibus collocent, cum *Zera Thuſt* (Zoroaſter) non perſonae nomen ſit proprium, ſed nomen regis appellativum, quo inſigniebantur plures Bactrianae reges. E. g. multi antiqui reges Indici vocabantur *Cêrambotti*, *Cêramperumâl*, quorum illud primum Graeci Samſcrdamicae linguae corruptores ſcribebant Ce-pro-

(1) Cotelerius ad recogn. Clem. de apocryphis Zoroaſtri libris in notis ad lib. 1. Strom. *pag.* 357.

(2) Ioſeph. contra Apion. *lib.* 1. *pag* 873. Heeren, *commentatio de Graecorum de India notitia*. Anno 1790. Examen crit. des hiſt. d'Alex. *pag.* 230. *et ſeq.* Bayer, *hiſt. regni Graecorum Bactriani*. Petropoli ex typographia Acad. ſcient. 1738. *pag.* 1. *et ſeq.* item *pag.* 38. Chronologiae regum Graecorum in Bactriana canon ante Chriſtum natum 254.

Digitized by Google

probottes, Celembothras (1), & ſecundum hodierni ſcriptores ſcribunt Sharamperoumal, Xaranperumal (2). ചെരെ cere *a fronte*, *ad frontem* v. g. exercitus, populi, *ad latus*, *proxime*. ചെരിക്കൽ cerikel & cerekel *aſylum*, *perfugium*. ചെറ cerá, & Samſcrdamice ചെര cerá, *vallum*, praeſidium ſeu locus vallo munitus, certis limitibus incluſus, *ditio*, *diſtrictus*. Unde *Puttencerá* nova ditio, nova arx, novum oppidum vallo inſtructum. *Talacerá* praeſidium principale, ditionis caput. പൊട്ടി Potti vel Botti *rex*, *ſervator*, *ditionis gubernator*, *omnibus providens*. Ex his ergo dictionibus exſurgit *Cerambotti*, rex, ditionis caput & ſervator. പെരും pérum *magnus*, ആൾ aal vel ál *perſona*. Unde iterum exoritur dictio ചെരമ്പെരുമാൾ *Ceramperumál*, ditionis, regni certis limitibus incluſi maxima perſona, id eſt prima, quae eſt rex. Hoc igitur modo *Cera-Thuſt*, non Zarathuſt, ſignificat *regem*, *ditionis dominum*, nomen nempe regibus commune, ut eſt *Cerambotti* & *Ceramperumál*; non autem ſonat nomen natalitium unius viri a domo aut familia *Cera-Thuſt* dicti. Quo poſito, quid mirandum, ſi plures *Cera-Thuſt* apud veteres reperiantur ſcriptores, quid mirum, ſi plures reges hoc nomine gaudentes inter ſe fuere confuſi? Confer Dodwell in praef. ad Arriani Periplum (3). Sub illo igitur *Cera-Thuſt*, qui circa an-

num

(1) Plinius hiſt. nat. lib. 6. cap. 23. *Regnabat ibi* (in India) *cum proderem haec Celebothras*. Vide in hunc Plinii et Arriani locum Dodwell, *diſſertatio in Arriani Periplum maris Erythraei* inter Geographos minores, Oxonii, e theatro Sheldoniano 1698. Vol. 1.

(2) Zend-A-Veſta, Diſc. prél. *p.* 68. *et ſeq.* Hiſtoria Synodi Diamperitanae, *cap.* 1. §. 1. *pag.* 3. La Croze, *Hiſt. du Chriſtianiſme des Indes*, tom. 1. p. 66. a la Haye, 1758.

(3) In illa diſſertatione Dodwell contra Salmaſium oſtendit, *Ceprobottes*, *Ceprobott*, *Celebothres*, *Celembotres* nomina regis Indici a Plinio et Arriano allata ab haereditariis regum nominibus, non autem a natalitiis petenda eſſe, et recte quidem; nam hodiedum inter gentiles Indos natalitium regis nomen vix un-

num 519. ante Chriſtum in Bactriana florebat (1), India Magis & Samanaeis refertiſſima erat. Hoc teſtatur Herodotus, Diodorus, Claudius Ptolemaeus, Strabo, Arrianus, Porphyrius ex Bardeſane, Cicero, Plinius, Euſebius, Ioſephus Hebraeus, Clemens Alex., Origenes (2). Tot hominum millia nec

umquam profertur, ſed communi illo vocabulo *Rágia*, *Cérambotti*, *Cérampérumál*, Perumál, *Tamburán*, id eſt *rex*, *ditionis maxima perſona*, *deus rex*, *ſervator*, aliiſque appellativis & genericis Samſcrdamicis, Malabaricis, Tamulicis, Nagaricis nominibus vulgo appellantur. Verum dum maximi momenti negotium ſignant, in appocha ſubinde etiam natalitium nomen addunt, v. g. *Vira Mártánda Perumál*, fortis Sol, maxima perſona; *Krshna Tamburán*, Krshna (Apollo) rex; *Govinna rágia*, Govinna (vaccarum paſtor nempe Apollo Nomius) rex; *Ráma rágia*, Ráma (Bacchus iunior) rex; *Pándirágia* regni Pándi ſeu regni Manduré rex; *Pandelata Tamburán*, ditionis Pandela dictae rex. Ubi vides nomen proprium et natalitium raro apponi, nam hoc proferre nefas ducunt. Hanc rationem in nominibus regum ſcribendis ac proferendis teneri in aula regis Travancoridis & Coccinenſis, in qua ob miſſionis negotia ſaepe verſatus ſum, ego vidi, ac nonnullis monumentis aperte demonſtrare poſſum.

(1) De Bactriana ita diſſerit D'Anville, *Géographie ancienne abrégée*, tom. 2. a Paris 1758. pag. 298. *Elle* (la Bactriane) *s'étend le long de la rive méridionale de l'Oxus, qui la ſepare de la Sogdiane. Les montagnes, qui ſont une ſuite du Paropamiſus, en couvrant le Nord de l'Inde, bornent la Bactriane vers le Midi.* Ex Bactriana a meridie Indiae coniuncta olim facilis acceſſus patebat in regnum Indicum et urbem *Cashemire*, quae ſine dubio Herodoti *Caſpyra* ſeu *Caſpytira* eſt. Bactriana poſt Cyri tempora Perſis ſervivit, quocirca Bactrianae rex *Zera Thuſt* improprie Perſa fuiſſe dicitur. Mille urbibus inſtructam fuiſſe prodidit Plinius, ſed quia ventis borealibus inflantibus viae publicae arenis complebantur, ita ut ſaepe ne viarum quidem veſtigia remanerent, inde ſideribus inſpectis itinera ſuſcipiendi ac proſequendi neceſſitas, ac proinde aſtronomiae ſtudium dimanavit, cui Zoroaſtrum et Magos addictiſſimos fuiſſe diximus. Confer Philippi Cluverii Geograph. Amſtel. 1729. *pag.* 550. 551. Heeren, *Commentatio de Graecorum de India notitia*. Vide mappam geographicam D. De l'Ile, *Carte des Indes et de la Chine*, 1781. ſub gr. lat. 36. long. 99. Confer Rennellium & P. Tieſentaller. Ceterum, meminiſſe oportet, a veteribus ſcriptoribus geographiae imperitis ſaepe Bactrianam Ariae, Gedroſiaeque Indicis provinciis ſupponi, adeoque illos de his ultimis provinciis intelligendos eſſe, dum de Bactriana loquuntur.

(2) *Eſt aliorum Indorum haec diverſa conſuetudo, ut nullum animal interimant, atque nihil ſerant, nec domos parandas exiſtiment, atque herba victitent.* Herod. *lib.* 3. Haec verba gymnoſophiſtarum vitam aperte exprimunt, nam hi philoſophi, Brahmaneſque ſacerdotes nullum animal ob transmigrationis dogma ab ipſis creditum interimunt, hi herba & lacte victitant, & Samanaei *Bhikshu* dicti, ſeu mendicantes, domos non parant, ſed errabundam vitam ducunt. Euſeb. praep. Evang. lib. 6. pag. 275. *Apud Indos & Bactrianos multa ſunt eorum millia, quos Brahmanas vocant, ii ab omni caede abſtinent &c.* Plinius hiſt. nat. lib. 6. cap. 17. pag. 88. edit. Baſ. *Multarum gentium cognomen Brachmanae.*

Digitized by Google

nec perpetuo otio dedita eſſe, nec ſine pugnis & ſectis longum tempus transſigere, neque in ſola India ſe continere poterant. Quare videmus alios in Tibetum, in Tartariam, atque in ipſam adeo Syberiam penetraſſe (1), alios in Bactriana (2), alios in Aria (3), alios ad Gangem (4), alios ad montes qui Indiam a Tibeto ſeparant, (5) habitaſſe, alios ex ora Piſcaria aut inſula Ceylan in regnum Pegu tranſiviſſe (6), aliquos a Brahmanibus ex ora Malabarica expulſos fuiſſe, alios denique in toto regno Tibet ſectam ſuam propagaſſe (7). Quae cum ita ſint,

nae. Hos ad montes Emodos Indis *Hemádi* & *Himala*, qui Indiam a Tibeto ſeparant, collocat.Diod.Sic. lib.2.*p*.61. Clem. Alex. Strom. lib.3.*p*.539. Strabo *lib*.15.Origenes contra Celſ.*lib*.1.*p*.417. *edit.Paris*. Plutarchus *in vita Alexandri*

(1) Strahlenberg, *tom*.2.*p*.187.247 Gmelin, *voyage de Sibérie*, t.1.p.170. In iis regionibus Samanaei iſti vocantur *Schamans*, quod a vocabulo Samanaei, ſeu a Samſcrdamico *Tamana*, corruptum eſſe perſpicis.

(2) Euſeb. *l. c*.

(3) Strabo *lib*. 15. Moſes Choren. *in geographia*. pag. 365. 366.

(4) Porphyrius *lib*.4.*de abſt.pag*.405. Moſes Chorenenſis,*geographiae pag*.366. Claudius Ptolemaeus *lib*.7. *cap*.1. *tab*.x. *pag*. 118. gymnoſophiſtas inter *Gangem* & fluvium *Tamuna* ad celebrem illam urbem *Madura* collocat, Magos vero ad fluvium Indum intra Indiam.

(5) Plinius *l. c*. D'Anville, *géographie ancienne tom* 2. *pag*.350. ubi Lamas Tibetanos veram Brahmanum ſectam eſſe docet.

(6) Aſiatick reſearches *tom*.1.*p*.159. *& ſeq*.

(7) Aſiatick reſearches *tom*.1.*p*.425. Confer mappam geographicam R.P.Tieſentaller, *Carte générale du cours du Gange & du Gagra dreſſée ſur les cartes particulieres du P. Tieſentaller Miſſionaire Apoſtolique de l'Inde par M. Anquetil du Perron*, à Paris 1784., in qua ſub gradu lat.32.33.34.35.ad fluvii Gagra ripam plures vicos Samanaeorum,ac Brahmanum aedes, *Miaſt Maha Deo* ſeu templum *Mahádévae*, nempe Shivae Indico deo ſacrum, ac denique in Sarangapuri *Dherma Shála*, id eſt, ſcholam Ethicae gentilis ſitam reperies. Heic phyſicus ille mons *Meru*, tot fictionibus Indicis exornatus eſt collocandus, heic paradiſus Indicus 7. montibus inſignis exſtat, in quo ſol, luna, ceterique divi verſantur. Hoc quamvis fabuloſum ſit, traditionem tamen illam antiquiſſimam de Gange ex paradiſo profluente confirmat, nam ſtatim ſupra ſub gradu 36. fluvius *Gagra*, & per occultos ſinus etiam *Ganges* ex lacu *Manſaroar*, profluit; & in montibus huic lacui vicinis Indi omnes deum Shiva ſeu *Mahádéva* magnum deum, ac deam *Párvadi*, duo prima & maxima numina habitare dicunt. Ad littus laci in meridionali plaga templum exſtat dei *Mahádéva*, atque aſceterium monachorum ſeu philoſophorum Samanaeorum, qui in paradiſo habitare creduntur. Antiquiſſima eſt haec habitatio eorum, atque ad hunc locum, ad hos montes, ad hos fluvii Gangis & Gagra fontes primaeva Indica, Tibetana, Peguana, Sinenſis mythologia, theodotia, hiſtoria, coſmographia, religio, & planetarum cultus refertur, ex his montibus, & fontibus Gangis & Gagra in alias regiones perlata fuit. Monaſteria haec gentilica ob ſilentii cultum, meditationis ac contemplationis exercitium, aliaſque philoſophicas diſciplinas chriſtianae

Digitized by Google

ſint, lingua Samſcrdamica, doctrina & religio Budhiſtica ſeu Samanaeica in regnum Ava & Pegu non niſi ex India a Samanaeis perlata fuit, id quod nobis demonſtrandum erat. Ceterum, ex his omnibus aſſertis atque hiſtoriae Perſicae & Indicae praeſidio munitis, recte deduces, *Cera Thuſt* ſapientiſſimum regem & Philoſophum Bactrianum antiqui Perſici cultus & religionis non inſtitutorem, ſed reſtitutorem fuiſſe; ignem, aquam, terram, ſolem aeque ab Indis ac a Perſis adoratum fuiſſe; totius Aſiaticae religionis natalem locum Indiam & Bactrianam eſſe. Confer Strab. lib. 15. Aſiatick reſearches *t.* 1. *pag.* 349. ubi ex *Mobſani Fani* Indicorum Magorum ſeu ſapientum in Perſida olim verſantium, ac Samſcrdamicae linguae uſus in Perſia obtinentis non obſcura indicia traduntur. Neque ex omni ſua parte verum eſt id, quod ait Strabo *l. c.*, Perſas nempe nullas ſtatuas, nulla ſimulacra coluiſſe. Nam antiquiſſima ſunt Mitrae dei Perſica ſimulacra, quae utique non joci, ſed venerationis cauſſa fuere ſculpta, & Mitrae Perſici in villa *Pinciana* exſtantis inſcriptio Samſcrdamica eſt, ut iam ſaepenumero diximus. Vide de deo Mitra & Magorum theodotia Plutarchum *de Iſide pag.* 359. Et s. Hieronymus epiſt. ad *Laetam* ait: *Ante paucos annos propinquus veſter Gracchus nobilitatem patriciam ſonans nomine, cum praefecturam gereret urbanam, nonne ſpecum Mithrae, & omnia portentuoſa ſimulacra, quibus Corax, Nyphus, Meles, Leo, Perſes, Helios, Bromius Pater initiantur, ſubvertit, fregit, exuſſit?* Vide ſimulacra *Mitrae* apud Thomam Hyde *ad pag.* 111. 113. 307. edit. Oxon. 1760.

NU-

nae philoſophiae externo cultu aliquo modo conformes, primorum eccleſiae haereticorum ſeu Manichaeorum ſeu Valentinianorum aedes & aſceteria iis in locis conſtructa, eſſe putabat de Guignes, aliique huius viri ſequaces, qui in iis templis & aſceteriis *Budham*, hoc eſt *Chriſtum Ieſum* mira & improba fraude haereticorum deformatum coli dicunt. Sed an haec aſceteria gentilica ante Chriſtum natum non exſtabant? Numquid Herodotus, Diodorus, Plinius, Strabo, Euſebius de his Samanaeis tamquam ante Chriſtum natum in India iam ubique diſperſis loquuntur? An dei alicuius ac paradiſi notio apud gentes illas aera Chriſti vetuſtior non eſt? An *Budha*, Chriſtus, aut Manes eſt?

Digitized by Google

NUMERO IV.

Dialoghi tra un Khien ſelvaggio, *ed un Siameſe Ex-Talapoino*. Liber manuſcriptus lingua Italica, in quarto, ut aiunt, maiori continet paginas 89. Auctor eſt D. Cajetanus Mantegatius clericus regularis S. Paulli, nunc epiſcopus Maximianopolitanus regnorum Ava & Pegu Vicarius Apoſtolicus, qui illum anno 1785. Romae ampliſſimo Cardinali Borgiae, tunc Sacr. Cong. de Prop. Fide a Secretis, donavit. Incipit a θεογονία, a creatione rerum, a fato & materia aeterna, quin immo a concurſu ſpontaneo elementorum ex quo omnia coaluiſſe ſuſtinet in hoc dialogo *Talapoinus* contra idiotam *Khien*, qui tamen argute & lepide argumentis Talapoini reluctatur. Neſcio qua auctoritate, aut ex quibus Peguanis libris D. Mantegatius hanc doctrinam Talapoinis adſcribat, auctoritates enim, aut autographos textus nullos affert. Talapoinos & Samanaeos unius inſtituti homines eſſe, nos ſupra docuimus. D. Mantegatius noſtras rationes aliquo idoneo argumento elidat. Strabo de Samanaeis agens ait lib. 15. *Stabilem ac veram ipſi & plerique animabus inter ſe poſt obitum vitam crediderunt*. Et iterum: *Plurimas eorum de morte diſputationes eſſe. De multis vero cum graecis ſentire, ut quod mundus ſit ortus & interiturus, & ſphaericus, & quod adminiſtrator eius Deus univerſum eum pervadat. Univerſarum rerum primordia diverſa eſſe, mundi autem aquam* (1) *& praeter quatuor elementa quintam quamdam naturam eſſe, ex quibus caelum & aſtra conſtent ... Texere etiam fabulas quaſdam, quemadmodum Plato de immortalitate animae, & de iudiciis quae apud inferos fiunt*. Vid. Syſtema Brahmanicum de *Yáma* deo pecca-

(1) Aquam mundi principium eſſe hodiedum docent Philoſophi Indici *Vishnuvitae* omnes contra *Shivanitas*, qui mundi principium tradunt eſſe ignem. *Molti gentili* (Indici) *ſoſtengono, che l'acqua è eterna, perciò dicono, che nel principio il Dio Naraen* (Naráyana, qui eſt Vishnu) *Spirito ſupremo notava ſopra l'acqua lorchè dal ſuo Umbellico uſcì un fiore di ninfea, e da queſto fiore uſcì il dio Brahma per crear il mondo*. R. P. Marcus a Tumba in cod. mſſ. in fol. pag. 117. Profecto monumenta Indica infra recenſenda deum Vishnu folio nymphaeae incubantem & aquis innatantem exhibent. Unde inſigne eſt hoc involucrum illius ſacri textus: *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*. Confer librum Indicum *Mulpanci* inſcriptum infra inter codices Indoſtanos, Syſtema Brahmanicum *pag*. 79. 166. 218. Cicero. *de nat. deor. lib*. 1. *pag*. 199. de Thalete Mileſio.

catorum vindice & virtutis remuneratore *pag.* 177. *& ſeq.* Euſeb. praep. Evang. *lib.* 6. *p.* 275. de Brahmanibus ait: *Dum Deo vacant, nullius ſceleris communione polluuntur.* Samanaei illi, qui സന്യാസി *Sanyáſi* dicuntur, ac maximam animae perfectionem in contemplatione rerum caeleſtium collocant, hodiedum പാരാശരി *páráshari*, id eſt, *caeleſtia deſiderantes* vocantur; & de his rumor fert, ipſos non idola, non aſtra, non ſymbola, non materiale aliquod obiectum, ſed Deum ens entium, ſupremum ac materiae expers contemplari & deſiderare. Stant ſemper muti & mente intenti; unde പ്രസ്ഥാ *praſtá*, id eſt, *ſtantes* dicuntur, & veri ſunt Stoici, qui deos reliquos, quos caeca colit gentilitas, ad aſtra, ad naturae phoenomena, ad genios referunt, nec tamen ideo materialiſmi aut atheiſmi labe infecti ſunt; quia Deum ens ſupremum, quod പരബ്രഹ്മം *Parabrahmam* vocant, agnoſcunt & confitentur (1). *Stoicos novimus non modo de geniis in eadem nobiſcum ſententia eſſe, ſed etiam de diis, quorum tantum ſtatuunt numerum, unum duntaxat aeternum interituſque expertem, reliquos, & natos, & obituros cenſere.* Plutarchus *de oraculorum defectu*, pag. 271. Hoc pariter elucet de Talapoinis Avenſibus ex compendio legis Barmanorum a *Mahá Tabaſſi Dherma rágia Guru* compoſito, de quo ſupra egimus, quod inſpicere ſufficit ad hanc veritatem aſſequendam. Ceterum, D. Mantegatius in ſuo dialogo *tertio* agit de tranſmigratione animarum; dialogo *quarto* multa ex fabulis vulgaribus Peguanis & Siamenſibus tradit de deo *Samaná*, qui idem eſt ac deus *Gòdama*; nam *Samaná*, corruptio eſt dictionis Samſcrdamicae സമനസ്സ *Samanaſſa*, quod *genium bonae voluntatis* ſignificat. Mercurius autem genius eſt bonae voluntatis, cum omnia eximia inſtituta, quae populum ad felicitatem ducant, hominibus tradidiſſe perhibeatur. Codex manuſcriptus qui R. P. Roth Indico Miſſionario adſcribitur, & quem ego coram habeo a R. P. Geminiano a S. Octavio C. D. Mala-

(1) Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 65. 66. 83. 110. 177. 179. 19. 58.

labaridis Miſſionario deſcriptum de Budha ita diſſerit: *La nona incarnazione fu, che Vishnu preſe il nome di* Budha *per manifeſtarſi all'uomini, dicono, che queſto* Budha *non ha avuto ne Padre ne Madre* (nempe carnalem, nam *Mája* eius Mater dea eſt), *è inviſibile, e tutto ſpirito: ma quando appariſce al ſuoi ſervi, prende la figura, ſotto la quale Vishnu è adorato dall' Indiani.* Budha, *dicono prega Mahádéva* (magnum Deum, nempe ſolem Dei ſymbolum) *giorno e notte per loro, mentre è il mediatore del genero humano.* Haec adeo perſpicua ſunt, ut nihil lucidius affundi poſſit. Khien. *Ditemi per qual ragione chiamate voi Dio Samana?* Siameſe Ex-Talapoino. *Per ſuoi grandi meriti accumulati nella ſerie d' innumerevoli transmigrazioni, per poter de' miracoli da lui operati dopo ottenuta la Divinità, per la ſcienza del paſſato, ed avenire, per la ſantità della legge data agl' uomini, e finalmente per lo preſo* Niban, *e dato all'anime da lui ſalvate.* D. Mantegatius *dialogo* 4. Confer Io. Auguſti Erneſti *Archaeologiam litterariam*, edit. 1790. Lipſiae, *p.* 285. ubi cl. Martinius ſcite adſtruit: etiam in Graecis Mercurii ſimulacris elucere eius *animum actuoſum, aſtutum, & tortuoſum*, quae epitheta, ut genio ſagaci adſcripta, haud obſcure ex libro Brahmanico *Amaraſinha* deducuntur.

Percurrendo ſingulas artes ac ſcientias, omnes eas Philoſophi Sinae a Fouhi tamquam ab auctore profectas eſſe aſſerunt. Fragmentum epiſtolae cuiuſdam Miſſionarii Pekinenſis *inter collectanea Sacr. Congr. de Prop. Fide.* Et ſupra dixit: *certe, ſi ex nomine res aeſtimetur, deciſa videtur controverſia* (nempe Hermetem, Hermam, Dherma regem, eumdem eſſe cum Fouhi,) *cum* Tai-hao, *qui titulus Sinenſium* Fouhi *tribuitur, & ter maximus, qui occidentalium Mercurio, nomina ſint, quae apte inter ſe ſignificatione reſpondeant.* Et infra: *Superiora confirmantur ex eo quod Triſmegiſtus Hermes* (Dherma rex) *ex traditione orientalium, ut Perſarum, Arabum &c. divini cultus ſigna, purificationes, & victimas primus inſtituerit. Id autem* Fouhi *legitur praeſtitiſſe. Idque innuit non obſcure compoſitus item character* hi, *quae ſecunda* Fouhi *appellationis portio eſt. Suas enim character ille reſolutus in*

 par-

partes, co, *gladium ſeu acinacem ad dexteram*, *ſupra* yang *agnum*, *& ad laevam* nilou *bovem cum* sileou *complecti deprehenditur*, *indicat victimas agnum & bovem*, *excellentes*, *formoſas & pingues*, *& in charactere integro* apparet immolatio victimarum ac ſacrificiorum cura; reque *ipſa hi pro victima ſumuntur*. Et infra: *Fouhi*, *inquit* Scheou-Tcin-hien *philoſophus*, *vices gerens ſancti regis* (nempe ſolis dei) *ad redintegrandum caeli conſilium*, *quod interruptum erat & reſtituendum polum*, *factus eſt omnium aetatum doctor*. *Fouhi delineavit figuras* 64. (*quae naturae ſimulacra ſunt*) *addit* Tching-Ting-yu. *Hae autem ſunt fons & principium litterarum ac orationis ſaeculorum omnium*. Denique huius epiſtolae auctor animadvertit; *Ex doctiſſimis Sinis argui*, Fouhi *numquam hominem exſtitiſſe*. Diod. *Leges a Mercurio ſibi traditas ſimulavit Aegypti rex* (Mneves). *Id commenti genus apud plures quoque alias gentes adhibitum eſt*. Diod. Sic. *tom.* 1. *pag.* 105. *edit. Amſtelod.* 1746. Ex his igitur atque ex vocabulo *Samanaſſa* in claſſico Brahmanico libro Amaraſinha Budhae adſcripto, iterum arguitur, Fouhi, Godamam, Budham ſeu Mercurium non eſſe hominem, ſed genium Mercurii planetae rectorem, atque ad aſtra referri debere, cum Phoenices & Indi aſtra ſine geniorum miniſterio moveri haud poſſe crederent, indeque non ſolum geniorum exiſtentiam; ſed numen aliquod ſupremum his omnibus praeeſſe arguerent; quae ſane prima & antiquiſſima gentium Theologia fuit (1). Dialogo [illegible] quin-

(1) Plutarchus lib. 1. de placitis philoſ. *Homines coeperunt Deum agnoſcere*, *cum viderent ſtellas tantam concinnitatem efficere &c.* Cicero lib. 2. de nat. deor. pag. 222. *Caeleſtem admirabilem ordinem incredibilemque conſtantiam*, *ex qua conſervatio & ſalus omnium omnis oritur*, *qui vacare mente putat*, *is ipſe mentis expers habendus eſt*. Et infra: *Illi dei* (genii aſtrorum rectores) *pulcherrima forma praediti*, *puriſſimaque in regione coeli collocati*, *ita feruntur*; *moderanturque curſus*, *ut ad omnia conſervanda & tuenda conſenſiſſe videantur*. Inde varia officia his diis geniis fuere adſcripta. Soli generatio & rerum deſtructio, lunae boni & mali influxus, Iovi humiditas & magiſterium geniorum & hominum, Mercurio eloquentia & inſtitutio divini cultus, aſtronomiae ſcientia, mercatura, ars paſtoralis, furta, inſpectio vitae humanae, meditationis ſcientia &c. Confer de Indis aſtra colentibus Clem. Alex. *Strom. lib.* 3. *pag.* 539. Beniamin Tudelenſis itinerarii ſui Antuerpiae 1575. pag. 93. *In Haulan* (Ceylan, ut notatur in margine) *devenit*, *quod initium eſt regni ſalem pro Deo colentium*, *gentis videlicet ex filiis Chus aſtrorum contemplatricis*. Vide etiam *pag.* 94.

quinto auctor ingentem de *Dévada* fabularum farraginem affert obruendis potius animis, quam iis colluſtrandis aptam. Paucis dicam: Deoada ſeu potius *Dévada*, de quo tanta prodigia Avenſes narrant, non videtur eſſe alius, quam daemon dei Samaná adverſator; & revera ദെവത *Dévada* etiam apud Malabarenſes genius eſt, ſed malus, quem ſubinde corpora humana obſidere, eiſque moleſtiam afferre credunt. De Dévada Peguanorum malo numine vide La Loubere, *du royaume de Siam*, t. 2. p. 4. *La vie de Tevatat*, trad. du Bali. Profecto, *Dévada* idem eſt qui Magorum *Arimanius*, malum principium, inimicus boni principii *Oromazan*. Vide *Zoroaſtri* & *Magorum* theologiam apud Plutarchum in Iſide *pag.* 359. *edit. Paris.* Zend Aveſta, Ouvrage de Zoroaſtre, *tom.*1. *part.*2. *p.*8. 79. 81. Ceterum, quamvis liber D. Mantegatii fabellis Peguanis & Siamicis ſit refertiſſimus, attamen ex his ipſis vulgaris religio Peguana elucet, & multa in libro referuntur, quae gentis mores ac inſtituta in aprico ponunt. In praefatione ad hoc opuſculum, atque in prologo ad Alphabetum Barmanum *p.*2. 14. D. Mantegatius ſcite animadvertit, linguam *Pali* Indico-Samſcrdamicae dialectum eſſe; ac proinde liturgicas Peguanorum & Avenſium res ad Indicam religionem cis Gangem referri debere. Heic igitur operae praecium eſt, perſcrutari, in quot & quibus provinciis liturgicae Samſcrdamicae linguae uſus invaluerit, ut tandem eluceſcat, quibus finibus una eademque religio Indica hodie certo contineatur. Ad hoc demonſtrandum, dabo orationis Dominicae analyſin, qua data quiſque ex ſe arguet, in totidem provinciis ſacrae linguae Samſcrdamicae uſum etiam in ethnicorum liturgiis obtinere. Ex hac analyſi pariter eluceſcet nexus & diſcordia vulgarium Indicarum linguarum, modus quo a Samſcrdamica dimanant: duo inſignia principia in diſquiſitionibus hiſtoricis numquam praetermittenda.

 §. V.

§. II.

Analyſis Orationis Dominicae. Lingua Samſcrdamica Mater Elementis Granthamicis.

പരമണ്ഡലെ സ്ഥിതാ നഃ താത

Paramandalè stidà na Táda

Caelo in, exiſtis qui, noſter pater,

തവ നാമ പൂജിതം ഭവതു

tava námà pùgidam bhavadu.

tuum nomen, ſanctificatum ſit.

I.

Nomina *caeli* Samſcrdamica.

1. പരമണ്ഡലം *Paramandala*, caelum materiale.
2. ആകാശം *Aagàsha*, caelum aethereum.
3. സ്വർഗ്ഗം *Swargga*, caelum gentilicum, in quo dii verſantur.
4. പരലോകം *Paraloga*, alter mundus.
5. വൈകുണ്ഠം *Veigunda*, caelum gentilicum dei Vishnu.
6. അർത്ഥലോകം *Arthaloga*, caelum gloriae, divitiarum, plenum gloria, divitiis, & excellentia, mundus beatus.
7. വാനം *Vána*, caelum aereum.

II.

1. സ്ഥിതം *stida*, participium eſt verbi Samſcrdamici തിഷ്ഠതി *tiſtadi*, ſtat, collocat, തിഷ്ഠസി *tiſtaſi* ſtas, തിഷ്ഠാമി *ti-*

tiſtâmi ſto, സ്ഥിതഃ *ſtida* ſtans, exiſtens, collocatus, ille qui exſiſtit. Hoc Samſcrdamicum participium dialecti ex ſacra Samſcrdamica lingua dimanantes ſupplent participiis verborum vulgarium, ſic Malabarenſes ajunt: *irikuna*, qui eſt, exſiſtit, Tamulenſes *irikra*, qui eſt, exſiſtit; alii vero ſupplent alio vulgari participio a verbo ആകുന്നു *àghunu* ducto. *àghia* exiſtens, qui eſt, unde iterum fit: *Caelo in qui es, vel exſiſtis*.

III.

നഃ *nà* noſter, noſtra, noſtrum, quod vulgares linguae ſupplent voce *namude* noſter, *umude* noſter, *namma* noſter, *ngangeludè* noſter, *engöl* noſter, *engelude* noſter.

IV.

1. താതഃ *tádà*, pater.

2. ജനകഃ *genaga*, pater, genitor.

3. പിതാ *pidà*, pater.

4. അപ്പഃ *appa* vel appen, pater, genitor)

5. സന്ധി *ſandbi* curam alicujus gerens.) vulgaria

6. ബാവാ *bàvà* pater, dictio Chaldaica Malabarenſis.

V.

തവ *tava* tuus, tua, tuum Samſcrdamice. Hanc dictionem vulgaribus linguis ſupplent v. g. *ninde* tuum, *ninude* tuum, *tanude* ipſius, veſtrae dominationis, *ummude* veſtrum &c.

VI.

1. നാമഃ *nàmà*, nomen

2. നാമധേയഃ *nàmadheya*, nomen

3. നാമ സ്തോത്രം *nàma ſtotra*, nominis repetitio alicuius dei in laudem & adorationem eiuſdem inter gentiles fieri ſolita.

VII.

1. പൂജിതാ *pùgidà* participium eſt Samſcrdamici verbi പൂജിതി *pùgiadi* ille veneratur, colit, adorat per hoſtiam & ſacrificium, പൂജിസി *pùgiaſi* tu colis, adoras &c. പൂജാമി *pùgiámi* ego adoro, colo &c.

2. അൎച്ചിതി *arciadi* ille colit, veneratur, adorat, അൎച്ചിസി *arciaſi* tu colis, adoras, അൎച്ചാമി *arciàmi* ego colo, adoro. അൎച്ചിതാ *arcida* res culta, adorata, അൎച്ചനാ *arciana* cultus, obſequium, veneratio, അൎച്ചാവിശിഷ്ടാ *arciasbishda* cultu, obſequio, veneratione valde dignus.

3. ശുദ്ധം *shudha* puritas, ſanctitas Samſcrdamice, ex quo vulgaria *shudhamàgapedenam* ſanctum fiat, ſanctificetur, *shudhamairika benam* ſanctificetur, *shudha karna* ſanctum fiat.

VIII.

ഭവതു *bhavadu*, imperativus eſt verbi Samſcrdamici ഭവതി *bhavadi* ille eſt, exſiſtit, ഭവസി *bhavaſi* tu es, exſiſtis, ഭവാമി *bhavàmi* ego ſum, exſiſto, ഭവതു ſit, exſiſtat, fiat. അസ്യ *aſya* ſit.

Demonſtratis Samſcrdamicae linguae radicibus, nunc iam ad recenſendum orationis Dominicae initium in linguis Indicis deſcriptum procedamus. Exſtat illud in libro inſcripto, *Orientaliſch und Occidentaliſcher Sprachmeiſter* a pag. 81. uſque ad 94.

Gon-

Congeſtum fuit ex Camberlayno, Schulzio, Baldaeo, Kirchero (1).

SAMSCREDAMICA LITTERALIS.

Paramandalè ſtidà nà Tàdà
Tava nàmà pùgidam bhavadu.

TAMULICA IN LITTORE COROMANDELICO.

Paramandalangelile irukira engöl Bidawe
Ummareia nàmam artchikka peruvadàga.

Confer iam nunc haec vulgaria, atque ex Samſcrdamica lingua deſcendentia ſingula verba cum dictionibus Samſcrdamicis ſinceris, vide ſingulos numeros ſeu ſingulas radices dictionum in his octo numeris Romanis allatas. Num. I. II. III. IV. V. VI. VII. 2. 3.

MALABARICA IN LITTORE MALABARICO.

Aagashanguelll (num.I.) *irikuna* (num.II.) *namude* (num.III.) *Bàvà* (num. IV.)

Nintirunàmam (num. V. VI:) *shudhamàgapedenam* (num. VII. 3.)

CINGALAEA IN INSULA CEYLAN.

Swargaſtàle (in loco ſeu caelo *ſvargga*, num. I.) *Weddelna appe* (num. IV.) *pyanani.*

Tamun wabanſeegee nàmeie (num. VI.) *ſuddhewewai* (num. VII. 3.)

MARASHTICA INTER MARATTAS.

Weihunta mathê (num. I.) *abé* (num. II.) *amtze pité* (num. IV.)

Tumt-

(1) *Baldaeus*, Introduct. in ling. Malab. Belg. Amſt. *Chamberlayne* Orat. Domin. CLII. ling. *Kircher*, China illuſtrata. *Schulz*, lib. c. *pag.* 83. 84. 85. 86. *&* *ſeq.* Lipſiae apud Frid. *Geſſnern* anno 1748.

Digitized by Google

Tumtze (num. V.) *nàwe* (num. VI.) *pudſa vittha boun a* (num. VII.) *aſſüne déne*.

CANARINA IN REGNO CANARA.

Weikunthadage (num. I.) *ihé namma* (num. III.) *tandl* (num. IV.) *Nimma* (num.V.) *heſſara*, *pudſchi ſikombo* (n. VII.) *bage* (num. II. VII. 3.) *ibédu*. Hic perſpicis, caelum *Veigunda* dei Vishnu gloriam pro caelo vero ineptiſſime ſuppoſitum fuiſſe, ac proinde aliqua vocabula ambigua & falſa, certis, ſinceris veriſque ex imperitia etymologiarum Samſcrdamicarum in linguis gentilitiis ſubſtituta, corruptaque fuiſſe, caelum enim *Veigunda* fictitium dei *Vishnu* gloriae locum ethnicis celebrem pro veri Dei gloriae ſede ac caelo ſuppoſitum fuit. Hoc idem accidit in dialecto Maráshtica ſeu *Marathica* ſupra allata.

BALABANDICA AD MONTES BALAGATE.

Weikuntamathé ahé amtzé pité
Caelo in qui es noſter pater
Tumtzé nàwe pudſawitthaboúna aſſúne dene
tuum nomen ſanctificatum ſit.

Haec dialectus Maráshtica eſt, ut ex his verbis cum oratione Dominica Maráshtica collatis palam & aperte patet. Schulzius eam pro *Balabandica* obtrudit tamquam a Maráshtica differentem, neque obſervat in regno Balagate, Baglana, & Viſapur dialectum Maráshticam obtinere. Ita pariter Granthamicam linguam a Samſcrdamica diſtinguit, tamquam duae & diſtinctae linguae eſſent, cum tamen una ſola ſit, ac Granthamica ſolo nomine differat, eſt enim ഗ്രന്ഥം. *Grantham* liber Samſcrdamice, unde linguae Samſcrdamicae inhaeſit appellatio *Grantham*, *Granthamica*, *Grandon*, & corruptiſſime *Kirendam*, quae nomina totidem linguas inter ſe diverſas eſſe commenti ſunt La-Croze, Chamberlayne, Schulzius, Baldaeus, Kircherus (1).

(1) Orientaliſch-und occidentaliſcher Sprachmeiſter, *pag.* 122. Infra *pag.* 126. ado-

Paramandalo unde na tandri
Mijokka námadhejam pùdſimppa paranattu ganu.

Haec dialectus obtinet in tota ora Orixae in regno Golcondae & in tota ditione Talingarum, quae *Badaga*, id eſt, borealis dicitur.

GUZARATICA IN SINU CAMBAYAE.

Paramandalo tzé amarà Pità
Tumàra nàmà púſa Karvàne.

Haec aliis minus corrupta eſt, ſervat enim omnes radices Samſcrdamicas, quamvis alphabeto ſuo peculiari gentilitio eas corrumpat. Hoc idiomate ſunt conſcripti plerique libri, quos Anquetil du Perron inepte *Zoroaſtro* adſcribit. Libri hi Indicorum Samanaeorum varia commenta & lucubrationes ſunt, non autem Zoroaſtri. Aſſertio haec patet ex proprietate linguae qua exarati ſunt, ex indole eius & phraſibus, ex lemmate librorum, ex vocabulis Samſcrdamicis, ex doctrina quam tradunt, quae rite expenſa eadem eſt, quae philoſophorum Samanaeorum & Talapoinorum. Vide *Zend Aveſta*, *Ouvrage de Zoroaſtre* tom. I. part. 2. pag. 1. 2. 3. 7. 9. 77. 79. 39.

BENGALINA IN REGNO BENGALA.

Bappa Kita, jangadda de ſurga
Namma-mou jadi berſakti

Haec ceteris corruptior.

adorationis formulam Indicam: *Shri Gannesbàga namà*, Vishnu & Gannéshae (Iano) Deo adoratio, interpretatur: *Der heilige Ghanèſſa iſt der guttige Erfinder*. Quo nihil falſius, nihil abſurdius, nihil ineptius dici potuit. Vide Grammaticam Samſcrdamicam, Romae 1790 pag. 34. 36. 37.

DEVANAGARICA IN URBE PATNA, VANARES, ET AD TOTUM GANGEM

Ardwa loke ſtidò mat pitabà
Pavadia namadheyam pudſanlam pavatu.

Corruptionibus ſublatis ad regulas grammaticae Samſcrdamicae ore Italico & ad indolem linguae Italicae legendum & ſcribendum eſt:

Arthalògue ſtidà nà pidà
Tava nàmadheya pùgiànam bhavadu.

Vide numeros ſupra citatos. Haec igitur dialectus *Dévanagarica* matri Samſcrdamicae linguae proxime accedit.

MOGOLITANA IN AGRA ET DELLY.

Aſman-po rabatu-ſo hamara Bap,
Tumara Naan pak karna hone deo.

Haec corruptior eſt, & Indo-Perſica.

Haec orationis Dominicae initia in his dialectis deſcripta extant in variis Indicis Alphabetis Romae editis, quae tamen paullisper diſcrepant a Schulzianis. Corruptiones hae & diverſitates enaſcuntur, *Primo*, ex abuſu litterarum Samſcrdamicarum, unam alteri ſubinde minoris valoris, poteſtatis aut ſoni litteram ſubſtituendo. *Secundo*, ex defectu elementorum ex quibus alphabeta gentilitia ac cuique nationi peculiaria conſtant, cum haec alphabeta numero elementorum ſuorum alphabetum Samſcrdamicum omnium locupletiſſimum non attingant. *Tertio*, corruptiones hae prodeunt ex ipſo defectu linguarum ac imbecillitate litterarum Europaearum, quae ſono, valori, ac poteſtati elementorum Samſcrdamicorum raro correſpondent. E. g. ജ. littera Samſcrdamica aequivalet ج *gim* Arabico, ज *giba* Indoſtano, *g* litterae Italicae ante *e* vel *i* poſitae. Hanc tamen litteram ജ. nec Tamulenſes, nec Luſitani, nec Galli, neque Germani poſſident. Quo fit, ut ei aliam minoris aut falſi valo-

loris litteram ſubſtituant, ex qua ſubſtitutione enaſcuntur vitia falſae pronuntiationis, illegitimae ſcriptionis, ac denique vocabuli corruptelae. E. g. vocabulum പൂജ *pùgia* Italico more prolatum, quod *cultum*, *ſacrificium*, *venerationem* lingua Samſcrdamica ſonat, Germani ſcribunt *pùdscha*, quod eſt *felis*, vel *pùdſa*, vel *pùtſcha*, *pùſa*, *pùsha* unctio &c., quae quantum a vera pronuntiatione aberrent ac deſipiant, iam plane perſpicis. Ex hac ipſa cauſſa lingua Guzaratica ſcribit *pùſa*, & Tamulica *pùsha*, quae vocabula corrupta a Schulzio allata inſpice *pag.* 84. 89. 90. 92. in libro cit. Adde praepoſitiones ſeu poſtpoſitiones, inflexiones vocum cuique linguae peculiares, adde ſynonima varia linguae Samſcrdamicae in gentilitiis linguis Indicis, ſi ita dicere licet, inter ſe diſcerpta, diſtracta ac ſibi invicem vario modo ſubſtituta, videbiſque a nobis ſupra allatas dialectos omnes ex lingua *Samſcrdamica* deſcendere. Non tamen inde deſcendunt linguae illae Indicae, quae vocum radicibus Samſcrdamicis non utuntur, ac proinde Siamenſis, Peguana vulgaris, Malaica, Perſica recens, Tibetana recens, Mongalica ac Tartarica ſeu Scythica hodierna a Samſcrdamica non dimanat (1).

§. III.

Perſpecto iam linguarum Indicarum inter ſe nexu & diſcordia, ac dictionum maternae linguae cum filiabus explorato conſenſu & diſſenſu, omnem de Mercurio doctrinam, quam Paullus Iablonskius, Stephanus Fourmontius, Banier, Huetius, Mosheim, Brucker, Monteſalconius, Voſſius, Wachter, de Paw, Court de Gebelin, aliique multis voluminibus & commentationibus tradiderunt, in epitomen contrahamus. Ad hoc praeſtandum, ea quae de *Budha* ſeu Mercurio in *ſyſtemate Brahmanico* contractiſſime diximus *pag.* 154. *& ſeq.*, heic paullo apertius ſunt repetenda. Ex iis uberius diſcuſſis, non ſolum omnis de Mercurio veterum theodotia eluceſcet, ſed Brahma-

 ni-

(1) Dixi Perſicam recentem, Tibetanam & Peguanam recentem & vulgarem ex Samſcrdamica non deſcendere. At Tibetana liturgica vetus, Perſica vetus, Peguana vetus liturgica ſeu Pali certo ex Samſcrdamica dimanant.

nicae theogoniae nexus cum theogonia aliarum gentium, libri *Amaraſinha* antiquitas & auctoritas, variarum Indicarum gentium de Mercurio doctrinae & cultus concordia, ipſa denique infinitarum illarum de Mercurio fabularum prima & antiquiſſima radix & origo, aperta & perſpicua reddetur. Cognomina ſeu priſca indigitamenta Mercurii afferam ex libro *Amaraſinha*, a *R. P. Ioanne Hanxleden* ex ſyngraphis Brahmanum academiae *Triciuricenſis* in Malabaria ſua manu deſcripto. Ea conferam cum altero codice meo Brahmanico corticeo, atque cum codice Amaraſinha a *D. Franciſco Texeira* interprete ſocietatis Gallicae tranſumpto, ex quo ego ea deſcripſi. Tria haec exemplaria, de quorum *αὐθεντία* nec lis, nec dubium moveri poteſt, cum ea rerum peritis ſpectanda exhibere poſſim, inter ſe omnino concordant; excepto, quod primum illud R. P. I. Erneſti Hanxleden ſit verſibus ſeu per ശ്ലൊകം *Shlogam* ſcriptum, alia vero duo poſt quamvis vocem dicyclos gerant ad faciliorem cognominum ſeu indigitamentorum lectionem. Atque his ad latus apponitur vulgari lingua Malabarica ipſa vocabulorum Samſcrdamicorum explicatio, quae a Brahmanibus traditur in ipſa academia Triciuricenſi.

ആൎഹതഃക്ഷപണൊനഗ്നശ്രമണൊജീവകൊമലീ

Aarhadá Kshebanno-n-aghna Shramanó Givagò Malí

സൎവ്വജ്ഞസ്സുഗതൊബുദ്ധൊധൎമ്മരാജസ്തഥാഗതഃ

Sarvagna Sſugado Budho Dhermarágia-stath-águedá

സമന്തഭദ്രൊഭഗവാൻമാരജില്ലൊകജിജ്ജിനഃ

Samanda Bhadrò Bhagaván Máragil-lòga gilginá

ഷഡഭിജ്ഞൊദശബലൊദ്വയവാദിവിനായകഃ

Shadhabigno Dashabelo-dvayavádi Vináyagá

മുനീന്ദ്രശ്രീഘനശ്ശാസ്താമുനി* ശാക്യമുനിസ്തുയ

Munindra Shríghana Sháſtámuni * Shákyamuni Saſtuya

സശാക്യസിംഹസ്സൎവ്വാൎത്ഥസിദ്ധശ്ശൌദ്ധോദനിശ്ചസഃ

Sa Shákya Sinha-ſ-ſarvártha Sidha Shaudhodani Sciaſá

Digitized by Google

ഗൌതമശ്ശാക്കബന്ധുശ്ശമായാദെവീസുതശ്ശസ

Gaudama Sciárkabendhu-ſcia-Máyadévi Suda-ſciaſa.

Sublatis eliſionibus, ſyllabarum tranſpoſitionibus, & litterarum geminationibus, in verſibus ſeu *Shlòga* frequentiſſimis, haec cognomina, ſeu indigitamenta ſuae libertati ac ſolutae orationi reſtituta in vocabulario *Amaraſinha* dicyclis diſtincto, quod തമ്സ്കുത്ത *Tamszcutta* vocant, ſequenti modo ſcribuntur.

1. ആൎഹത aarhadá, *venerabilis*, *colendus*, *excellens*. Orpheus hymno in Mercurium: *Adſis oranti cultu operum*. *Et*, *venerabile linguae praeſidium*. Hoc Mercurii ſenioris epithetum pugnat cum epithetis Mercurii iunioris *Shàkya*, ſeu aſtuti, furis, praeſtigiatoris, cuius indigitamenta incipiunt poſt aſteriſcum. Ex quo iam palam & aperte patet, a Brahmanibus duos Mercurios admitti, eoſque per indigitamenta unicuique propria diſtingui: unum ſenem, venerabilem, Dhermaregem, humanarum inſtitutionum auctorem; & alium iuvenem, magum, praeſtigiatorem, vaccarum paſtorem, lyra inſtructum, callidum, ſagacem. Hos duos Mercurios vocabularium *Tamſzcutta* rite diſtinguit, atque hunc ſecundum *Màyae* quidem deae filium, ſed Veneris planetae familiarem eſſe dicit. ശുക്രവംശത്തിലുള്ള ശുദ്ധൊദനപുത്രൻപെര Shucra vamshattilulla Shudhodhana putren pera, id eſt: *ex Veneris familia formoſi*, *elegantis*, *nitiduli Mercurii nomina*. Hoc certe modo diſtincta eſſe videmus antiquiſſima Graeca Mercurii ſimulacra. Nam alia Mercurium illum ſenem Graecis *Hermam* dictum, barba inſtructum, virilibus erectis, ac ſolo ſuperiori corporis trunco inſignem exhibent; alia Mercurium iuvenem, comptum, candidum, elegantem, acuti viſus, nudum, aſtutum, toto corpore formoſum, Veneris amicum, fraude & dolis ludentem, ac iocantem, lyra denique inſtructum, aut numos ferentem repraeſentant (1).

Hos

(1) Inſpice & examina haec varia Mercurii ſimulacra, & quidem primo inſignem eiuſdem ſtatuam in villa Ludoviſiana intra palatium exſtantem, aerea eius ſimulacra plura in Muſeo Borgiano Velitris, & Romae in Kircheriano aſſer-

va-

Digitized by Google

Hos duos Mercurios Orpheus & Diodorus non diſtinxit, ſed indigitamenta ſeu ſacra cognomina in vocabulario Brahmanico diſtincta, atque duobus Mercuriis peculiaria, inter ſe confundit, atque omnia uni eidemque Mercurio affingit. Hoc etiam fecere Plato, Cicero, Ovidius, Virgilius, Plutarchus, Lactantius, Fulgentius, aliique mythographi, & ſcriptores ſupra citati (1). Vide ſupra *pag.* 9. 11. 12. 13.

2. ക്ഷപണ്ണഃ Kshebanná, *bonis ſe ſe abdicans*, *magnanimo corde omnia ſpernens*, Orpheo *magnanimum cor habens*, nempe ad omnia bona derelinquenda, qui primus philoſophiae gradus eſt, cuius inſtitutor & auctor fuiſſe fingitur ſenior Mercurius, Aegyptiorum ſacerdotum & Indicorum Samanaeorum caput, deus, & praeceptor (2).

3. അഗ്നഃ aghna, *radians*, *igneus*, *flammans*, Orpheo *accenſus*. അഗ്നി aghni *ignis*, അഗ്നഃ aghna, *igneus*, *radians*. Cicero, lib. 2. de nat. deor. pag. 221. edit. Lugd. *Mercurii stella* σίλβων *appellatur a Graecis*, *neque a ſole longius umquam unius ſigni intervallo diſcedit*, *tum antevertens*, *tum ſubſequens*. Addit *Caroli Stephani* dictionarium hiſtoricum ac poeticum pag. 393. *Mercurii stella Aſtronomis* σίλβων *dicitur*, *quod eſt*, *radians*. Profecto Nepalenſes Indi Budham ſeu Mercurium *flavo colore* pingunt, quo aperte demonſtrant, Mercurium ex vetuſtiſſima traditione

ra-

vata; Court de Gebelin, & Cartari locis infra citandis ubi varias Mercurii icones exhibent, & Indica, Siamenſia, & Sinica ſimulacra vide in Pivatii dictionario ſcientifico, *tom.* 8. *tab.* 30. *&* 32. *fig.* 1. 3. *tab.* 37. *fig.* 3. *tab.* 46. *fig.* 3. *&* *tab.* 38. ubi *Fo* Sinicus ut rex corona redimitus exhibetur.

(1) Plato *in Phaedro*, idem *in Philebo*. Cicero *lib.* 3. *de nat. deor.* Philo Biblius apud Euſeb. *praep. Evang. lib.* 1. §. 9. *pag.* 30. *& ſeq.* Ovidius 5. *Faſt.* Plutarchus *de Iſide*. Orpheus hymno in Mercurium *edit. Traiect.* Macrobius *Saturn. lib.* 1. *cap.* 17. *&* *cap.* 19. Court de Gebelin, tom. 3. pag. 100. *Hiſtoire de Mercure ou Thot*, Ita pariter Budhae, ſeu Mercurii Indici theogoniam intricarunt, & abſurdis commentationibus totam quantam involverunt auctor *obſervat. praelim.* in ſpurium librum *Ezourvédam* tom. 1. *pag.* 48. *& ſeq.* De Paw, *Recherches philoſophiques* tom. 2. *ſect.* 8. *de la religion des Chinois* edit. Berolin. 1773. Auctor Alphab. Tibetani, *pag.* 269. 375 302. 335. 372. 382. Angli Calcuttenſes in libro *Aſiatick reſearches*, tom. 1. *pag.* 426. 354. 344.

(2) Clem. Alex. *Strom. lib.* 1. *p.* 359. Tertul. *de anima c.* 2. Martini, *Archaeologia Erneſti*, pag. 119. edit. Lipſ. 1790.

Digitized by Google

radiantem eſſe, atque deum hunc genium ad aſtronomiam referri debere, ſeu genium ſtellae Mercurii rectorem & vectorem eſſe. *Diſtributam aſtrorum ſeriem, vocumque harmonias & naturas obſervavit* (*Mercurius*). Diod. Sic. *tom.* I. *pag.* 19. *edit. Amſtel.* R. P. Conſtantinus ab Aſculo in libro mſſ., *Notizie Laconiche*, *num.* XXXII. inter cod. bibl. S. Cong. de P. F. ad *fig.* 36., quae eſt icon Mercurii, ait: *Budho* (Budha) *di color giallo*. Et iterum ad *fig.* 51. dum de Mercurio, qui feriae quartae ſeu diei Mercurii praeſidet, agit, inquit: *Budhanàl, che è il giorno di Mercordì, idolo poſto ſopra di un bianco leone* (rapacitatis ſymbolo,) *eſſendo eſſo di color giallo, idolo molto venerato, volendo che ſia quel Budho* (Budha) *deſcritto alla fig.* 36., quae eſt ſimulacrum Mercurii *flavi* ſeu radiantis coloris. Ipſi itaque Indicorum deorum colores aliquid indicant, ac proprietates deorum annunciant, neque gentis, aut patriae, ſeu Indorum indigenarum hominum colores ſunt a patria, a climate, aut a ſolo deſumpti, quod noſter cenſor defendit. Budhiſtae Samanaei, & Peguani Talapoini Mercurii fictitii ſectae ſuae inſtitutoris aſſeclae flavi coloris habitu induuntur ad colorem radiantem Mercurii exprimendum. *L'abito di Pinzen è doppio, e quello di Samane* (Samanaeorum) *è ſemplice, e deve eſſere giallo*. R. P. Carpanus in animadverſionibus in librum *Kammuva* Peguanum. V. *Syſtema Brahmanicum*, pag. 115. Confer Macrobium *lib.* I. *Saturn. cap.* 19. de colore Aegyptiorum deorum.

Haec ſtella (Mercurius) *Mercurio data exiſtimatur, quod primus menſes inſtituerit, & perviderit ſiderum curſus*, Hygini poeticon Aſtronomicon *pag.* 416. Inter Mythographos latinos *Amſtel.* 1671. Apud Indos autem non Mercurius, fictitium numen, ſeu non ille genius re vera aſtra obſervavit, ſed Samanaei, qui aſtronomiae inventionem Mercurio adſcripſerunt. *Leges a Mercurio ſibi traditas ſimulavit* (Mneves). *Id commenti genus apud plures quoque alias gentes adhibitum eſt*. Diod. Sic. *t.* I. *p.* 105. *edit. Amſt. Videntur* (Samanaei) *obſervare caeleſtia, & per eorum ſignificationem quaedam futura praedicere*. Clem. Alex. *Strom. l.* 3. *p.* 539. & Plutarchus in Iſide: *Oſirin nigro colore fuiſſe fabulantur* (Aegyptii) *quia aqua omnem terram, omnem veſtem, & nubes etiam nigras reddit*

reddit admixta. Et infra: *Narrant Aegyptii .... Typhonem fuiſſe rufum, Orum album, Oſirin nigrum.* Numquid Aegyptii & Indi ſimul & ſemel facie albi, nigri, virides, rufi, caerulei, & flavi ſunt? numquid a patria, a loco habitationis, a climate, a faciebus ſuis faciem deorum ſuorum pingunt? Virides ergo, albos, nigros, flavos, flammeos, facie radiantes habebimus Indos & Aegyptios? Quam bella res videre cenſorem noſtrum in actis Martyrum de colore Indicorum deorum diſputantem! Primi qui colorem deorum mutarunt, deoſque ad indolem ſuam effinxerunt, fuere Graeci, id quod cenſor noſter ex Clem. Alexandr. *Strom. lib.* 7. *pag.* 357. haud difficulter colligere poterit. Nec mirum, colorum varietatem apud Indos & Aegyptios ad varia naturae phoenomena, atque ad deorum ſuorum proprietates exprimendas aſſumptam fuiſſe, quando hodiedum inter nos ad ſanctos diſcernendos, ad ſignificandas certas rerum proprietates, quin immo ad arbitraria ſymbola inter ſe diſtinguenda varii colores aſſummuntur. *Deos ea facie novimus, qua pictores fictoreſque voluerunt; neque ſolum facie, ſed etiam ornatu, aetate, atque veſtitu.* Cicero lib. 1. de nat. deor. p. 207. & pag. 206. *Quis tam caecus in contemplandis rebus umquam fuit, ut non videret ſpecies iſtas hominum collatas in deos aut conſilio quodam ſapientum, quo facilius animos imperitorum ad deorum cultum a vitae pravitate converterent: aut ſuperſtitione, ut eſſent ſimulacra, quae venerantes, deos ipſos ſe adire crederent? auxerunt autem haec eadem poetae, pictores, opifices.* Et infra: *Quid enim attinet, cum una facies ſit, plura eſſe nomina? Quot hominum linguae, tot nomina deorum. Non enim, ut tu* Vellejus, *quocumque veneris, ſic idem in Italia Vulcanus, idem in Africa, idem in Hiſpania.* Ceterum, vocabulum അജ്ഞൻ *agna*, cum ſyllaba *gna* non Italico, ſed Germanico more in hac voce *Gnad*, prolata, oſcitantia amanuenſis in codice Franciſci Texeira mutatum fuit in നന്നൻ nanna *bonus*. Hunc errorem nos offendimus, dum codicem illum cum codice P. Hanxleden contuliſſemus; quare cognomen *bonus*, *nannà*, quod ex codice Texeirae in ſyſtemate Brahmanico

Digitized by Google

nico *pag.* 155. Mercurio attribuimus, expungendum eſt, eique ſubſtitui debet epithetum അഗ്നാ agná, *igneus*, *radians*, *accenſus*, ut habet correctus codex R. P. Hanxleden.

4. ശ്രമണാ Shramaná, *diligens*, *labori*, *induſtriae deditus*, *multa tentans*, Orpheo *multivolus*. Quiſque me etiam tacente, ex hoc epitheto facile arguet, Mercurium hunc paleſtrae, nautarum, & mercatorum deum eſſe, cum hae artes cumprimis diligentia, induſtria, & exercitatione perficiantur. *Eximia ingenii perſpicacitate in excogitandis vitae humanae commodis inſtructus fuit* (*Mercurius*). Diod. Sic. *t.* 1. *pag.* 10. *edit. Amſt.* 1746. Minus recte *Rhodomanus & Weſſelingius* ad hunc Diodori locum Mercurium in Aegyptium & Graecum diſtinguunt, nam ambo Indici Mercurii utrique genti erant communes, ſed diverſis inter ſe ſimulacris exhibebantur. Vide *notas* in hunc Diodori locum. Confer *Natalis Comitis mythologias*, l. 5. c. 5. p. 432. & ſeq. *de Mercurio*. Graeci latinique has artes iuniori Mercurio adſcribere videntur, ſed quia ſenior iſte Mercurius omnium ſcientiarum artiumque honeſtarum auctor fictitius eſt, huic potius attribuendae ſunt. *Mercatores omnes Mercurio ſacrificant*. Macrob. *ſat. lib.* 1. *cap.* 12.

5. ജീവകാ Givagá, *vivificator*, *vitam*, *animam*, *& ſenſum tribuens*, *rebus animationem conferens*, Orpheo *almifer omnium*, almus, ut ſol, vel tellus alma, quae res animat & nutrit. Hoc epitheton antiquiſſima Mercurii ſimulacra exprimunt, dum eum erectis virilibus exhibent. Vide in muſeo Kircheriano, & in Borgiano Velitris plura iſtius formae aerea ſimulacra, quae non figuram comicam aut ſcenicam repraeſentant, ut ſatis inepte plures mythologiae imperiti circulatores & Schoenóbatae per muſea oberrantes cantitant, ſed Mercurium almiferum atque animali quodam ſpiritu res terreſtres animantem ſignificant. *Mercurius oleae plantam invenit*. Diod. Sic. *bibl. tom.* 1. *pag.* 20. edit Amſt. 1746. Confer *cod. mſſ. in fol.* P. Marci a Tumba *pag.* 116. 127. ubi ex Indorum ſententia *Venerem* planetam *ſatorem* eſſe, ſeu in terreſtria influere, aſtrum *Urſa maior* dictum *Muni*

ſeu ſilentiarium contemplatorem, ac magiſtrum *Râmae*, ſeu Bacchi iunioris praeceptorem eſſe docet. Ibi multa de ſtellarum hiſtoriis traduntur. Vide Macrobium *lib.* 1. *Saturn. cap.* 8. *&* *cap.* 19. ubi Mercurium virilibus erectis inſignem *rerum ſatorem* deſcribit, ſed cum ſole confundit. Indi ut *B*udham ſuum rerum *ſatorem* eſſe demonſtrent, *B*udham ſeu Mercurium nymphaeam una aut ambabus manibus geſtantem exhibent. Vide in Syſt. *B*rahmanico tab. XX. *Budha in templo Iagarnat*. Hic idem in loto ſeu nymphaea, ex humore & calore omnis generationis terreſtris ſymbolo & principio, ſubinde decuſſatis pedibus ſedens, alias in eadem loto ſtans exhibetur. Ad hoc epithetum uberius illuſtrandum, inſpiciamus quinque inſignia muſei *B*orgiani *B*udhae, Godamae, & Fo-hi Sinenſis ſimulacra.

Num. I. *Godama Peguanus*. Simulacrum eſt ex marmore albo, numen colore aureo totum inauratum, baſis cui inſidet, lotus colore rubeo tincta. Godama pedibus decuſſatis in loto ſedens corpore nudus, auribus longis & more Indico pertuſis, zonam *B*rahmanicam magiſterii ſymbolum, more Indico, ut *Guru* ſeu magiſter, ex humero pendentem geſtat. Oculis defixis & meditans repraeſentatur. Simile eſt huic alterum ſimulacrum Peguanum ex plumbo, quod dedimus In *Syſt. Brahm. tab.* XV. *b*.

Num. II. *Amida Buth Iapponicus*. Templum ſeu ſacellum bivalve intus inauratum, foris vernice nigra illitum. *Amida Buth* ſtat pedibus nudis in loto, foliis ligneis flavo & viridi colore tinctis. Veſte induitur longa pallium exhibente, quo philoſophi Iapponenſes amiciuntur. Capititio ſeu pileo operitur coloris caerulei, facie meditabunda, manu dextra expanſa, ſiniſtra vero protenſa docentis aut loquentis inſtar palmam manus monſtrando exhibetur.

Num. III. *Samanà Siamenſis*. Figura ex imo prominens (baſſo rilievo) in terra cocta inaurata deum *Samanacodam* id eſt, deum *genium Samanà* in baſi, ad loti formam fabrefacta, ſedentem exhibet. Sedet numen pedibus decuſſatis, quo more ſupra ſtoreas ſedent Indi omnes, aures gerit protenſas ut Indi, faciem exhibet meditabundam, cogitationibus ac curis plenam: ab utroque latere & in ſuprema parte radiis ſeu ornatu cingitur.

Num.

Digitized by Google

Num. IV. *Fohi Sinenſis*. Fohi Sinenſis, ſimulacrum ex ligno inaurato, ſedet in ſede more Sinenſi, indutus palliis ſeu veſtibus longis & furvis, manicis pendentibus & largis; manibus ante pectus compoſitis, ante faciem ambabus manibus tenet librum, quem intenta mente, & fixis oculis inſpicit. Codex eſſe videtur chartaceus ſeu potius involucrum arte plicatum. Miſtaces, barbulam ex mento, utramque genam more Sinico lanuginoſam gerit. Mitra ſeu pileus ex capite defluens ad tergum vergit, calcei recurvi Sinenſes pedes tegunt. Heic igitur lotos deeſt, liber tamen ille quem deus iſte manibus tenet & inſpicit, Mercurium eſſe ſatis indicat.

Num. V. *Budha Tibetanus*. Simulacrum ex aere. Budha ſedet in baſi lotum exprimente, pedibus decuſſatis, corpore nudo, ſoliſque femoralibus induto. Armillas in brachiis & manibus, ex collo monilia geſtat. Aures longas, capillos ab occipitio in antiam aut capronam religatos habet eo more quo capillamentum ligatum geſtant Indi & Tibetani. Unam manum elevatam, cuius palmam monſtrat, aliam ad genu applicatam tenet. Facie & mente intenta, atque cogitationibus abſorpta contemplans exhibetur. Lumbos Zona, *arignàna* dicta, praecinctus eſt. In aliis ſimulacris idem Budha ſubinde in vola manus quadrangulum deſcriptum monſtrans; in aliis *lingam* ſeu phallum manu geſtans; in aliis manu lotum ferens; in aliis oculum manu gerens, in aliis coronam precatoriam una manu tenens exhibetur. Vide Pivatium *tom.* 8. *tab.*41. *fig.* 1. *&* 2. Notizie Laconiche, iconem Budhae *fig.*36. *&* 51. Sacellum Krshnae indicum Borgianum *num.* 1. valva plicatilis prima ſiniſtra *fig.* 1., in qua Budha deus in loto ſedens, & vexillum pro caduceo manu geſtans repraeſentatur.

Ex his igitur omnibus iam omnino perſpicuum eſt, ab omnibus gentibus Mercurium ut *ſatorem* rerum naturalium & terreſtrium, atque ut auctorem rerum moralium, denique ut artium & ſcientiarum inſtitutorem exhiberi:

Plutarchus lib. 1. de placitis philos. *Homines pro patre caelum* (pro ſatoribus planetas,) *pro matre terram acceperunt*, *patrem illum*, *quod aquam inſtar ſeminis effunderet*, *matrem hanc*,

 quod

Digitized by Google

quod conciperet & pareret. Et Ovidius, Metamorph. *lib.* 1. f. 8.

Sic ubi. . . . .
Aethereoque recens exarſit ſidere limus,
Plurima cultores verſis animalia glebis
Inveniunt.
Quippe ubi temperiem ſumpſere humorque calorque
Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus,
Cumque ſit ignis aquae pugnax, vapor humidus omnes
Res creat; & diſcors concordia faetibus apta eſt.

Cicer. l. 2. de nat. deor. edit. Lugd. p. 221. *Solis tum acceſſus modici, tum receſſus, & frigoris & caloris modum temperant .... Ita ex quatuor temporum mutationibus, omnium, quae terra, marique gignuntur, initia, cauſſaeque ducuntur*. Et infra: *Multa ab ea* (luna) *manant, & fluunt, quibus & animantes alantur, augeſcant, & pubeſcant, maturitatemque aſſequantur, quae oriuntur e terra*. Conf. Clem. Alex. *Cohort. ad gent. edit. Ven. pag.* 22. de Indis ſolem & lunam colentibus, & ibidem ſub *nota* 3. idololatriae 6. praecipuas cauſſas. Quid Indico Sophiſtae heic reſpondet noſter cenſor, quid oggeret ad haec Mercurii epitheta, qui Budham ſeu Mercurium, Manetem Ieſumque Manichaeorum eſſe lepide canit? Quid ii, qui cum ipſo omnes gentium deos puros putoſque homines eſſe garriunt & comminiſcuntur? Vide plura ſimulacra Aegyptia virilibus erectis ad hanc doctrinam ſpectantia in Muſeo Borgiano, & apud Caylus, *Recueil. d'antiquités Egyptiennes*, tom. 3. tab. 1. & 2. num. 1. 2. 4. *Aſiatick Reſearches*, tom. 1. pag. 425.

6. മലി *malí*, niger, peruſtus. *Idem* (Mercurius) *etiam ſolatus & peruſtus fingitur, quod ſoli vicinior ſit quam reliquae ſtellae*. Caroli Stephani dictionarium hiſtorico-poeticum *p.* 393. ſub voce *Mercurius*. Et revera in ſacello Indico muſei Borgiani *num.* 1. in valva plicatili prima ſiniſtra, *fig.* 1. Budha Indicus toto corpore caeruleo fuſco exhibetur. *Veteres autem caeruleum nigrum accipiebant*. Iohannes Clericus, *art. crit. vol.* 1. *part.* 2. *ſect.* 2. *p.* 402. *ediſt. Amſt.* Fuſcus pariter eſt Budha ſeu Mercurius, qui in templo Indico Iagarnat colitur. V. *tab.* xx. in Syſt. Bra-

Brahmanico. Haec ſimulacra non lucernarum in delubris ardentium fumo, ſed arte & induſtria, atque ex mythicis cauſſis fuſca ſunt, nam Budae in ſacello Borgiano depicto, numquam oleum aut lucerna admota fuit.

Ex hoc igitur epitheto iterum evidenter arguitur, deum Mercurium, numen aſtronomicum, ac genium planetae Mercurii rectorem, ſeu ſidus ipſum eſſe, cui phyſica & moralia hominum inſtituta adſcripta fuerunt. Non itaque eſt Manes vel Ieſus Manichaeorum, quod fabulatur auctor Alphabeti Tibetani; non eſt Henoch, quod comminiſcitur Fourmont; non eſt *Siphoas* rex Aegypti, quod vult Iablonskius; non eſt philoſophus atheus Samanaeus, quod fingunt Angli Calcuttenſes & auctor obſervationum praeliminarium in ſpurium librum Ezourvedam; non eſt Apollonius Tyanaeus, quod ſomniat Mosheim; non eſt religionis Indicae & Sinenſis reformator homo phyſicus & philoſophus, quod comminiſcitur de Paw; non eſt Perſa circulator, quod putat P. Marcus a Tumba; non eſt rex verus, phyſicus & hiſtoricus, quod volunt Sinicae, Tartaricae, Indicae & Tibetanae fabulae indigeſtae; ſed eſt Mercurius genius Stellae Mercurii rector, numen fictitium, aſtronomicum, antiquiſſimum, cuius cultus & apotheoſis ad annum circiter 1400. aut 1600. ante Chriſtum natum referenda eſt (1). Haec apotheoſis primo Brahmanibus & aſtronomis Indis adſcribenda eſt, cum hi ſoli Mercurii verorum epithetorum & nominum depoſitarii & cuſtodes ſint.

7. സൎവ്വജ്ഞഃ Sarvagná *omniſcius*, nempe quia omnes ſcientias & artes poſſediſſe & hominibus tradidiſſe fingitur, quod epithetum ſeu cognomen Mercurio non conveniret, ſi is homo & non deus eſſe crederetur. *Leges a Mercurio ſibi traditas unde in-*

(1). Vide ſcriptores *ſupra citatos*, Pantheon Aegypt. *tom*.2. *pag*.166. 190. Fourmont, *Reflexions critiques ſur les hiſtoires des anciens peuples*, *tom*.1. *c*.3. *pag*.234. *& ſeq*. Mosheim, *tom*.1. Theſ. Epiſtol. *epiſt*. 230. *ad La-Crozium*. P. Marcus a Tumba *in cod. mſſ*. in fol. pag. 116. & ſeq. *maſſime le più cognite, che hanno queſti gentili dell' Indoſtano*, in muſeo Borgiano Velitris. Court de Gebelin, *tom*.3. *pag*.142. 143. Strahlenberg, *deſcription hiſtorique de l'Empire Ruſſien*, tom. 2. pag. 170. 169. Codex manuſcriptus Siamicus *num*.V. infra cit. cap. 2. *delle falſe divinità dei Siameſi*, in Muſeo Borgiano Velitris.

Digitized by Google

ingentia vitae bona promanarent ſimulavit (Mneves) *Aegypti rex. Id commenti genus apud plures quoque alias gentes adhibitum eſt.* Diod. Sic. *lib.* 1. *p.* 105. *edit. Amſtel.* Vide *pag.* 14.

8. സുഗദ Sugada, *pulchre*, *cito*, *feſtinanter volans aut pergens*. സു *ſu* praepoſitio laudis eſt aut feſtinationis, ഗദ *gada* ambulans, pergens, vel volans, inſignis viator, nuntius, Orpheo *alipes*, *internuntius*; idcirco Graeci ſimulacris Mercurii alas in capite & pedibus affingunt, quae quidem alae non vocis aut mentis celeritatem ſignificant, quod vult Macrobius; ſed ipſius dei genii velocitatem exprimunt, qua hominibus ſe invocantibus praeſto eſt, ac reliquorum principum deorum tabellas & mandata defert. Calcuttenſes Angli in libro *Aſiatick reſearches* tom. 1. pag. 129. & alibi ſaepe cognomen *ſugada* corrupte ſcribunt Soogot. *For being a* Soogot, *he is lord of the univerſe*; ad quae verba D. Wilkius nomen *Soogot*, id eſt, more Latino vel Italico ſcriptum *Sugada*, ineptiſſime interpretatur: *an atheiſt*, atheiſta; ait enim: *Soogot ſignifies an atheiſt, or follower of the tenets of Soogota Philoſopher*.

Wilkinſium correxit ipſe D. Haſtings tunc praeſes ſocietatis litterariae Anglo-Indicae, qui *pag.* 142. eiuſdem libri, dum animadverſiones Wilkinſii caſtigat, ait: *Is not the firſt couplet* (inſcriptionis in tabula aerea, quae ad annum 23. ante Chriſtum natum refertur,) *Is not the firſt couplet in honour of Budha, one of Whoſe names in the Amarcosh* (Amaraſinha) *is Sugada*? Sugada itaque unum eſt cognomen ex cognominibus *Budhae* in libro Amaraſinha deſcriptis. Verum an Budha philoſophus eſt, & vir mortalis, qui philoſophiam inſtituit, quod oſcitanter, ſine ſufficienti linguae Samſcrdamicae peritia ex indigeſtis Indicis fabulis adſtruunt Angli? An atheus eſt, quod itidem docent §. 18.? An Sugada, qui & *Budha*, non eſt Mercurius nuntius, inſignis viator, alipes, & Orpheo internuntius?

. . . . pedibus talaria nectit
Aurea: quae ſublimem alis ſive aequora ſupra
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Virg. 4. *Aeneidos*.

Vide

Digitized by Google

Videant in eodem libro *Aſiatick reſearches* hi Angli p. 284. *Translation of a Samſcrit inſcription copied from a ſtone* by Mr. Wilmont, eamque inſcriptionem intenta mente examinent. Ibi *Budha* tamquam deus *almiſer*, *genius*, *miſericors*, & *hominum cenſor* aperta & viva deſcriptione exhibetur. Igitur linguae Samſcrdamicae ſtudio omni conatu incumbendum eſt prius, quam monumentorum Indicorum illuſtratio ſuſcipiatur, & ſine ſumma linguae peritia ipſa illa monumenta ambiguitatibus, falſis interpretationibus, caligine obvolvuntur, neque ad animos colluſtrandos, ſed ad gentium hiſtoriam intricandam inſerviunt. Vide ſupra *pag.* 9. & 14.

9. ബുദ്ധഃ Budha, *mens*, *conſilium*, ſeu *genius eximia mente* & *conſilio praeditus*. *Conſiliarium ei* (Iſidi) *Mercurium adiunxit* (Oſiris, Indis, Shiva,) *quod prudentia ceteros anteſtaret omnes.* Diod. Sic. *p.* 20. *edit. Amſt. tom.* 1. ബുദ്ധി budhi, *intelligentia*, *intellectus*, vide Amaraſinha *ſect. dhivargga*. ബുദ്ധിമാൻ budhimán, *vir acris intellectus*, ബൊധതി bodhadi, *ille intelligit*, ബൊധസി bodhaſi, *tu intelligis*, ബൊധാമി bodhámi, *ego intelligo*. Hoc verbum mere eſt Samſcrdamicum. ബൊധിക്കുന്നു bodhikunu, *intelligo*, verbum eſt Malabaricum, ബുദ്ധി ചൊല്ലുന്നു *budhi ciollunu*, mentem, conſilium, intellectum, ſapientiam alicui dicere, *conſilio* & *praeceptis imbuere*. ബുധനാഴ്ച്ച budhenászicia vel budhanál, aut budhavára, *dies Mercurii*, *feria* 4. ബുദ്ധം budham, *res nota*, *intellecta*. ബുധൻ budhin vel budhen, *planeta Mercurius* Malabarice, & ബുധഃ budhá vel ബുദ്ധഃ *budha* Samſcrdamice, idem *planeta Mercurius*. Ubi iam palam & aperte vides, planetam Mercurium ex ſua propria & interna etymologia a *ſcientia*, a *men-*

mente, ab *intelligentia*, ബുദ്ധ *Budhà*, id eſt genium planetam intelligentem, ſcientia, mente, conſilio praeditum dici. *Oſiridis notarius fuit* (Mercurius). Diod. Sic. *tom.* 1. *pag.* 20. Et ſupra: *Conſiliarium ei* (Iſidi) *Mercurium adiunxit* (Oſiris); quia veteres Indi ſtellas animatas, geniiſque intelligentibus, qui eas regerent & moverent, refertas eſſe credebant, & hodiedum credunt. Hos genios ſilentiarios & ſolis dei contemplatores, cultores & aulicos eſſe dicunt, eiſque filios, domicilia, artes, ſcientias adſcribunt, tranſmigrare, hominibus ſaepe apparere autumant; ac cumprimis planetae Mercurio ſcientiam, philoſophiam, aſtronomiam, meditandi artem, cultus divini inſtitutionem, aliaque multa attribuunt (1). Quare multa Mercurii ſimulacra Mercurium *arietem* humeris ferentem, aut conducentem exhibent, quo innuunt, Mercurium eſſe, qui hoſtias, victimas & ſacrificia, *arietis* immolatione perficienda inſtituerit. Alia ſimulacra, ut ſunt Indica & Sinenſia, ut eum ſcientiae, philoſophiae, litterarum, ſcripturae & meditationis auctorem eſſe demonſtrent, aut librum geſtantem, aut meditabundum repraeſentant. Vide quinque ſimulacra Budhae in muſeo Borgiano ſupra a nobis deſcripta. Vide etiam plura ſimulacra Mercurii ex *Montefalconio*, *Stoſch*, & *Cartari* allata apud D. Court de Gebelin, *Explication de trois allegories orientales*, planche II. Mercures pag. 100. *Hiſtoire de Mercure ou Thot*, ubi in monumento primo & tertio Mercurio *gallus* vigilantiae ſymbolum, & *aries*, victimarum & ſacrificii ſymbolum, affictus exſtat. Hic aries, non demonſtrat Mercurium eſſe aſtronomum, ſeu ſcien-

tia

(1) Ex his iam recte argues, primorum Indiae regum ſeriem, de qua Plinius *hiſt. nat. lib.* 6. *cap.* 17. Arrianus, *hiſt. Indicae lib.* 1. *cap.* 1. *pag.* 321. *edit. Lugd. Batav.* Anquetil du Perron, *Recherches hiſtoriques ſur l'Inde*, tom. 1. art. III. *pag.* XXXII. *& ſeq.* omnino commentitiam & falſam eſſe. Nam primus Indorum rex eſſe dicitur Bacchus, ſeu *liber Pater*, ſecundus *Spartemba*, tertius *Budya*. Bacchus ſeu Oſiris, Herma (Dherma) ſeu Budha Indis aeque ac Aegyptiis primi ſunt reges. Catalogus regum Indicorum quem affert Anquetil ex *Tedzkerat Aſſalatin* Perſa, ab initio ex poemate Epico, *Yudhishtira* dicto, ac proinde *ex Indicis fabulis* & commentis excerptus fuit. Haec tamen non obſtant gentis Indicae antiquitati, nam eius, ut legibus, artibus, commercio perpolitae, iam a remotiſſimis temporibus meminit *Iob*, *Moſes*, *Cicero*, *Diodorus*, *Euſebius*, *Strabo*, quos confer. Vide *ſyſtema Brahmanicum* pag. 124. 125. 305. 306. 307. 308. *Diod. Sic.* lib. 2. p. 151. ed. Amſt.

Digitized by Google

tiae aſtronomicae inventorem, quod in falſo ſuo ſyſtemate contendit Court de Gebelin; ſed indicat, Mercurium ſacrificiorum eſſe auctorem, id quod credunt & docent Indi apud P. Conſtantinum ab Aſculo, Tibetani & Sinenſes. Vide *Notizie Laconiche* ad fig. 36. & 41. *fragmentum epiſtolae* cuiuſdam Miſſionarii Pekinenſis *ſupra relatum*. Diod. Sic. *lib.* 1. *p.* 9. *ed. Baſ.* Euſeb. *praep. Evang. lib.* 1. § 9. *p.* 31. Arietis enim immolatio in ſacrificiis apud Indos & Perſas antiquiſſima eſt, id quod nos de ſacrificio Brahmanico *Yàgam* agentes demonſtravimus. Vide *Syſt. Brahmanicum* pag. 1. & ſeq. & *Leviticum* paſſim.

Ex his etiam recte arguitur, falſum eſſe id, quod ait *Beauſobre* apud auctorem *obſervationum praeliminarium* in librum Ezourvedam, *tom.* 1. *p.* 51., videlicet nomen *Budha*, quod corrupte ſcribit *Budda* vel *Butta*, non eſſe originis Indicae. Nam ſcribendum eſt *Budha*, non autem *Butta*, prout illud ſcribit Bochartus *Geogr. ſacrae Can. p.* 527., qui nomen *Budha* derivari putat ex nomine Aſſirico *Buttam*. Budha, *mens*, *intelligentia*, *conſilium*, ſeu genius *mente*, *ſcientia praeditus*, *genius intelligens*, is ipſe eſt Mercurius, de quo Macrobius *Satur. lib.* 1. *cap.* 19. *Mentis potentem Mercurium credimus. Summa eſt velocitas mentis. Mercurius ſermonem impertit: Mercurium Aegyptii alterum caerulea* (Indi fuſca) *ſpecie, alterum clara* (ut ſaepe Indi) *fingunt*.... *Inter ſuperos & inferos deos adminiſter, ac nuncius exiſtimatur*... *Pleraque ſimulacra Mercurii quadrato ſtatu figurantur ſolo capite inſignita & virilibus erectis*. Nempe Graeci, per ſolum caput mentem, & Indi per faciem meditabundam & cogitationibus abſorptam, eamdem Mercurii mentem, ſcientiam, intelligentiam, ſeu genium intelligentem, doctum, ac ad conſilia promptum & efficacem indicare volunt. Confer *Ladvocat* ſub voce Mercurius. *Allata praeterea eſſe dona* (ex India ad Auguſtum R. I. a Poro Indiae rege miſſa,) *octo ſervos nudos in ſubligaculis aromatibus delibutos, eſſe autem dona* Mercurium *a puero brachia ab humeris exertum, quem nos vidimus*. Strabo *lib.* 15. Itaque ſtatuae *Mercurii* ſeculo aerae vulgaris primo in India iam fabrefactae, ex India mittebantur, & harum Mercurii ſeu Budae ſtatuarum unam ex Indico regno Nepal, & urbe *Catmandu*,

anno circiter 60. aerae Chriſtianae ſecum in Tibetum regi Tibetano nuptura attulit ſponsa regia ലക്ഷ്മിസ്ത്രീസുന്ദരി *Laeksmiſtri ſunari*, hoc eſt, formoſa puella *Laekshmi*, regis Nepalenſis filia. Hoc nomen, ut alia infinita, corrupit auctor Alphabeti Tibetani. Vide chronotaxim Tibetanam in Alph. Tibet *pag.* 298. 299. Aliam *Budhae* ſeu *Fobi* ſtatuam argenteam ex Sinis in Tibetum nuptura tulit ſponſa Sinenſis *Lha-ci-Concioà*, filia Imperatoris Sinici *Chia-khang-tzhe-prubl-ciung*. (1) Vide *l.c.* Hae ſtatuae *Mercurium* exhibebant a puero brachia exertum, ut id palam & aperte docet Strabo, qui unam harum ſtatuarum ipſe vidit. Non igitur erant ſtatuae Manetis aut Ieſu Manichaeorum, quod linguarum imperitus inepte docuit De Guignes, & quod noſter ſuſtinet cenſor.

Lingua Sinica, Tibetana, & probabilius etiam Aegyptiaca antiqua caret littera ബ. *B.*, quae prima eſt in nomine *Budhà* (2). Lingua ſacra Samſcrdamica, Malabarica, Tamulica, Devanagarica aliaeque ex Samſcrdamica deſcendentes deſtituuntur littera *F.* (3). Igitur quemadmodum Sinenſes nomen *Budha* nequeunt ſcribere ob defectum litterae *B.*, ita Indi nequeunt ſcribere nomen *Fobi* ob defectum litterae *F.* Igitur Sinae & Tibetani littera *B.* carentes nomen *Budha* neceſſario corrumpere debuerant; & revera ſcribunt illud corrupte *Fo* pro *Bodh* vel *Budha*; & Tibetani *Pout*, Pott, Poti, Put pro *Budh* vel Budha (4). Eadem igitur deficientium litterarum ratio, linguarum antiquarum iam a prima ſua origine corruptio, elementorum unius pro altero ſubſtitutio, unius eiuſdemque litterae valoris & ſoni permutatio in iis praeſertim gentibus, quae cultum religioſum ab alia gente acceperunt, in cauſſa eſt, cur Indicum nomen *Budh* ſeu Bu-

(1) Strahlenberg. *l. c.* Aſiatick reſearches, *tom.* 1. *p.* 426. Auctor Alphab. Tibetani, *pag.* 293. 294. Bailly, hiſtoire de l'aſtronomie ancienne. Seconde edit. *pag.* 78. 79. 94. 95. Recherches ſur l'Epoque de l'equitation & de l'uſage des chars equeſtres chez les Anciens, *t.* 1. *pag.* 113. 114. 115. 116. de Fouhi.

(2) Vide *ſyſtema Brahmanicum* pag. 156. 157.

(3) *Oriedentaliſch-und Occidentaliſcher Sprachmeiſter*, *Leipzig* 1748. *pag.* 101. Alphabetum Tibetanum, *parte* 1. *pag.* 14. 15.

(4) Alphab. Tibet. *parte* 1. *p.* 14. 15.

Digitized by Google

Budhà apud Aegyptios mutatum fuerit in *Toth*, Thout, vel Teut. Vide *ſyſtema Brahmanicum*, pag. 156. 157. ubi de corruptione huius nominis iam diſſeruimus. Igitur falſa eſt opinio D. Court de Gebelin, & Paulli Iablonskii, quorum ille nomen *Thoth* derivat ab Hebraico תוה Thoe, *tracer des ſignes*, *déſigner*; alter vero a voce *Thôouth* columna (1). Profecto *Budh* vel *Budhà* nominis radicem eſſe mere *Indico-Samſcrdamicam*, multa iſtius nominis vocabula derivata ſupra allata aperte demonſtrant. Nihil ibi de *columna*, nihil de *ſignorum deſcriptione* agitur. Tota ſignificationis vis nominis *Budh* ſeu *Budha*, ac dictionum ab ea deſcendentium, ad *mentem*, ad *intellectum*, ad *ſpiritum* refertur. Plato, dum de apparitione dei *Toth* diſſerit, ait: *Vocem infinitam animadvertit* (Thamus Aegypti rex) *ſive deus aliquis*, *ſive divinus homo*, *veluti fama refert*, *huiuſmodi hominem nomine* Toth *in Aegypto exſtitiſſe*. Heic manifeſte Toth tamquam genius & ſpiritus per vocem infinitam apparere fingitur. Deinde liquet Platonem, & Platonis in Aegypto verſantis tempore Aegyptios ignoraſſe, quis ille *Toth* eſſet, quidve ipſa dictio *Toth* ſignificaret. Vocabulum itaque Indicum *Budh* ſeu Budha, & cultus ipſe huius dei ad Aegyptios per Indos Aethiopes perlatus fuit, atque dictio Indica *Budh* ſeu Budha ibi corrupta, in *Toth*, Touth, Teut, Toith tranſiit, ut apud Sinenſes in *Fo*, apud Tibetanos in *Pout* vel Put, apud Scythas in B*ogh*, apud Scandinavianos in *Oden* vel *Wod*, & apud Suidam in Θωυθ. Sanchoniaton apud Euſeb. *praep. Evang. lib.* 1. *cap.* 10. Πρὸ δὲ τούτων, Θεὸς Τάαυτος μιμησάμενος τὸν Οὐρανὸν, τῶν θεῶν ὄψεις, Κρόνου τε καὶ Δαγῶνος, καὶ τῶν λοιπῶν διετύπωσεν τοὺς ἱεροὺς τῶν στοιχείων χαρακτῆρας.

Ante haec vero Deus Thaut Uranum imitatus, deorum imagines Croni, atque Dagonis & aliorum, (unaque) *ſacros elementorum characteres expreſſit*. Et, infra: *Cabirii* (Samſcrdamice കവി Caví vel Cabí doctus, poeta, ſapiens) *primi fuere, qui iuſſu Tauti poſteris tranſmiſere memoriam omnium harum rerum*. Et *Tching-Ting-yu* philoſophus Sinenſis apud au-

(1) Court de Gebelin, *tom*. 3. *p*. 126.

ctorem fragmenti epiſtolae ſupra citatae: *Fouhi delineavit figuras 64. (quae naturae ſimulacra ſunt) hae autem ſunt fons & principium litterarum ac orationis ſeculorum omnium*. En quomodo antiquiſſima haec fabula Phoenices, Aegyptios, Sinenſes ludat! Hi Mercurii aſtronomicam originem, eamque fabuloſam ignorantes, Toth, Budh, Fouhi philoſophum, regem & ſapientem verum eſſe exiſtimavere, cum genius ſit planetae Mercurii rector, reliquia certa antiquiſſimi militiae caeleſtis cultus, genius beneficus, aſtrum, almifer, ac omnium moralium inſtitutionum auctor fictitius. *Cum viderent ſtellas perpetuo moveri, & in cauſſa nobis eſſe, ut ſolem & lunam contemplaremur, deorum iis nomen fecerunt a curſu dictum*. Plutarchus *de placitis philoſoph. lib.* 1. Profecto caeli, & aſtrorum obſervatio Aegyptiacis pyramidibus antiquior erat, proinde Aegyptii deos ſuos ab Indis, a Chaldaeis primis aſtronomis accepiſſe videntur.

10. ധൎമ്മരാജാ *Dhermarágia*. ധൎമ്മം Dherma, *virtus, beneficentia, bonum opus*. രാജാ rágia, *rex*. Graeci ſcribunt *Herma, Hermes*, ἑρμῆς, quem ἀπὸ τῆς ἑρμηνείας hoc eſt ab interpretatione *interpretem* dicunt. Idem Graecis eſt τρισμέγιστος *Triſmegiſtus*, ter maximus, quod ſacerdos, philoſophus, & rex eſſe crederetur. Statuae ipſae Mercurii Graecis dicebantur *Hermae*, & ſimulacra Mercurii ſtatuis Minervae coniuncta *Hermathenae*. Cicero *l.* 1. *ad Attic. epiſt.* 2. Hermae ſolebant praecipue circum ſepulcra erigi ad propagandam defunctorum memoriam, ut putabant Graeci; revera autem, quia Mercurius hominum cenſor animas ex ſepulcris evocare, eaſque in alia corpora tranſmigratione transferre credebatur, quae opinio & ſententia Indica hodiedum inter Indos viget. Fabulae itaque origo, quae *Hermas* ſtatuas ad defunctorum ſepulcra collocandas docebat, Indica eſſe videtur. Quid ipſum nomen Hermes vel Herma? An & ipſum ab Indico ധൎമ്മം *Dherma* non deſcendit? *Hermae* nomen a ſermone, a nunciandi miniſterio, ab interpretatione Graeci derivant. Vide Suidam, & Servium in illud Virgilii 4. Aeneid. *Nunc etiam interpres divûm, Iove miſſus ab ipſo*.

ipſo. *Hermes*, inquit Servius, *Mercurius dictus eſt a ſermone*. Iablonskius hoc nomen ex *Er* & *Meh* compoſitum fuiſſe opinabatur, atque cum Aegyptio *Armaï* unum idemque eſſe docebat. Eodem tempore quo Graeci Mercurii nomen *Herma* vel *Hermes* ſcribebant, Hetruſci veteres illud *Turm* exarabant, ut ſupra ex *Winckelmanno* duas pateras veteres hoc nomine inſignes citante animadvertimus. Quis igitur rectius hoc nomen ſcripſit? An Aegyptii, an Graeci, an Hetruſci? An Aegyptii & Hetruſci de Graeca nominis *Herma* ſignificatione inter ſe conveniebant? An Indi conveniunt? An ſermo, interpretatio, ſtatua, nuncius deorum, quas res omnes Graeci uno nomine *Herma* inſigniunt, unam notionem exprimunt? An omnes hae dictiones, varios ſenſus includentes, uno vocabulo *Herma* denominari poſſunt, & quidem vocabulo, cuius radicem & derivata Graeci non aſſignant? *Nunc tum nomina divina, tum preces vim ſuam amiſerunt propterea, quod iam diu ſuſque deque permutarunt ea, & adhuc permutant Graeci novatores & violatores ... Barbari ut ſunt moribus graves, ſic & in vocabulis firmiter permanent*. Iamblic. *lib. de* myſteriis *ſect.* 7. *c.* 5. Herma ergo corruptio eſt Indici nominis *Dherma* vel *Dharma*, quod *beneficentiam*, *virtutem*, *bonum opus* ſignificat. Inde promanat *Dhermaràgia*, *beneficus rex*, cognomen Mercurii, qui apud Indos allegoricus & fictitius eſt contemplator ſeu philoſophus, rex, & ſacerdos, cum Indi planetas omnes ordinis ſacerdotalis eſſe hodiedum doceant. *Ancor queſto è di rango de' ſacerdoti*, ait P. Conſtantinus ab Aſculo in *Notizie Laconiche* ad fig. 53., ubi de Shucra ſeu *Venere* planeta diſſerit. Idem docet *Sonnerat* t. 1. p. 220. *edit. in* 8. Graeci & Grajae cauſſae defenſores nobis dicant, quando & ubinam Graeci docuerant planetas philoſophos, ſacerdotes, & contemplatores eſſe? &, ſi non docuerant, edant, cur, qua ratione, ex qua cauſſa ipſi Mercurium Triſmegiſtum, philoſophum, ſacerdotem, & regem eſſe credant, perhibeantque? Nonne fabulam hanc, ut nomen *Dherma*, ab Indis acceperunt, & nomen quidem corruperunt, triplicis autem denominationis cauſſam ipſi ſemper ignorarunt? Vocabulum

Digitized by Google

ധൎമ്മം *Dherma* vel *Dharma* Samſcrdamicum in ipſa gentilitia *Dévanagarica* Indica lingua valorem & ſonum perdit, in ea enim ſcribitur धर्म *darmm*, opus bonum, & अधर्मिष्ट *Adarmiſt*, operator mali. Vide *p.* 95. *&* 96. in Alphabeto Brammhanico ſeu *Indoſtano*. At vero lingua Samſcrdamica characteribus Granthamicis exarata, fert ധൎമ്മം *Dherma* ſeu *Dharma*; & അധൎമ്മിഷ്ഠം *Adharmishda*, cum prima littera *a* privativa, quae ſenſum facit: *homo non operans bonum*, *vitioſus*, *a virtute alienus*. Littera prima Samſcrdamica ധ valet latinum *dh*, ſeu *dd* forte & cum aſpiratione. Vide Alphabetum Samſcrdamicum *p.* 27. Quae quidem, cum nec Graecis, nec Aegyptiis, nec Tibeticis aut Hetruſcis elementis illi ſono aequipollentibus exprimi poſſit, inde nata eſt corruptio dictionis *Dherma*, ita ut Graeci *Herma*, Aegyptii *Armaï*, Hetruſci *Turm*, vel *Turms* ſcriberent. De Mercurio itaque omnes gentes inter ſe conveniebant, de nomine autem lis remanſit, cum numen & nomen non patrium ac natalitium, ſed aliunde, id eſt, ex India allatum eſſet, ac incerto ſono ubique gentium proferretur. Grammaticae ſunt hae tricae, faſtidio & aſperitatibus plenae, ſed expediendae erant, ne aliqua ambiguitas ſupereſſet, quae Oedipo indigeat. Confer ſupra *pag.* 4. 5. 6. 7.

11. അഗതം agadá ſeu agedá ore Germanico prolatum. ഗതം gada, *ambulans*, *pergens*, *mobilis*. അഗതം agada, cum littera prima *a* privativa, non ambulans, immobilis, non incedens, id eſt, ſedens, contemplator, quietus, meditans, immobilis, quo modo & forma Indi, Tibetani, Peguani, Siamenſes, Sinenſes Mercurium, Fo, Samaná ſeu Budham exhibent. Vide ſupra quinque ſimulacra muſei Borgiani, ſyſtema Brahmanicum *tab.* XX. & Pivatium *tom.* 8. *tab.* 41. *fig.* 1. *&* 2. Court de Gebelin *tom.* 3. *planche* II., ubi ex Montefalconio Mercurium ſedentem exhibet gallo & ariete eidem adſtante. Quare in littore Malabarico & in inſula Ceylan ioci gratia dici ſolet: *Sedes*

Digitized by Google

des, *ut Budha*, id eſt, ſedes, ut truncus, pedibus decuſſatis, ſedes totus cogitationibus abſorptus eo modo, quo plurima ſimulacra Budhae in viis publicis, in nemoribus ſub arboribus ex marmore conſtructa repraeſentantur. Iuvenalis ſatyr. 8.

. . . . trunco ſimillimus Hermae,
Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quam quod
Illi marmoreum caput eſt, tua vivit imago.

Hoc igitur epithetum in cauſſa eſt, cur deus Mercurius *Terminus* dictus ſit, quod ſimulacra eius vias & ſemitas terminarent, ex utroque latere collocata viatores ad *terminum* ſuae peregrinationis dirigerent, viamque Mercurio duce commoſtrarent. Vide Natalem Comitem, alioſque. Itaque အကဋ *agada*, immobilis, truncus, terminus, id eſt ſtatua Mercurii, qua viae terminabantur, in deum *Terminum* apud Graecos & Romanos tranſiit. Neutri tamen ſciebant hoc numen ab epitheto Mercurii, *ſtans*, *contemplans*, *immobilis*, *non ambulans*, procedere. Mercurius enim ideo *immobilis* dicitur, quia apud Indos ut contemplator exhibetur. Vide opus inſcriptum: *Le pitture antiche di Ercolano*. Napoli 1765. *tom.* 4. *tab.* XLV.

12. သမန္တ *Samandà* ubique praeſens, omnia inviſens, omnes mundi plagas inſpiciens, caelum, terram, infernum penetrans ut deorum legatus, aut ut cenſor & iudex hominum animas in caelum aut infernum relegans. Vide ſupra *pag.* 13. Virgilii verſum, & *pag.* 14. P. Marci a Tumba textum.

13. ဘဒြ Bhadra, *bonus*, *excellens*, unde Talapoinus *Dhermaràgiaguru* ſupra *pag.* 15. ſcribit: *All' eccellente dio Godama io proteſto le mie adorazioni*.

14. ဘဂဝန် Bhagavàn *felix*, *beatus*, *ſanctus*, Orpheo *beatus*. Vide *pag.* 13., *&* *p.* 14. orationem Indico-Peguanam, *Namo taſſa Bhagavà*.

15. မာရဇိန် Màragit, *cupidinis victor*, မာရ Màra, *cupido*, ဇိန် gil, *victor*. *Cupidinem eodem die natus palaeſtra ſu-*

Digitized by Google

ſuperavit. Natalis comes, *Mythol. l. 5. c. 5. p.* 433. Verum haec cupidinis & mundi victoria potius in ſenſu morali eſt accipienda. Mercurius enim cupidinem & mundum vicit, dum philoſophis cupiditates & mundi illecebras ſuperandi ſcientiam tradidiſſe fingitur. Quare Samanaeorum & Budhiſtarum Talapoinorum praecipua officii pars eſt a fornicatione, a tactu etiam animalium abſtinendi, mundi illecebras omni conatu fugiendi. Vide *Syſtema Brahmanicum* pag. 53. 54. 116. & cod. mſſ. de regno *Siam* ſine nomine auctoris in muſeo Borgiano, cap. IV. *De precetti della morale de' Siameſi*.

16. ലോകജിൽ Lògagil, *mundi victor*, quia philoſophia, quam inſtituit, mundum vincit.

17. ഷഡഭിജ്ഞഃ Shadabhigná *ſex ſcientias poſſidens*, ſex ſcientias & artes ſciens, quia Indi omnes ſcientias ad ſex reducunt, quas Malabarenſes *aarushàſtram*, magiſtri vero Samſcrdamicae linguae ഷഷ്ഠശാസ്ത്രഃ Shashda sháſtrá compellant. Vide Grammaticam Samſcrdamicam *pag.* 74. 75. 76. Confer P. Marci a Tumba, *Oſſervazioni ſopra le relazioni che fa M. Holwell*, p. 2., ubi ſcribit: शास्त्र *Sciaſtr*, vel *Sàſtrah*, *che non è altrimenti un libro a parte*, *ma benſi* Sáſtrah *vuol dire ſcientia*. Holwell ſcribit *Shaſtah*, librumque eſſe aſſerit, in quo quantum uterque deſipuerit, infra oſtendemus.

18. ദശബലഃ Dashabela, *decem potentiarum deus*, decem poteſtatibus praeditus. Vide *ſupra* cod. Peguan. *num.* III. de ſex poteſtatibus ſeu attributis Mercurio *Godamae* affictis, quae ſunt: incommutabilitas, impeccabilitas, a tranſmigrandi neceſſitate immunitas, gloriae fruitio, ſcientia certa, animas ſalvandi poteſtas &c.

19. അദ്വയവാദി Advayavàdi, *diſſertus*, *veridicus*, in diſſerendo nemini ſecundus. Orpheo, *ſermonis magiſter*, *interpres variae linguae*. *Mercurius ſermonem impertit*. Macrobius, *loco ſupra cit.*

Haec

Digitized by Google

Haec ratio eſt, cur vetuſtiſſimi Aegyptii & Indi libros ſuos, leges, praecepta Mercurio adſcripſerint, eumque in principio ſcriptorum, poematum, ac ſtatutorum ſuorum invocaverint. Vide ſupra *pag.* 14. 15. Item, *Examen codicum Indicorum* p. 26. ſub nota 1. & 2. *Ab illo autem auſpicatum eſſe* (Sanchoniatonem) *quem ab Aegyptiis* Thoth, *ab Alexandrinis* Toth, *nominatum Graeci* Ερμῆν, *hoc eſt Mercurium reddidere*. Euſeb. praep. Evang. *lib.* 1. §. *9. p.* 30. *& ſeq.* En itaque quomodo Indi cum inſtitutis aliarum veterum gentium conveniant! Non Maneti, non Henoch, non Siphoae, non Apollonio Tyanaeo, non Perſae alicui circulatori, ſed Mercurio codices, ſcientias, & leges ſuas inſcribunt. Inde Orpheo quoque: *Locuteje, Aje, beate, atque operum Titule.*

20. വിനായകഃ Vináyaga, *Dominus, magnus & inſignis deus.*

21. മുനീന്ദ്രഃ Munindrá, *heſychaſtarum, ſilentiariorum, contemplatorum praeſes, apex philoſophorum & ſacerdotum.* മുനി muni, *ſilentiarius* a മൌനഃ mauna *ſilentium*, non autem a μονος ſeu μονοι *ſolitarius*, derivatur. Cenſor noſter ubique ad comminiſcendum velox perperam arguit in actis S.M. Paneſniv *p.* 283., Indos a Graecis haec vocabula accepiſſe. An unum & idem eſt vocabulum *ſolitudo* & *ſilentium*? A quonam ergo Indi acceperunt ſuum vocabulum ഋഷി *rishi*, vel *riszi*, quo philoſophum contemplatorem ſignificant? An hoc etiam e Grajo caelo in Indias delapſum eſt? Vide de antiquiſſima communicatione Indorum cum Aethiopibus Nubiis, Bruce, *Travels to diſcover the ſource of the Nile*, vol. 1. Edinburgh 1790. lib. 2. cap. 1. pag. 365. *Of the Indian Trade in its earlieſt Ages*, & c. 5. p. 447. Martini, *Archaeologia litteraria I. H. Erneſti*, Lipſiae 1790. *pag.* 250. 251. 252. 320. Goguet, *De l'origine des loix, des Arts, &c.* tom. 1. part. 1. lib. 3. p. 258. & ſeq. Cenſor rationibus pro Indorum vetuſtate, artibus, ſcientiis, & religione antiquiſſima

 ibi

ibi allatis prius reſpondeat, deinde eum Graecas & Manichaicas naenias venditantem audiemus.

22. ശാസ്താമുനി Sháſtámuni, *cenſor*, *heſychaſta caſtigans*; *cenſoria virga inſtructus*, Orpheo, *ſanguineum geſtans caduceum*, *pacis amicus*. Virg. 4. Aeneid. *Tum virgam carpit &c.* Vide ſupra *p.* 13. Duo itaque illi *ſerpentes* invicem implexi, qui in virga Mercurii viſuntur, vitae & mortis, belli & pacis ſymbola ſunt, non autem aſtronomiae, temporis, & 4. anni partium ſigna, quod ariolatur Court de Gebelin *tom.* 3. *pag.* 113. Neque eidem ſuffragatur Macrobius *Saturn.* *lib.* 1. *cap.* 19. Nam hic Mercurium orientalis mythologiae imperitus *ſolem* eſſe exiſtimat, quod omnino a vero abeſt. ശാസ്താ *Shàſtà* cenſor, vindex, iudex, cuius eſt vitam & mortem decernere. Cum igitur hic cenſor in caduceo duos ſerpentes implexos gerat, quid niſi vitae & mortis, belli & pacis ſigna ſunt? Unde Orpheus primo *ſanguineum* ponit *caduceum*, deinde Mercurium *pacis amicum* compellat. Vide Syſtema Brahmanicum de *cultu Indico animalium*, pag. 203. Virgae huius cenſoriae vim & proprietatem, ac proinde ſymboli explicationem Virgilius in aprico poſuit, dum virga illa a Mercurio animas iſtas ad orcum pallentes mitti; alias hilares ex orco evocari docuit. Vitam iſtis, mortem illis tribuit Mercurius. Somniat ergo *D. Court de Gebelin*, dum varias eaſque novas phantaſmatum formas videt, & haec doctrinae ſuae terricula nobis objicere cupit. Vide ſupra P. Marci a Tumba textum de Budha cenſore *pag.* 14. Haec igitur ſunt epitheta ſacra ſeu cognomina & indigitamenta Budhae ſeu venerabilis illius & ſenioris Mercurii, quae Budiſtae omnes Indici & Tibetani ex corona recitant, eiſque *Budham* principem ſuum deum laudant. Sequuntur cognomina iunioris Mercurii, ab illo priore diverſi.

1. ശാക്ക്യ *Shàkya*, aſtutus, indagator, praeſtigiator; item Gallice *aventurier*, augur, bonae & malae ſortis genius index, magus, ſortium, novitatum, bonae malaevae fortunae deus. Vide dictionarium D. Pimenteli ſub voce *Shàkaſa*, ſupra *p.* 11. in

Digitized by Google

in hoc opere, item *pag.* 9. 10. 11. 12. & *Examen codicum Indicorum*, pag. 40. in *notis*, & pag. 78., ubi de hoc cognomine iam diſſeruimus. Orpheus in hymno Mercurii: *Quem fraus, quem certamina adulant*. Et Ovidius *de Mercurio* Faſt. 5. *Ablue praeteriti periuria temporis inquit, ablue praeterita perſida verba ſide*.

2. ശാക്യസിംഹസഃ *Shakyaſinhaſà*, fraude, vi, magia, praeſtigiis, dolo, certamine, rapacitate ut leo rapiens. Unde Indi Nepalenſes, ut vidimus apud P. Conſtantinum ab Aſculo ad *ſig.* 51., idolum huius Mercurii *leoni*, rapacitatis ſymbolo, inſidens exhibent. Orpheus: *quem fraus*, *quem certamina adulant*. Et Homerus: *Surripuit* (Mercurius) *Phoebo vaccas mox ſole cadente*.

3. ശുദ്ധോദനഃ *Shudbodhana*, *Shudbodani*, & *Shaudbodhani*, quae omnia unam eamdemque perſonam ſignificant, *purus*, *mundus*, *nitidus*, *elegans*, *formoſus*, quod ſe ſaepe in Gange fluvio laviſſe & luſtraſſe credatur. Ex eo quod in hoc fluvio ante auroram ſe luſtraret, *gallus* vigilantiae ſymbolum, eidem affictus fuit. Unde fabulae Indicae origo: *Indra* deum (Iovem) *Godamae* ſeu huius Mercurii uxorem *Abalyam* ſub forma galli compreſſiſſe.

Quare Graeci apud Montefalconium, & in aliis multis ſimulacris Mercurio quidem gallum adſtantem affictumque exhibent, huius tamen rei nec fabulam norunt, nec quid gallus ille ſignificet, explicant. Vide Cartari, *imagini de i dei degli antichi* tab. ad pag. 261. Padova 1626. *Mercurio giovane ſenza barba, tutto nudo... inſieme con un gallo*. Ad hunc itaque Mercurium & ad luſtrationes eius in Gange factas, atque ex India deductas referuntur etiam ii luſtrationis ritus, quos Ovidius *lib.* 5. *Faſt.* deſcribit, dum de iuniori hoc Mercurio agit:

Eſt aqua Mercurii portae vicina Capenae
Si iuvat expertis credere, numen habet.
Huc venit incinctus tunica mercator, & urna
Purus ſuffuſa, quam ferat, haurit aquam.

 Uda

Uda fit hinc laurus, lauro ſparguntur ab uda
Omnia, quae dominos ſunt habitura novos &c.

4. സൎവ്വാൎത്ഥസിദ്ധഃ *Sarvàrthaſidha*. Sarva *omnium*, artha *divitiarum*, Sidhá *collector*, *cuſtos*, *retinens*. Unde mercatores apud Ovidium *l. c.* Mercurium orant.

Da modo lucra mihi, da facto gaudia lucro,
Et fac ut emptori verba dediſſe iuvet.

Vide Examen cod. Indicorum *pag.* 78. Orpheo hic Mercurius eſt *Nundinus*, *liber*, id eſt, commercio & nundinis praeſes.

5. ഗൊദമഃ Godama, *vaccarum paſtor*, id eſt, *vigilans*, *Mercurius Nomius*, quia omnia quae curam, ſolicitudinem, ac vigilantiam hominum requirebant, Mercurio credenda, eiuſque vigilantiae, ac ſagacitati committenda eſſe antiquitas putavit. Inde *Godama*, vaccarum curam habens, vaccis in campo errantibus invigilans, paſtorum deus. Vide ſupra *p.* 7. 8. 9. 10. Ovidius l. c. *Talia Mercurius poſcentes ridet ab alto, ſe memor Ortygias ſurripuiſſe boves.*

6. മായാദെവിസുതഃ Májadéviſuda *Màyae deae filius*. Máya dea eſt natura, ſenſuum illuſionis dea, incomprehenſibilis, magna mater, quae omnes deos produxit. Vide Examen codicum Indicorum *pag.* 73. *ſub nota prima*. De Venere natura, ſeu Máya dea canit Ovidius Faſt. 4.

Iuraque dat caelo, terrae & natalibus undis
Perque ſuos initus continet omne genus,
Illa deos omnes (longum eſt numerare) creavit;
Illa ſatis cauſſas, arboribuſque dedit.

Confer Ciceron. *de nat. deor. l.* 2. *p.* 226. & 222. *edit. Lugd.* Haec natura, ſeu Venus, eſt eadem quae Indica *Bhavàni* dea. Vide *Examen codicum Indicorum*, pag. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

7. അൎക്കബന്ധു Arkabendhu, *ſolis amicus*, *ſolis affinis*, id eſt Argi amicus, qui tamen eum poſtea occidit, unde Orpheo *Argiletbus*. അൎക്ക arka, *ſol*, ബന്ധു bendhu, *amicus*, coniunctus,

ctus, affinis, item vinciens, ligans, colligatus. Ubi vides *Argum* Brahmanibus non caelum, ſed ſolem ſignificare.

Haec igitur ſunt priſca ſacra cognomina huius ſecundi iunioris Mercurii, qui pariter *muni* ſeu contemplator ſilentiarius dicitur; unde vocatur *Shàkyamunî*, atque ad Veneris planetae familiam, hoc eſt, ad ſtellas, quibus Venus planeta praeſt, refertur; quocirco hic iunior Mercurius Veneri cingulum & Iovi ſceptrum ſurripuiſſe perhibetur. Ovidius *Faſt. l.* 5. Mercurium hunc unius *Pleiadis* filium eſſe docet. Confer Cicer. *lib.* 3. *de nat. deor.*

Ex his igitur iam perſpicuum eſt, omnes priſcae aetatis Mercurios ad duos tantum redigi, neque homines, ſed genios fuiſſe, eoſque ad aſtra, id eſt ad caeleſtis militiae antiquiſſimum cultum referri debere, id quod nobis de Indicis codicibus, qui tam inſignes veteres de Mercurio traditiones continent, agentibus oſtendendum erat. (1)

NUMERO V.

Codex Siamicus

Compendio della religione de Siameſi. Cap. 1. *Siſtema del mondo*. Cap. 2. *delle falſe divinità de i Siameſi*. Cap. 3. *della dottrina de Talapoini*. Cap. 4. *de precetti della morale de i Siameſi*. Codex eſt manuſcriptus, a quodam miſſionario Gallo miſſionis Gallicae ad peregrina regna dictae compoſitus. Paucis Siamenſium religionem & cultum civilem ſatis acri criterio, & iudicio tradit, ſed Siamica ſcriptura & lingua non utitur, id quod huius inſignis codicis precium minuit. Agit de paradiſo montis *Meru*, de deo *Samanà*, de *Dévada*, quod nomen corrupte ſcri-

(1) Hoc fere modo Oſiridis ſeu Indici *Shivae* dei, Iſidis ſeu *Bhàvani* deae mythologia, theogonia & apotheoſis ad aſtra & naturae phoenomena refertur, ex quo iam luce meridiana clarius comprobatur: Aegyptios, Indos, Sinenſes, Tibetanos non tantum unum mundi gubernatorem eiuſque providentiam ex inſpectione caeli & motu ſiderum omni tempore firmiter crediďiſſe, ſed deos plus iuſto pro numero aſtrorum multiplicaſſe. Igitur vana, commentitia, falſa eſt doctrina recentium impoſtorum, qui illis gentibus, materialiſmum, naturaliſmum & quod abſurdius eſt, atheiſmum affingunt.

Digitized by Google

ſcribit *Tevelat*. Quinque praecipua Talapoinorum moralia praecepta affert, & uſus ac conſuetudines horum Samanaeorum in regno Siam exſiſtentium deſcribit, quae omnia quoniam cum doctrina Peguana & Avenſi conveniunt, nihil heic addendum eſſe duximus. Cap. 1. ait: *I Siameſi prendono tutte le cognizioni della loro religione dalla lingua Bali* (vel Pali) *che riguardano come la lingua ſanta: Ella differiſce in poche coſe da quella dei Brami* (Brahmanum) *il che fa credere che la loro religione ſia l' iſteſſa che quella dei Malabari*. Hoc nos docuimus in ſyſtemate Brahmanico *pag.* 114. 115. 116. 117. 118. & ſupra in hoc opere *a pag.* 2. *uſque ad* 16. denique ſupra toto *num. II. III. & IV.* dum de Peguanis codicibus diſſeruimus. Confer La Loubere, *du royaume de Siam*, & diſſertationem D. Chambers de ruderibus templi Indici Màvalipuram in libro *Aſiatick reſearches*, t. 1. pag. 160. & ſeq.

NUMERO VI.

Kammuva, o ſia trattato della ordinazione de' Talapoini del ſecondo ordine detti Pinzen. Liber Peguanus *Kammuva* elementis quadratis in olis inauratis lingua *Pali* exaratus exſtat in bibliotheca S. Congr. de Propaganda Fide, de quo nos iam diſſeruimus in *Syſtemate Brahmanico* pag. 114. 115. 116. , & in *Examine codicum Indicorum eiuſdem bibliothecae*, pag. 77. 78. Verſio huius libri *Kammuva* iuſſu ampliſſimi Cardinalis Borgiae tunc S. Congregationi a Secretis in ipſo regno *Pegu* anno 1776. perfecta, litterario orbi hoc inſigne emolumentum attulit, ut ex ea regni religionem perſpicere queat, pulſoque omni dubio certior reddatur de libri *αὐθεντία*, de eius doctrina, ac regni Ava & Pegu philoſophorum Talapoinorum opinionibus. Eam, ut reliquos Indicos codices & monumenta ad veterem pene omnium gentium hiſtoriam illuſtrandam maxime idonea, eximii huius viri ſtudio indefeſſo, labori, ſolicitudini, ipſi denique ampliſſimo Cardinali optimarum litterarum & artium acri vindici & defenſori debemus. Ipſius diligentia & cura bibliotheca Sac. Congregationis de Prop. Fide poſſidet huius verſionis exemplar unum,

Digitized by Google

unum, aliud vero de quo heic nobis ſermo eſt, exſtat in hoc ipſo muſeo Borgiano Velitris. Adiectis ab interprete libri in textum gloſſematis verſio haec in quarto numerat paginas triginta. Dividitur in duos *tractatus*, & in *primo* quidem exhibet interrogationes a Praeſide Talapoino in praeſentia aliorum tyroni ad inſtitutum philoſophicum Talapoinicum initiando faciendas, in *ſecundo* affert epitomen regularum, & obligationum, quibus illigatur novitius, qui Talapoinicum illud inſtitutum amplectitur. Paucis dicam: liber *Kammuva* fere ea omnia complectitur, quae liber *Padi-mauka*, de quo ſupra *pag.* 16. 17. diſſeruimus. Confer etiam Examen codicum Indicorum *pag.* 41. 77. 78. Ex libro *Kammuva* palam & aperte deducitur, *primo*. Veteres illos Samanaeos, quorum veſtigiis inſiſtunt hodierni Talapoini *Pinzen* dicti, ignem & aquam tamquam rerum principia coluiſſe, tranſmigrationem animarum docuiſſe, per ignem & aquam ſua corpora luſtraſſe, ac piacula expiaſſe; veteris inſtituti Samanaeici cardinem cumprimis meditationem entis ſupremi, abdicationem rerum, continentiam a mulieribus, bis in menſe luna nova & plena inſtante mutuam ac generalem ſuorum peccatorum confeſſionem, eleemoſynae quaeſturam, ac denique aſperrimum vitae genus fuiſſe; id quod de Samanaeis docuit Strabo, Cicero, Ioſephus Hebraeus, Euſebius, Philo, Porphyrius. V. *Syſt. Brahmanicum* pag. 45. 46. 50. & ſeq.

Secundo, ex libro *Kammuva* elucet, philoſophos Avenſes & Peguanos hodiernos aeque ac Siamicos veteres quinque illa veterum Samanaeorum praecipua praecepta hodiedum magna religione obſervare, videlicet: I. non occidere. II. non moechari, id eſt, omnem libidinem fugere. III. non furari, ſeu nihil alienare. IV. non mentiri. V. a vino abſtinere. V. *Syſtema Brahmanicum*, pag. 53. 54. Haec praecepta baſis et ſubſtantia ſunt omnium regularum et conſtitutionum quae in libro *Kammuva*, et *Padimauka* longa et diſſerta narratione docentur, atque ad hoc vitae genus ineundum omnes illi ritus, examina, et feſtivus apparatus initiationis Talapoinicae refertur, qui cumprimis in hoc libro *Kammuva* deſcribitur. *Tertio*, ex gloſſis interpretis apparet: *Pinzen* philoſophos ita vocari a *quin-*

que

Digitized by Google

que proprietatibus, quibus praediti eſſe debent. 1. che il *Pinzen* abbia un luogo dedicato, e nel quale poſſa diſporre. 2. che queſto luogo ſia abitato da certo numero de' Padri (nempe a Talapoinis). 3. che intenda e legga il libro *kammuva*. 4. che abbia giuſta età. 5. che ſia vero uomo. Per ordinare queſti Pinzen, ſi adunano 20. Padri in un luogo quadrato detto *Scin*, e luogo conſagrato. Vide codicem ipſum. Vocabulum Peguanum *Pinzen* corruptio eſt promanans ex Samſcrdamica dictione പഞ്ച *pancia*, *quinque*, vel potius a Malabarico പഞ്ചൻ *pancien*, *quintus*, ſeu *quinque virtutibus aut proprietatibus inſtructus*. Hi philoſophi, ut alii Samanaei in regno Ava & Pegu *Samané* dicti, 1. nequeunt poſt meridiem manducare. 2. ipſis non licet aromaticis unctionibus uti. 3. nequeunt ſpectaculis, feſtivis pompis, ac ſecularibus tripudiis adeſſe. 4. non eis licet aurum aut argentum manibus contrectare. 5. prohibentur habitare loca humilia, infima, aliiſque minoris auctoritatis Talapoinis ſubiecta. Haec pauca ex libro *kammuva* attigiſſe ſufficiat; ii, quos accuratioris notitiae deſiderium tangit, oculis & mente percurrant ipſummet librum *kammuva*, eiuſque verſionem. Ceterum, ex cultu ignis & aquae, ex luſtrationibus & purificationibus, ex dogmate tranſmigrationis animarum; ex fide in montem *Meru* ſeu Himala, ex abſtinentia ab eſu carnium, & a caede animalium ob dogma tranſmigrationis animarum, ex obſervatione conſtellationum, fato, ac dierum fauſtorum & nefaſtorum, cui hi philoſophi hodiedum addicti ſunt, iam quiſque facile arguet, *primo*, hos philoſophos Indicos & Peguanos veram eſſe veterum Samanaeorum ſectam, ac proinde gentilicam, & a chriſtianis omnino diſtinctam. *Secundo*, infertur: hos ipſos Samanaeos iam ſeculo quarto a monachis chriſtianis in India & Perſide habitantibus prorſus diverſos fuiſſe, & ſtoicorum Samanaeorum quidem numerum in India ingentem exſtitiſſe, exiguum autem, eumque fide, moribus, inſtitutis omnino diſtinctum monachorum chriſtianorum. Vide Euſebium, Strabonem & Ioſephum Hebraeum *locis ſupracitatis* & cum primis Porphyrium *lib. 4. de abſtinentia*, ubi horum ethnicorum

eorum philoſophorum inſtitutum, & mores diſſerte deſcribit (1). Ex his iterum colliges: monachos chriſtianos qui in Indiam penetrarunt, aut ex India in Palaeſtinam adventabant, homines fuiſſe a *Samanaeis* prorſus diverſos. *De India, Perſide, Aethiopia monachorum quotidie turbas ſuſcipimus*. S. Hieronymus *ad Laetam epiſt.* XV. Et iterum *lib.* 2. *epiſt.* 1. ad Orat. Magnum. *Pantaenus, Stoicae ſectae philoſophus, ob praecipuae eruditionis gloriam, a Demetrio, Alexandriae Epiſcopo miſſus eſt in Indiam, ut Chriſtum apud Brahmanas, & illius gentis philoſophos praedicaret* (2). Erat *Pantaenus* Clementis Alexandrini magiſter, quem *Demetrius* circa annum 189. in Indiam miſerat (3). Cum igitur *Pantaenus* praedicans ſit, Brahmanes autem philoſophi ethnici ſint eius auditores, ſi tamen auditores: ethnici philoſophi indigenae circa annum Chriſti 189. in India exſtiterint eſt neceſſe: & quidem diverſi a philoſophis chriſtianis adventitiis. Adde, Strabonem, & Clementem Alex. ipſum *Samanaeos Indicos* rite diſtinguere & deſcribere, dum eos *Budham*, id eſt *Mercurium* colere, caeleſtia obſervare, divinationi addictos eſſe, vitam agere duriſſimam dixit. Vide Clementem Alex. *locis ſupracitatis*. Monachi chriſtiani cumprimis in regno & urbe *Cachemire* illo tempore commeatibus & commercio florentiſſima (4) habitabant, ex qua etiam primi bombyces & holoſericum ad Iuſtinianum Imperatorem detulerunt; Samanaei autem ethnici ad Gangem, ad montes Indiae orientales, in Malabaria, in littore Coromandelico, in inſula

M Cey-

(1) Horum philoſophorum aliquos, quod populum commoverent, Alexandro Indiam vaſtanti reſiſterent, Alexander laqueo ſuſpendi curavit.

(2) Confer Ladvocat, *Dictionaire des hommes illuſtres*, ſub voce *Pantaenus*, qui eum iterum in *Alexandriam* rediiſſe, atque ſolos Aethiopes inviſiſſe prodidit, quarum haec ſecunda aſſertio cum textu S. *Hieronymi* pugnat.

(3) Vide Ioannis Alberti Fabrici bibl. Graecam *lib.* 5. *pag.* 102. S. Hieronymum *de ſcript. Eccl. cap.* 18. Tillemont, *t.* 3. *mem. hiſt. eccleſ.* in vita Pantaeni *p.* 209.

(4) Strahlenberg, *Deſcription hiſtorique de l'empire Ruſſien*, tom. 1. pag. 295. 296. 297. Heeren, *Commentatio de graecorum de India notitia*, in qua ſcite adſtruit *Cochemire* ſeu *Cashemir* eſſe Herodoti *Caſpyram* ſeu *Caſpytiram*, iam ab Alexandri M. aevo commercio florentiſſimam. D'Anville, *Geographie ancienne abregée*, tom. 2. pag. 338. P. Marcus a Tumba *in cod. mſſ. in fol.* pag. 97. 98. regnum *Chasemir* hodie Imperatori Mogolitano ſubiectum eſſe, in eoque pretioſas illas telas *Shal* vel *Scial* dictas texi, venumque ire docet. Confer de *Cashemir* eiuſque *monachis* Marcum Paullum Venetum *lib.* 1. *cap.* 36.

Ceylan verſabantur (1). Habita igitur aliqua informi notitia de *Chriſto Domino* Indici Samanaei & cum iis populus rudis Chriſtum Dominum *Budham*, hoc eſt, *Mercurium* appellarunt (2), *novae* nempe *legis auctorem*, cum Mercurius ſit omnium novitatum auctor; quocirco Brahmanes Malabarenſes hodiedum chriſtianos *Naſráni*, hoc eſt *Nazaraenos*, & ബൌദ്ധന്മാര് *Baudhenmar*, id eſt *Budhae* Mercurii *diſcipulos* eſſe dicunt. Unde etiam P. L. Erneſtus Hanxleden in ſuo dictionario ſub voce *Budhamuni*, qui eſt Mercurius, ait: *Muni penitente* (nempe contemplator, quales ſunt omnes alii planetae). *Os gentios dizem, que os chriſtiaos ſao diſcipulos deſte, e por iſſo os chamao* B*audhenmar*. Igitur ex gentilicis fabulis indigeſtis, ex imperitia & ignorantia rudis vulgi, ex aſtutia Brahmanum orta eſt illa aequivocatio, qua multi rudes Indi B*udham* pro *Chriſto* Domino accipiunt; quemadmodum & Peguani numen ſuum falſum *Devada*, malum principium, Samanae ſeu Budhae dei adverſatorem, eumdem *Chriſtum* Servatorem Chriſtianorum Deum eſſe praedicant ac comminiſcuntur (3).

Sileant itaque fabulatores noſtri, & cum iis noſter cenſor, qui nobis *Manetem* pro Budha & Indico Chriſto venditat. Taceat nugator *La-Croze*, qui ante Neſtorianam haereſim Monachos in India nullos fuiſſe obmurmurat (4). Manum ori imponat alter nuperrimus nugator Gallus anonymus, qui chriſtianos monachos Samanaeorum ſodales, diſcipulos ac deſcendentes eſſe, Gallica cantilena quam lepidiſſime canit (5). Doctrinam ſuam lippis & tonſoribus vendat *De Guignes*, qui aſceteria Samanaeorum in India, Tibeto, Aria, Gedroſia, Hircania a remotiſſimis temporibus exſtantia, chriſtianam inſtitutionem, templa ac monaſteria chriſtiana eſſe & fuiſſe nobis ſuadere (6) cu-

(1) Vide ſupra in hoc opere *p.*45.

(2) Ita a Lycaoniis Barnabas pro Iove, Paullus pro Mercurio acceptus fuit Actor. cap.14. *Dii ſimiles facti hominibus deſcenderunt ad nos. Et vocabant Barnabam Iovem, Paullum vero Mercurium: quoniam ipſe erat dux verbi*.

(3) D. Mantegatius in dialogo *tra un Kbien ſelvaggio ed un Ex Talapoino Siameſe*. Interpres libri Peguani *Kammuva* in notis.

(4) Hiſt. Eccleſiae Malab. diſſert. IV. pag.418. *Vindiciae Synodi adverſus Crozaeum*.

(5) *Hiſtoire philoſophique du Monachiſme*. London 1790.

(6) *Hiſtoire des Huns*, tom.2. p.224. & ſeq. Item, *Recherches ſur l'etabliſſement de la religion Indienne &c.* V. Ezourvedam, *tom.*1. *pag.*52. 53.

Digitized by Google

cupit. Chriſti religio ad Indias penetravit, ſed ad hanc uſque diem maior Indiae pars ſua idola colit, ſuos philoſophos & magiſtros veneratur & obſervat, ſuos libros legit, ſua delubra frequentat, igni & aquae ſacrificat, ſua monumenta & doctrinam intactam & illaeſam conſervat. Hos libros, haec monumenta, hanc doctrinam, has Indicas linguas, hunc populum & mores examinare & perſcrutari illum non pigeat, qui cum argutulis nugatoribus iſtis imaginatione, aſtutia, mala fide, fabulis, naeniis & commentis abripi, & naufragium facere non vult.

NUMERO VII.

Riſtretto della religione dei Coccincineſi, e Tanchineſi. Codex chartaceus manuſcriptus in quarto numerat paginas triginta quatuor. Auctor eſt D. *Boiret* collegii Pariſienſis ad peregrinas miſſiones alumnus, olim regni *Cocincinae* & *Tunkini* miſſionarius, deinde miſſionum Procurator Generalis, vir prudentia, morum integritate, ſtudio propagandae fidei praeſtantiſſimus. Is hunc codicem anno 1774. ampliſſimo Cardinali Borgiae dono dedit. Cocincinenſe & Tunkinenſe regnum, anno quo auctor ſcripſit, ſuo peculiari gaudebat rege, eique nomen erat *An*. Regna haec olim Sinarum imperio ſubiecta, coniunctaque erant, quocirca incolae horum regnorum veterem Sinenſium retinuere veſtiendi morem; etiam poſtquam ipſi Sinenſes ab eo deſciverant ſubacto a Tartaris Sinarum imperio, illatiſque novis moribus, quos adoptarunt Sinenſes. Ex his iam facile certiores reddimur, eamdem Tunkinenſium religionem eſſe, quae eſt Sinenſium, eamque ut in Sinis trifariam dividi, nempe in religionem *Litteratorum*, *Idololatrarum* communium, & *Magorum*. Boiret *pag.* 1. Religio Sinenſium litteratorum ex ſententia huius viri eſt *atheiſmus*
„ poichè eſſi adorano *un Signore celeſte*, che i Coccincineſi in-
„ tendono ſotto queſta parola *Kébêtrên*, cioè, ch'è ſuperiore.
„ Su queſto nome intendono il cielo materiale, al quale i Rè
„ della *Coccincina*, e del *Tonchino* fanno ogni anno un ſacrifi-
„ cio ſolenne in un tempio dedicato al Cielo; però in quel

 tem-

„ tempio non v' è idolo, nè immagine ; ſolamente vi è una
„ tavola indorata , ſopra la quale ſi fa quel ſacrificio: che conſi-
„ ſte ad abrucciar incenſo, profumi , ed il Rè allora ſi pro-
„ ſtra quattro volte ſino a terra. Cio ſi fa circa il principio
„ della prima luna dell' anno nuovo, che concorre ordinaria-
„ mente nel meſe di Febraro. L' autore di queſta religione è
„ *Confuzio*, il quale in Coccincina , ed in Tonchino ſi chia-
„ ma *Ong-không*.

De idololatris Coccincinenſibus , ſeu de religione plebeia ita
diſſerit auctor *pag*. 3. „ La ſetta degl' idolatri , i quali per ſu-
„ prema deità adorano *But*. Queſta infame deità era un cer-
„ to impoſtore del *Malabar*, al quale danno molti nomi; alle
„ volte *That Dalna*, alle volte *Nhin-nhuc*, alle volte *Thica-maunl*
„ *phut*; nacque il ſecondo anno dell' impero di *Trieû vecong*
„ Imperatore de' Cineſi il decimo quarto dì della decima quar-
„ ta luna: Ora il padre di *Thica* aveva nome *Tinh-phan-vecong*,
„ e la di lui madre *Madlapham*... ſene fuggì in deſerto, e ſo-
„ pra una montagna fece la vita Romitica , l' apparirono due
„ demonj; cioè *Alala*, e l' altro *Haclala*, ſedendo a ſuoi fian-
„ chi, li parlavano, ed egli *ſcriſſe* cio che li diſſero . Quella
„ raccolta formò *quattro mila volumi*, di cui ciaſcheduno con-
„ teneva cinquanta fogli di carta ; cio che compone i carat-
„ teri e la religione . In queſti libri dicono che B*ut* è il cuo-
„ re, e che il cuore è B*ut*; che la bontà è B*ut*, e la ma-
„ lignità è il diavolo, detto *Maqui*. Quindi i Cineſi, Coc-
„ cincineſi, e Tonchineſi ammettono due principj come i Ma-
„ nichei ; uno buono, l' altro cattivo, ai quali offeriſcono ſa-
„ crificj . Di più inſegnano la traſmigrazione , dicendo , che
„ quello che adora il B*ut* , ſara Rè . Dopo la morte di *Thica*,
„ i ſuoi adoratori publicarono che B*ut* aveva creato il cielo e la
„ terra, e tutto l' univerſo , che la vita e la morte ſono tra
„ le di lui mani . Fu l' Imperatore di Cina, chiamato *Minh-dê*
„ che introduſſe queſt' idolatria in Cina ... Queſto inviò due
„ Ambaſciadori di nome *Thoiam* e *Tanh-canh* ; i libri aggiun-
„ gono di più, che i Mandarini eſſendo giunti a mezza ſtra-
„ da, cio è al regno di *Thien-truc*, ch' è l' iſola di *Ceylan*, e la

Digitized by Google

„ terra *Malabar*, conſiderando la lunghezza del viaggio riſolvettero di non proſeguire più innanzi, temendo di morire, „ fecero la riſoluzione di comprare una figura dell' idolo *But* „ de' Malabari per quaranta due *Tien* moneta di quel paeſe „ (circiter 4. ſcuta Romana), la miſero ſu di un cavallo bianco, e la portarono così in Cina . . . l' Imperatore la portò in „ proceſſione in tutti luoghi del ſuo impero, acciocchè tutti „ la veneraſſero, e fabricaſſero tempj a ſuo onore da trenta „ in trenta miglie (ſono quelli tempj che abitano li *Bonzi*), „ e proibì a tutti i ſuoi popoli ſotto pena di morte d'ammazzare verun animale a cagion della traſmigrazione. In queſta „ conformità ſi è introdotta la religione di *Foe* in queſti paeſi. „ Queſta figura di *But* è la principale deità che gl' idolatri „ adorano „. (1)

Pag. 18. & ſeq. deſcribit religionem *Magorum*, qui cumprimis daemonem, malum principium colunt, atque eius praeſidio divinationibus, incantationibus, praeſtigiis, magiae, animarum quae corpora exuerant evocationibus, ſortibus ac necromantiae operam navant. De his vide de Paw, *Recherches philoſophiques ſur les Egyptiens & les Chinois*, tom. 2. ſect. 8. *de la religion des Chinois*, pag. 176. 177.

Nec diſquiſitionum noſtrarum ſcopus, nec temporis anguſtiae permittunt, ut nos huius unius codicis cauſſa in profundum diſputationum barathrum immergamus. Antiquitatem ac praeſtantiam Sinicae gentis, eiuſque philoſophicae ſeu *litteratorum* religionis iactavit Is. Voſſius *obſerv. ad* P. Mel. *lib.* 1. *cap.* 2. Gonzales de Mendoza, Fourmontius, Ioh. Web Anglus in opere inſcripto, *Novum ſpecimen hiſtoricum*, Londini impenſis *Nath.* Broock anno 1669. Ioh. Mandevill, *itin. c.*72. Mart. Martinus *in Atlante Sinico*, aliiſque. Horum ſive commenta ſive argumenta convellere ſtuduit Hornius *Diſſert. de vera aetate mun-*

di

(1) Qui Imperatorum Sinenſium ſeriem pernoſcere, atque epochas eorum regiminis ſcire avet, inſpiciat *Tabulam Chronologicam hiſtoriae Sinicae connexam cum cyclo, qui vulgo* Kia Tse *dicitur*. Hanc Imperatorum ſeriem a D. *Franciſco Fouquet* Epiſcopo Eleutheropolitano anno 1720. primum editam ampliſſimus Card. *Borgia* ad annum 39. imperii *Kien Long*, ſeu aerae vulgaris 1774. perduxit, auxit, incidit.

di c. 12. ubi catalogum regum Sinenſium ſuſpectum reddit, quemadmodum ſubleſtae fidei ac erroribus refertas eſſe oſtendit celebris *Caſſinius* Sinenſium aſtronomicas obſervationes apud D. De La Loubere, *Du royaume de Siam*, tom. 2. Comitem, & quidem Sinicae antiquitati pugnacem adverſatorem hi litterati viri habent Abbatem Renaudot, *Anciennes relations des Indes & de la Chine*, a Paris 1728. pag. 175. *Eclairciſſemens ſur ce qui regarde l'hiſtoire & les coutumes de la Chine*, & p. 340. *Eclairciſſemens ſur les ſciences des Chinois*. Cui adiungere poteris litteratum virum, ſed nugatorem mordacem, ſaepe deſipientem De Paw, *tom.* 2. *ſect.* 8. *pag.* 176. *& ſeq.*

Paucis dicam: ſacrificium, quod *caelo* aut *caeli Domino* a Sinico Imperatore, ac Coccincinenſi rege, atque a litteratis viris offerri ſcribit *D. Boiret*, rebus & circumſtantiis rite expenſis, aliquibus ritibus detractis, idem omnino eſſe videtur, quod Brahmanicum ſacrificum യാഗം *yága* vel *yágam*, de quo nos egimus in ſyſtemate Brahmanico *pag.* 1. *& ſeq. tab.* I. Sinae non mactant arietem, pacis, concordiae & iuramenti ſymbolum, non edunt arietini jecoris particulam, ut litterati ſacerdotes Brahmanes, & veteres *Magi Perſae* apud Strab. *lib.* 15. At his non obſtantibus ſacrificio Sinico praeeſt rex, ut apud Indos; apud quos regi ſoli ſacrificium peragendi & praeſidendi nulla ſit poteſtas, ſi ipſe non ſit magiſter & quidem ſimul *rex & ſacerdos*. Apud Tartaros, ac proinde etiam apud Sinenſes olim bellicoſas & errabundas gentes, huius ritus obſervatio exolevit, atque praecipua auctoritas in reges collata fuit deficiente ſacerdotum numero, aut regis auctoritate ob continua bella accreſcente. Profecto, ad ſacrificium *yágam* inter Brahmanes & regia requiritur auctoritas, & praeſentia, neque regi quidquam obſtat ad ſacrificium peragendum, quando rex, & Brahman magiſter, & ſacerdos eſt. Sinicum illud ſacrificium *incenſo* ac *combuſtione lignorum exquiſitorum* fit ut Brahmanicum, Sinicum caelo ſeu caeli domino offertur, & quidem „ *circa il principio della prima luna dell' anno*, ut apud Brahmanes plerumque menſe Martio in exordio ſui novi anni, quem ordiuntur

a Iu-

a luna plena menſe Martio. Sinicum illud ſacrificium offertur caelo ſeu domino caeli, qui pulſo omni dubio eſt *Sol* vel *Mithra* veri dei ſymbolum, cui offertur ſacrificium *yágam*, & cum eo reliquis planetis, quorum rectores & vectores *genii* tunc invocantur cum omnibus aliis ſpiritibus, quorum nomina exhibet vocabularium Brahmanicum Amaraſinha. Vide ſupra in hoc opere *pag.* 32. 33. La Loubere, *tom.* 1. *pag.* 504. De Paw *tom.* 2. *pag.* 191. 192. *edit.* Berol., ubi veteres Scythas & Sinenſes in loco patenti ac in montibus *eiſdem geniis* ſacrificia offerre ſolitos fuiſſe docet, eo nempe modo quo in *campo aperto* caeleſtibus geniis, hoc eſt, ſoli, lunae, planetis arietem immolant Brahmanes. Quod quidem arietis ſacrificium, quam ſit vetuſtum, indicant ſacrae paginae Gen. cap. 4. *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis ſui, & de adipibus eorum.* Et c. 22. *Vidit Abraham poſt tergum arietem, quem aſſumens obtulit holocauſtum pro filio.* Denique Exod. cap. 12. *Menſis iſte, vobis principium menſium: primus erit in menſibus anni... Erit autem agnus abſque macula, maſculus, anniculus, iuxta quem ritum tolletis & hoedum... immolabitque eum univerſa multitudo filiorum Iſrael ad veſperam.* Ex his igitur iam planum & perſpicuum eſt, non ſolum commentitiam, ſed etiam contradictoriam eſſe eorum ſententiam, qui Sinenſes *Caelo* & *Caeli Domino* ſacrificium offerre dicunt, eoſque ſimul & ſemel *atheos* appellant. Caelum, *aetherem igneum ubique effuſum & candentem*, eumque *Iovem*, apud Ciceronem *lib.* 2. *de nat. deor.* eſſe docet *Ennius* aliique. Idem adſtruit Orpheus, aliique Stoici apud Euſeb. *praep. Evang.* l. 3. §. 9. pag. 102. & ſeq. *Deum vero corpus, ipſumque adeo ſummum Architectum nihil niſi vim ac poteſtatem ignis eſſe dictitant.* Quamvis igitur Sinenſes huic *caelo* ſeu *aetheri* ſacrificarent, non tamen ſequeretur, eos eſſe *atheos*. Confer in hoc opere ſupra *pag.* 47 48.

Fabulae, quas D. Boiret de *But*, hoc eſt, de Mercurio Indico *Budha* narrat, ea quae nos de hoc numine ſupra docuimus, mirifice confirmant & illuſtrant. De corruptione nominis *Budha* in *But*, *Pout*, *Put &c.* vide ſupra *pag.* 10. *in notis*. Eius cultum ex Malabaride & inſula Ceylan in regna Pegu, Ava,

& alia

& alia per Samanaeos penetraſſe oſtendimus *pag.* 40. *& ſeq.* Varia huius numinis ſimulacra Indica, Sinenſia, Peguana illuſtravimus *p.*67.*& ſeq.* Veteres Samanaeos eidem ſuos libros et leges affinxiſſe, atque ab eo acceptas ſimulaſſe docuimus *p.*31. Hic idem Budha Indis, Phoenicibus, Aegyptiis, Graecis, Tibetanis, Peguanis apparuit *pag.* 38. Libri Indici in Sinas illati *pag.* 38. *in notis*. Budha *Manete* et Manichaeiſmo multo antiquior *p.* 39. 40. 28. Budha ſpiritus ſeu genius bonus *pag.* 48. 49. Devada eius adverſator *pag.* 51. Budha animarum cenſor, et gloriae caeleſtis largitor *pag.* 25. 26. 27. 28. 49. *But è il cuore, il cuore è* But, *la bontà è* But, *e la malignità è il diavolo, chiamato Maqui* (Indis et Peguanis Dèvada). *La vita e la morte ſtanno tra le di lui mani. Quello, che adora il* But, *ſarà Re.* D. Boiret *ſupra in textu*. Ex his ergo iam omnino apertum et perſpicuum eſt, quis ſit Coccincinenſium et Tunchinenſium *But*, quaeve ſit gentis *idololatria*. (1)

§. IV.

Codices Malabarici.

N U M E R O I.

ചന്ദ്രോദയം Ciandrodayam ſeu *nativitas lunae*. Codex ex foliis palmarum conſtans longus palmum unum, pollicem unum, largus pollices duos & fere quadrantem. Exaratus eſt ſtylo ferreo in olis vigintiquatuor. Lingua ſcriptus eſt Malabarica, elementis Granthamicis, & verſibus Malabaricis vulgaribus, ſed dictionibus Samſcrdamicis ubique refertus. Inſcribitur: Ciandrodayam, ſeu *nativitas lunae*, nomine videlicet metaphorico, ut pleriquc alii Indici libri. Inſtructio eſt facilis & plana ad regem quemdam Indicum nomine Hamſa, quem philoſophus quidam ethices inſtitutionibus imbuere ſatagit. Liber incipit. രാജ്ഞിഹംസേ Rágiá Hamſe, *O rex Hamſa*. Statim poſt initium ita canit:

(1) De regno Coccincinenſi & Tunkinenſi confer *Storia generale dell'Aſia, Affrica ed America* di M. L. A. R. t. 3. in Firenze 1780. pag. 5. & ſeq. *Deſcrizione dei paeſi dipendenti dalla Cina. Il Tonquin &c.*

Digitized by Google

പുരുഷായുസ്സു നൂറെന്നറിക നൃപ മന്നെ
Puruszáyſſu nùrennarigá nrbá mannè
അതിലും പാതി നിദ്രയല്ലെയൊ നിരൂപിച്ചാൽ
Adilum pádi nidráyallèyò niruviciál
പതിനാറൊളം പ്രജ്ഞയെന്നിയെ കളിച്ചു പൊം
Padinárròlum pragniayenniè kaliciu pòm
എഴുപതു വയസ്സായാലെന്തിന്നു കൊള്ളാം പിന്നെ
Eszuvadu vayaſsáyá lendinu kollàm pinc
അതിലുമവാ മൃത്യു പെരികെ യുണ്ടായ്വരും
Adilum avá mrtyu perigué yundáivarum
വ്യാധികൾകൊണ്ടു ചില കാലവും കഴിഞ്ഞു പൊം
Vyádhiguelcondu cilá kálavum kaszignu pòm
യൌവനം കുറഞ്ഞൊരു കാലമെയുണ്ടായ്വരും
Yauvanam kuragnoru kálamèyundáivarum
യൌവനം വന്നു മുഴുത്തിതിനാൽ അനന്തരം
Yauvanam vannu muszutidinál anandaram
മായയിൽ വലയാതെ മാനസമുറ്റെകെണം
Máyayil valèyáde mánaſſamurrekenam .

Scito o rex centum annos eſſe hominis aetatem ;
His ipſis centum annis , ſi recte perpendas , nonne dimidium ſomno exigitur ?
Uſque ad decimum ſextum aetatis annum tempus puerili luſu ſine iudicio & prudentia abſumitur .
Dum ſeptuageſimus aetatis annus adrepit , cui bono tunc utilis eſt homo ?
In hoc ipſo decurſu multos mors interimit
Aliquos quoque annos morbi moleſtiaeque auferunt .
Iuventus paucos annos durat ,

 Igi-

Igitur quamprimum iuventus matureſcit, & pubeſcit,
Statim ſenſuum illecebris, ac vanis phantaſmatis contemptis,
voluntatem ad bona opera obſirma.

Ex hoc codice nos iam pauca attulimus in grammatica Samſcrdamica *pag.* 175. Stylo, ut iam perſpicis, ſcriptus eſt ſucco & *ἐνέργεια* pleno. Ne mollis & blanda oratio palpum obtrudere inſidiarique videatur, ſimplicem ac nudam veritatem verbis diſtinctis, non tamen aſperis, in regis animum inſinuat, urget, incitat ad virtutem excolendam, qua nihil praeſtantius in hoc mundo hominibus a diis conceſſum fuiſſe demonſtrat. Diſſerit de tempore, de humanae vitae brevitate, de miſeriis quae eam comitantur, de bonis animalium proprietatibus, de herbis, de aſtrorum influxu, de animae tranſmigratione, quae exſuto corpore deo *Kàla* ſeu *Yàma* ſeſe ſiſtere, atque actionum ſuarum rationem reddere debebit. (1)

NUMERO II.

സ്നാനപൎവ്വം *Snànaparva* carmen de ablutionibus, ſeu luſtrationibus gentilium. Codex corticeus ex decem olis conſtans, longus palmum unum, pollicem dimidium, largus pollices duos & dimidium. Exaratus eſt ſtylo ferreo, elementis Granthamicis, lingua vulgari Malabarica, ſed plurimis dictionibus Samſcrdamicis ex libro *Amaraſinha* depromtis intermixta. Incipit ab his verſibus:

ചെമ്പകനാപ്പൂണ്ണൊരലതിന്റിലങ്ങൊചെമ്മെസൃഷ്ടിച്ചുതൻ
കനനെനൊമാട്ടം

ഒന്നി

(1) Hic liber, ut alii multi, ex veteri *Samanaeorum* ſchola prodiiſſe videtur, auctor enim lunae curſu anni tempora notat, quatuor mundi aetates ab aetatibus ſeu vita deorum caeleſtium computat, tranſmigrationem animarum, ac Stoicam vitae duritiem aſperitatemque docet. Vide Q. Curtium *lib.* 8. *cap.* 17. *ſub* finem, Examen hiſtorico criticum codicum Indicorum bibl. S. Congr. de Prop. Fide *pag.* 37. *Quintum genus* (hominum) *celebratae illic* (in India) *& prope in religionem verſae, ſapientiae deditum, voluntaria morte vitam accenſo prius rogo finit.* Plinius *hiſt. nat. lib.* 6. *cap.* 19.

Digitized by Google

ഒന്നിച്ചുതന്നെമരുവിടുന്നാൾസുനേരപൈങ്കിളിപൈങ്കി
ടാവെ

Cembagá punciola tanmilanggue cèmmè ſughiciu tan
càndenòdum
Onniciu tannè maruvidunàl ſunera peinkli
penkidàve

O tu formoſa iuvenis pſittace femina , quae plena voluptatis in arbore Cembagà ſedes , & cum marito tuo pſittaco inter amoris baſia exultas , dicito , dicito menſilium luſtrationum virtutem .

Solent meridionales Indi poſt invocationem deorum carmina ſua aut cycno, aut pſittaco inſcribere , eoſque invocare , ut ſcribendae rei ſeriem & geſta canant , ac veteres hiſtorias promant . Promittitur pſittaco lac , ſaccharum , ficus bannanae . Ex his eduliis , ſi recte veterum heroum geſta narret , pſittaco feminae locuples & lautum prandium ſe apparaturos ſpondent, eamque incitant , ut moduletur carmen . Orditur cycnus aut pſittacus , eaque modulatione narrationis filum incipit . In hoc igitur codice , qui de menſilium luſtrationum virtute ac praemio agit , pſittacus multa tradit de formoſa cuiuſdam Indici regis filia nomine *Simandini* , quae cum in ſacro fluvio കാളി *Càlini* (I.) ſeſe in pleniluniis ac noviluniis diligenter luſtraſſet, dei Krshna ſeu Apollinis apparitionem gratiamque promeruit , atque animam corpuſque ſuum incolume & illibatum ſervavit . Ad imitandum hoc exemplum poemate iſto mulieres cumprimis excitantur , quae dum ſe luſtrant , hoc carmen canere ſolent . Lectori noſtro rem gratam atque iucundam fore arbitror , ſi ethnicorum Indorum ſeſe luſtrandi modum myſteriis plenum ex R. P. Ildephonſo a Praeſentatione in *cod. mſſ. num.* XXXI. inter codices bibl. S. Cong. de Prop. Fide , pauſſo uberius deſcripſero . Is itaque *lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 236. ita diſſerit : *Quando hi idololatrae utuntur balneo ſuo ſuperſtitioſo , adhibent caerimonias ſequentes : quando intrant in paludem* (ſtagnum vel flumen) *ad balneandum , fingunt quod lapis ille , ſeu gradus , qui ponitur in ingreſſu paludis* (vel ſtagni aut fluminis) *ſit deus* Brahma , *ſe-*

 cun-

Digitized by Google

cundus gradus dictus Carrò , Malabarice കടവു Cadava, aditus, *in quo ſubſiſtunt* , *& corpus lavant* , *ſit deus* Vishnu , *in palude* (in ſtagno) *autem exſiſtat deus* ഈശ്വരൻ *Ishvara* dominus. *Facta hac praeparatione denudant ſe ipſos relicta ſola modica tela ad lumbos* , *aut uno ſolo folio palmae contecti duobus digitis lato intrant in paludem* , *ſcribuntque ſeu effingunt ſuper aquam ſyllabam iſtam* : ഓം Om, *id eſt viſne ?* (II.) *Interim tribus digitis aſpergunt ſeipſos modica aqua* , *quo facto imaginantur ſibi* , *quod in ea palude* (ſtagno , flumine) *ſe balneaverint dii* Brahma , Vishnu , *&* Ishvara . *Intrantes autem in balneum ipſum dicunt* : Iam recedit a me peccatum immunditiae : *poſtmodum amovent aquam a ſe utraque manu in duas partes* , *merguntque caput ſuum* , *& cum his caerimoniis credunt fatui quod purgati ſint a peccato veniali* (III.) , *quod commiſerunt tangendo tribum inferiorem* . *Ultimo utraque manu projiciunt aquam verſus octo partes orbis terrarum* (nempe in honorem octo deorum , qui has octo partes cuſtodiunt) *ſanctificando & offerendo aquam illam protectam ſingulis octo vigiliis* , *quae iuxta eorum opinionem cuſtodiunt mundum univerſum* (IV) . *Ulterius invocant deam Sripagodem* (ശ്രീഭഗവതി Shribhagavadi, quae eſt Párvadi , Bhaváni , luna & natura) . *Lavando interim ſibi faciem tribus vicibus & dicendo* : Sripagode en beleari irica (V.) : *ulterius ambabus manibus proiiciunt aquam modicam contra caelum ſurſum* , *quam offerunt deo* Soli , *dicendo* : Sri Sura namá (VI.) : *ultimo lavant manus & pedes* . *Item lavando ſeipſos tali modo ut ſanctificentur* , *ponunt in palma ſuae manus ſiniſtrae paullulum de cinere ſtercoris vaccini* , *mixtoque illo cinere cum aqua dicunt* : Shuttamágá : *id eſt* , ſanctificeris . *Imaginantur ſibi quod ſiniſtra manus ſit terra* , *dextera autem manus ſit oleum* , *palma autem manus ſit locus generationis* , *poſitaque manu dextera ſupra ſiniſtram* , *clauſaque utraque ſtrictiſſime dicunt* : ágá andesza , *id eſt* , finietur mundus. *Dicto hoc imaginantur ſibi idololatrae* , *quod ultimum exterminium orbis terrarum iam ſit proximum* , *ita ut omnes creaturae annihilari debeant* (VII.) , *redireque debeat Ishvarata ſeu Divinitas in ſuum*

ovum

Digitized by Google

ovum imaginarium, detinentque ſe in hac meditatione aliquot minutis, imaginanturque ſibi, quod illae duae manus ſimul iunctae in modum pugni unius ſint ovum illud, quod vocant andeſza mottá, *ex quo creari debeat mundus de novo: ulterius elevant manum dexteram aliquantulum dicuntque:* ágáſzavum, bhúmijum viria pettu, *id eſt*, caelum & terra diviſa ſunt (VIII.), *quo dicto imaginantur ſibi, quod iam apertum ſit ovum illud, cuius pars inferior eſſe debeat terra, pars autem ſuperior, caelum: ultimo formant digito manus dexterae ſuper cineres ſupra manum ſiniſtram exſiſtentes has duas ſyllabas:* jara, *id eſt*: diſſenſio ſeu contrarietas, *quam habebant intra ovum illud ignis & aer. Addunt item alias ſyllabas duas:* jenghi, *id eſt*, ſufflavit, *&* erarenhi, *id eſt*, accendit. *Cineres autem in manu ſiniſtra exſiſtentes, ſignificant illos divinos pulveres, quos olim vacca devoravit, quando Brahma deus viſitavit deum Ishvara, cuius vacca ſuper quam ſolet equitare derelicta in paſcuis paradiſi dei Ishvara, abſumpſit dictos ſacros pulveres, quos dicunt fuiſſe reliquiam de pellicula illius Shivalingam dei Ishvara, quando incendio improviſo conſumptum fuerat* (IX.).

His caerimoniis omnibus praemiſſis, attingunt manibus corpus ſuum infra umbilicum, poſtea in umbilico ipſo, poſtea ſupra ſtomachum, dein ſupra pectus, in capite, in ore ſeu labiis, & ultimo in ſuperficie capitis; ut autem nulla remaneat pars corporis non ſanctificata attingunt etiam manibus ſuis omnes digitos pedum, item genua, auriculas, & cubitos manuum: item extendunt iunctas unam penes alteram ambarum manuum palmas ſignificare volentes duos ſpiritus, *quorum unum fingunt habere in manu dextera, alterum in manu ſiniſtra, unum vocant* Satyen, *alterum* aſſatyen, *qui, ut illi ſomniant, conſcribunt, & connotant opera bona & mala, quae faciunt in vita ſua: demum vacuas illas manus praeſentant etiam illis octo vigiliis* (cuſtodibus) *mundi univerſi, ut ſupra, convertendo ſe ipſos ad octo partes mundi. Ultima caerimonia eſt, imponere corpori ſuo quoddam* curi கூறி, *id eſt ungunt ſe cum cinere de ſtercore vaccae confecto, aqua in maſſam liquidam redacto, tribus digitis manus dexterae in honorem deorum* Brahmae, Vishnu, *&* Ishvara, *in fronte, humeris, & pectore: & ſic fiunt*

ex

ex toto ſanctificati, *&* *mundi ab omni peccato*. Addit P. Ildephonſus: gentiles, dum ex eis quaeritur, cur tantis ritibus utantur ad ſe luſtrandum, reſpondere ſolitos eſſe: duas eſſe gentilium Indorum leges, unam കൎമ്മം *Karma*, id eſt, *opus*, alteram ജ്ഞാനം *gnàna*, id eſt, *ſpiritum*, *ſapientiam*, *internam vim legis*. Illam partem legis, quae opera legis praecipit, in India, ac praeſertim in Malabaride adimplendam eſſe; ad aliam advenas teneri, ſibi quoque ſufficere, hanc ultimam exercere, dum ipſi in alienis terris verſantur, neque primam adimplere poſſunt. Aiunt denique, ſe cumprimis illi legis parti addictos eſſe, quae opera ſancta praecipit; indeque Malabaridem കൎമ്മഭൂമി *karma bhúmi* ſeu *terram bonorum operum* vocari; ob quae bona opera, deus പരശ്രീരാമം *Parashriràma*, Vishnu nempe incarnatus, olim mare, quod montes *Ghates* alluebat, ab his montibus amoverit, atque regionem illam ad centum, & quinquaginta milliaria in aridam reduxerit (X.).

Quiſquis intento animo haec omnia expenderit, facile comprehendet, in his luſtrationibus praecipuam gentilicae Theologiae partem ſitam eſſe. Haec paucis nequaquam illuſtrari poteſt: multa autem congerere, res eſt a noſtro propoſito & inſtituto prorſus aliena. Attamen ne partibus noſtris deeſſe videamur, ambigua & obſcura, contractiori quo fieri poteſt modo omnino illuſtrare neceſſum eſt. Fluvius *Calini*, de quo in textu codicis ſermo eſt ſub num. I. poſt Indum, Gangem, Gagra, Yamuna, ſanctitatis opinione celebris in Gangem influit ſub gradu 27. *lat. borealis*, & 77. *long.* orientalis. Statim infra ad hunc ipſum fluvium Gangem ſita eſt antiquiſſima Indiae urbs *Canudi* (1), quod vocabulum Arabes, & poſt eos *Renaudot* in opere ſupra cit. *pag.* 169. corrupte ſcribit *Canouge*. Vide, *Carte generale du cours du Gange & du Gagra dreſſée ſur les cartes parti-*

ticu-

(1) Haec praecipue loca urbeſque antiquiſſima & nobiliſſima Indiae gens *Praſia* occupabat & incolebat. *Regi eorum peditum ſexcenta millia*, *equitum triginta millia*, *elephantorum undecim millia*, *per omnes dies ſtipendiantur*. Plinius *lib.6. hiſt.nat.cap.*19. Hoc iam tempore Alexandri M.

Digitized by Google

ticulieres du P. Tieſentaller par M. Anquetil du Perron, *a Paris* 1784. In urbe *Canudi* Abulfeda apud Renaudotium *p. c.* collocat veteres *gymnoſophiſtas* Indicos. Iuxta Gangem & Yamuna Porphyrius, S. Hieronymus, & Claudius Ptolemaeus eis ſedes aſſignat, & hic quidem *lib.* 6. *tab.* x. *edit. Argent.* ad ortum urbis *Madura*, quae Plinio eſt *Meteora* (1), atque ad fluminis *Yamuna* ripas *gymnoſophiſtas*; ad orientale fluvii *Indi* latus *Tabaſſi Magorum gentem*; ad urbem Aſtagura, hodie *Aſtnapur*, ad Sambalaca hodie *Shamba* vel *Iamba*, ad Pallimbotra hodie *Pallipatur* juxta fluvium Gangem *Brahmanes Magos* collocat. *Tabaſſi* nihil aliud eſſe, quam contemplatorem, poenitentem, ſapientiae excolendae deditum, nos iam ſupra animadvertimus. *Tabaſſi* ergo *Magorum gens*, cuius meminit Ptolemaeus, non Perſici, ſed Indici erant Philoſophi. Hi Philoſophi Indi fluminis accolae Parthis ex Scythia boreali in Indiam irrumpentibus, atque occidentales Indi fluminis ripas obſidentibus, e ſedibus ſuis pulſi, ad Gangem aliaſque orientales Indiae plagas commigrare coacti ſunt. Parthorum certe Metropolim *Minnagra*, hoc eſt, *Minnagari* ad maximum Indi fluminis oſtium intra mediterranea collocat auctor Peripli maris Erythraci. Vide Arriani *Periplum*, ſyſtema Brahmanicum *pag.* 212., & diſſertationem in urbem *Tagara* D. Wilford in libro *Aſiatick reſearches*, pag. 369. Igitur cum Parthi, gens inquieta & bellicoſa, mutuo ſeſe expellerent, reges mutarent, & vicinis gentibus ſaepe bella inferrent, multi *Tabaſſi* ſeu philoſophi Indi, gens ſtudio ac meditationi dedita, Indi fluminis ripas neceſſario derelinquere debuerant. Vide de bellis Parthorum contra ipſos adeo Romanos geſtis Iuſtinum *lib.* 41. *&* 42. *pag.* 248. *& ſeq.* edit. Luc. ex recenſione *Zverii Boxbornii*, Sveton. *in Octav.* p. 76., Bayer, *Hiſtoriam regni Bactriani*, pag. 38. & de epochis Parthicorum bellorum Auguſtini Calmet, *Brevem chronologiam*, *ſeu rationarium tem-*

(1) Plinius hiſt. nat. l. 6. cap. 19. *Amnis Iomanes* (yamuna) *in Gangem per Palibotros* (Pallipatur) *decurrit inter oppida Methora* (Madura) *& Cyriſoborca*. Qui Plinio *Iomanes*, is Ptolemaeo fluvius *Diamuna*. Vide Ptolemaei lib. 7. tab. x. *p.* 117. edit. Lugd. Utrumque nomen corruptum deſcendit ab Indico vocabula *Yamuna*. Confer D'Anville, *geographie ancienne*, a Paris 1758. tom. 2. pag. 347.

temporum, Venet. 1737. *pag.* 57. *& ſeq.* His igitur poſitis, quis non videt, ab anno circiter quadringenteſimo ante Chriſtum natum philoſophiae & mythologiae ſtudium cumprimis ad Gangem excultum fuiſſe? Quis negabit praecipua poemata philoſophis Indicis ad fluvium Yamuna & Gangem habitantibus adſcribenda eſſe? Ibi Budham, vel Godamam remotiſſimis temporibus natum fuiſſe & regnaſſe, Indi, Tibetani, Peguani, Siamenſes & Sinenſes comminiſcuntur, ibi *terra ſancta* ſeu പുണ്യഭൂമി *punya-bhumi* eſt, ibi ſtyx ſeu *Yamuna*, ibi *Calini* fluvius, quem Bacchus tranſiit & ſanctificavit, ibi reges ſancti, ibi virgines pulchrae & caſtae, ibi dii incarnati hominibus apparuerunt, atque flumen Yamuna, Gangem, & Calini in iis ſe luſtrando conſecrarunt, ibi ad fontes Gangis & Gagra paradiſus terreſtris, ibi ſol & luna maximi Indici dii ſuas ſedes & domicilia collocarunt. Quid igitur mirum, ſi poema noſtrum de menſilibus luſtrationibus tractans, fluvii *Calini* aquas laudibus extollat, atque ad ſacras luſtrationes invitet? Philoſophorum labor & ſtudium erat, haec omnia fictionibus exornare, populi imaginationem incendere, mentem incitare, dogmata ſua ſtabilire, in patriam ſuam amorem & venerationem promovere, ad naturalis philoſophiae exercitium Indos omnibus illecebris pellicere. Dic Indo alicui, ut patriam ſuam relinquat, ac in alias orbis partes emigret. Statim reſpondebit: patria ſua nec ſanctiorem, nec feliciorem mundi partem haberi poſſe. De his ergo recte dici poteſt, quod Iuſtinus *lib.* 2. aiebat de Scythis: *Hoc illis naturam dare, quod Graeci longa ſapientum doctrina, praeceptiſque philoſophorum conſequi nequiverunt; cultoſque mores inculta barbarie collatione ſuperari. Tanto plus proficit vitiorum ignoratio, quam in his* (Graecis & Latinis) *cognitio virtutis*. Confer *Aſiatick reſearches*, tom. 1. pag. 419. 420. 352. R. P. Marcum a Tumba in cod. mſſ. b. *De' luoghi ſanti che li gentili dell' Indoſtano viſitano ordinariamente*, in muſeo Borgiano exſtantem & *ſyſtema Brahmanicum*, pag. 129. 130. 138. 140. 98.

Ad *num.* II. diligenter animadvertendum eſt, particulam ഓം om, *fiat*, quam Indi digitis in aqua efformant dum ſe-ſe luſtran-

Digitized by Google

ſtrandi gratia in ſtagnum aut flumen delabuntur, non ſignificare *vis ne*, quod aſſerit P. Ildephonſus. Particulam ഉം hum, *viſne*? alteri particulae ſeu voculae ഓം om vel ആം ám, *fiat*, ex ignoratione ſuae ſignificationis etiam ab Indis ſaepiſſime ſuppoſitam fuiſſe locupletiſſimis rationibus docuimus in grammatica Samſcrdamica *pag.* 50. 51. 52. 53. 54., & nuperrime in Examine hiſtorico-critico codicum Indicorum bibl. S. Cong. de P.F. *pag.* 64. 65. 66. 67. *Hum*, & *om* vel *àm* ipſemet P. Ildephonſus contraponit in lib. cit. *cap.* 4. *num.* 22. dum de creatione mundi agit ex opinione Brahmanum. Deus ഈശ്വരഃ Ishvara ſeu *Dominus* deam ഭവാനി Bhaváni, id eſt, naturam, ſeu മഹേശ്വരി Mahèshvarí, id eſt *magnam dominam*, quae eadem eſt ac natura magna rerum mater, a tergo ſuo latentem interrogat: ഉം *Hum*, viſne, ut aqua, terra, ignis producatur, viſne ut aqua, terra, ignis adoretur? Reſpondet natura ſeu domina a tergo latens, ഓം *om* vel *àm*, volo, fiat, amen; aqua, ignis, terra producatur, adoretur. *Poſtquam multo tempore Ishvara in moroſa delectatione ac deſiderio luxuriae complendae* (nempe in deſiderio creandi) *perſtitiſſet*, *fingunt Brahmanes*, *quod ex vehementiſſima imaginatione deſiderii ad feminam*, *apparuerit*, *ſeu nata fuerit in ſuo proprio corpore a parte poſteriori*, *ſeu a tergo*, *una forma repraeſentans mulierem*, *quaſi tergo ad tergum eidem adhaerendo*: *advertit id Ishvara*, *&* *illico coepit cum eadem muliere confabulari cum multa complacentia proferendo verbum quoddam monoſyllabum ad eam*, *id eſt*: Om? (lege *Hum*) *quod ſignificat interrogative*, Visne? *& mulier dicta eidem reſpondit per aliud verbum monoſyllabum*, *id eſt*: Am (vel Om) *quod eſt*, volo &c. P. Ildephonſus *loco cit.* (1) Ne vero exiſtimes

O hanc

(1) Confer alphabetum *Grandonico-Malabaricum*, Romae 1772. pag.9. ubi P. Clemens a Ieſu ſcribit *Unm* & *am*, quorum illud primum *Unm* corruptum eſt ex Samſcrdamico *Hum*, vis ne? Vide vocabularium Brahmanicum Amaraſinha ſect. *Avya vargga*, ſeu de voculis & particulis indeclinabilibus.

Digitized by Google

hanc fabulam a Brahmanibus recens confictam fuiſſe, inſpice D. Caylus, *Recueil d'Antiquités Egyptiennes*, tom. 1. a Paris 1761. *pag.* 12. *planche* 2. *num.* 1., ubi antiquiſſimum Aegyptiacum monumentum exhibet, in quo *Oſiris* repraeſentatur, cui a tergo adhaeret *Iſis*, nempe ഈശാനി Ishâni *domina*, quae eadem eſt ac *natura*, Ishvarae ſeu Oſiridis Domini uxor. *On voit au dos de la meme figure* (d'Oſiris) *une Iſis repreſentée en bas-relief, & dont la tete eſt de profil*. Caylus *loco cit.* Itaque particula ſeu vocula ഓം Om, vel അം ám, *fiat*, *volo*, *amen*, huic antiquiſſimae fabulae & traditioni innixa, a remotiſſimis temporibus apud Indos & Aegyptios conſervata, geneſeos voculam *fiat*, ac proinde creationem mundi a *Domino* factam demonſtrat, propugnat, defendit, fide etiam hiſtorica, a revelatione independente, certam exploratamque reddit. In *aqua* eam Indi digitis effingunt, quia mundum ex *aqua* conditum fuiſſe contendunt. Vide Strab. l. 15. *mundi autem aquam, & praeter quatuor elementa quintam quamdam naturam* (aetherem) *eſſe, ex quibus caelum aſtraque conſtent*, Indi dicunt. Confer *Aſiatick reſearches* tom. 1. pag. 353. & 245. ubi ex libro Indico *Bhagavada* Deus Creator ita loquitur: *Even I Was even at firſt, not any other thing, that, Which exiſts, unperceived; Supreme: afterwards I am that Which is; and he, Who muſt remain, am I*. Paullo ſupra dum ovum mundi principium ruptum fuiſſe docet, ex eo pars una *terram*, altera *aquam* conſtituit; quae mundi principia a Deo creata, adeo ſunt certa, ut ea Indi hodiedum tamquam deos adorent. Vide *Syſtema Brahmanicum* pag. 110. 111. 163. 164. 165. 166. P. Marcum a Tumba in *cod. mſſ.* in fol. *pag.* 117. in muſeo Borgiano exſtantem. Quid ad hos ſacros Indorum ritus, quid ad has etymologias, quid ad has vetuſtiſſimas Indorum traditiones, quid ad haec monumenta Aegyptiaca & Indica apprime inter ſe conformia reſpondere poſſunt Bailly, Bryant, de Paw, Holwell, Dow, Halhed? Sternutando varia nobis omina de Aſiatica gente dare volunt. Nunc diluvii & crea-

Digitized by Google

creationis mundi traditionem Indos ignorare (1), nunc creationis mundi epocham a Moſe allatam, hiſtoriam eorum excedere (2) iſti rerum Indicarum veteratores docent. Sed aut ſe deſipuiſſe fateantur, aut argumenta, & locos quos urſimus, naſo ſuſpendant. *Ludimur ab hominibus non tam facetis, quam ad ſcribendi licentiam liberis. Quae enim poteſt eſſe ſanctitas, ſi dii humana non curant*, ſi mundus creatus non fuit, ſed aeternus eſt, ſi diluvium nullum fuit, ſi nulla eſt hiſtoriis fides adhibenda? Cicero *de nat. deor. lib.* 1. *pag.* 213. Non conturbamur flumine inanium verborum, nec ſubtilitate ſententiarum, nec lenocinio terſae elocutionis veſtrae, quando in his orationis adeſt ſiccitas, & ubique inverecunda proſilit falſitas. Videmus enim certas opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuiſſe; at Dei unius opinionem, mundi creati, & aquis expiati apud homines fidem, nec delere potuit antiquitas, nec inculta hominum barbaries; quae eam plurimis quidem involucris tenet obvolutam, tenet tamen, ſuſtinet, defendit, credit, & propugnat. Confer Reineſium, *var. lect. lib.* 1. *cap.* 22. Sonnerat, *tom.* 1. *lib.* 2. *pag.* 280.

Ad *num.*III. Confer *Syſtema Brahmanicum* pag. 35. tab. VI. de expiationibus, ablutionibus, precibus & peregrinationibus Indorum gentilium *a pag.* 35. *uſque ad pag.* 45. Niebuhr, *Reiſebeſhreibung*, tom. 2. pag. 71. 72.

Ad *num.* IV. Confer Sonnerat, *tom.*2. *lib.*3. *p.* 156. R. P. Marcum a Tumba in cod. mſſ. in fol. pag. 153. 154. *De octo partibus mundi*. R. P. Ildephonſum a Praeſent. in cod. mſſ. ſupra cit. lib. 1. cap. 4. n. 30. *De forma & ſituatione mundi Brahmanici*.

Ad *num.*V. textus a P. Ildephonſo allatus caſtigandus eſt; eaque oratiuncula ſuae primaevae ſinceritati reſtituta ſcribenda eſt: ശ്രീഭഗവതി എൻ ബലമാടിരിക്കാ Shribhagavadi en belamádi iriká, *celebris*, *ſancta*, *beata*, *potens dea* (nempe luna & natu-

O 2

(1) Halhed, *Code des loix des gentoux, ou reglemens des Brames*, traduit de l'Anglois, a Paris 1778, *pag.* XXVIII. XXIX. XXXI. XXXII.

(2) Bailly, *Hiſtoire de l'Aſtronomie ancienne*, ſeconde edit. a Paris 1781. *pag.* 78. 79. 84. 95. 96. 97. 106. 107. 108.

Digitized by Google

natura Shivae dei uxor) *roboris*, *virtutiſque principium mihi eſto*. Utramque, *lunam* nempe & *naturam* Indi tamquam deam colunt. De utraque multa tradidimus in *Examine hiſtorico-critico codicum Indicorum bibl. S. Congregat. de Prop. Fide*, pag. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. & in *Syſtemate Brahmanico*, pag. 99. & ſeq.

Ad *num.*VI. textus originalis Samſcrdamicus ita reſtituendus eſt : ശ്രീസൂൎയ്യഃ നമഃ Shri Sùrya namá., vel Shri Sùra namá, *potenti Soli adoratio*. Vide vocabularium *Amaraſinha* ſect. *Svarga vargga* ſub nominibus Solis planetae. Sol itaque & luna praecipua Indorum numina ſunt. Euſeb. *praep. Evang.* lib. 1. §. 9. pag. 27. *Priſcos Aegyptios ferunt cum oculos in huius mundi contemplatione defixiſſent, cumque rerum omnium naturam vehementiori admiratione obtupeſcerent, ſolem & lunam ſempiternos eſſe deos, omniumque principes cenſuiſſe, quorum alterum Oſirim, alteram Iſidem nuncuparunt* (1) Confer Plutarchum *de Iſide*, Porphyrium, *epiſt. ad Annebonem*, & de Indis *Beniamini Tudelenſis* itinerarium *pag.* 94. ubi de incolis regionis, in qua piper naſcitur, id eſt, de Malabarica gente ita diſſerit : *Colitur ab his ſol aris frequentibus & magnis extra urbem per omnia loca ad dimidium miliare exſtructis. Summo itaque mane excurritur, aditurque ſol, cui in cunctis aris ſimulacra ſunt ſacrata ad ſimilitudinem orbis ſolaris magicis artibus conſtructa*. Hic cultus, & exercitatio hodiedum obtinet, atque ſacrae luſtrationes quotidie oriente & cadente ſole fiunt. Quod Beniaminus de *ſimilitudine orbis ſolaris* adſtruit, non niſi de radiis & ornatu, qui idolorum ſtatuas & ſimulacra cingunt & ambiunt, eſt intelligendum. De Indis borealibus, qui in hoc cultu minime diſcrepant, vide P. Marcum a Tumba, P. Conſtantinum ab Aſculo *locis ſupra cit.* ac praeſertim cod. mſſ. *Notizie laconiche*, ad fig. 55. & 56. Niebuhr, *Reiſebeschreibung*, tom. 2. p. 71. 72.

Ad

(2) *Fiant* (duo) *luminaria in firmamento caeli, & dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna & tempora, & dies & annos*. Gen. *cap.* 1. *v.* 14. Hinc apud Aegyptios Oſiridis & Iſidis ſimulacra, & apud Indos Ishvarae ſeu Shivae & Párvadi deae ſtatuae & ſimilitudines. Hinc aſtrologia proceſſit. Vide Orig. *in Philos. cap.* 23. *pag.* 42.

Digitized by Google

Ad *num.*VII. *&* VIII Confer *Syſtema Brahmanicum*, p. 163. 164. 165. 166., ubi multa de ovo, de reditu elementorum in ovum, ac de fine mundi, ſeu de univerſarum rerum deſtructione tradidimus. Ritus ipſe ſupra deſcriptus aperte demonſtrat, Indos fidem mundi creati & iterum deſtruendi profiteri.

Ad *num.*IX. Confer Sonnerat, *Voyage aux Indes & a la Chine*, tom. 1. lib. 2. pag. 320. 321., ubi multa de *lingam* ſeu *phallo* Shivae dei Indici affert. Et de harmonia ac diſſenſione elementorum vide *tom.* 1. *lib.* 2. *pag.*283. Plurarchum in *Iſide*, & Cicer. *de nat. deor. lib.* 2. *pag.* 218. ſyſtema Brahmanicum *pag.*112. Vacca eſt ſymbolum terrae, quae pulveres abſumpſit, ut ex iis res procrearet.

Ad *num.* X. locus perdifficilis & lubricus eſt tractandus. Iuſtinus *lib.* 2. *pag.* 20. Scytharum argumenta de ſua ipſorum antiquitate contra Aegyptios afferens ait: *Quod ſi omnes terrae quondam ſubmerſae profundo fuerunt* (nempe per cataclyſmum aliquem) *profecto editiſſimam quamque partem decurrentibus aquis primum detectam, humillimo autem ſolo eamdem aquam diutiſſime immoratam: & quanto prior quaeque pars terrarum ſiccata ſit, tanto prius animalia generare caepiſſe. Porro Scythiam adeo omnibus terris editiorem eſſe, ut cuncta flumina ibi nata in Meotim, tum deinde in Ponticum, & Aegyptium mare decurrant &c.* Hunc locum veteres Scythae & hodierni urgent Indi, neque deſunt Europaei ſcriptores, qui obſervationibus aſtronomicis accedentibus eum tueantur, atque ex Scythia, id eſt, a monte Tauro & ab Indico Imau, Imaeya, ſeu *Himala* monte, qui circa 36. latitudinis borealis gradum ſitus eſt, humani generis incunabula poſt diluvium deducant. Vide apud Sonnerat, *tom.* 1. *p.* 1. 2. 3. 4. 5. ſententiam Baillii & Linei. Sonnerat ipſe, poſtquam *tom.* 1. *lib.* 2. *pag.* 293. eamdem Malabarenſium traditionem, quam P. Ildephonſus ſupra attulerat, retuliſſet, *pag.* 296. ait: *Il eſt a preſumer, que par cette fable les Indiens voulurent apprendre a leurs ſucceſſeurs, que la mer baignoit autrefoit les* Gates, *ce qui prouveroit, que ce peuple date de la plus haute antiquité.*

In-

Inſulam Ceylan montis *Mèru*, id eſt, *Himala*, Graecis *Imeyae* partem fuiſſe, ac ob litem inter ſerpentem *Váſughi*, deumque *Indra* ſeu Iovem habitam, loco motam, ex altiſſimo illo monte in mare delapſam fuiſſe, ex ſententia Indorum refert P. Ildephonſus in cod. mſſ. ſupra cit. cap. 6. *de forma terrae, & marium*, num. 37., & D. Charpentier de Coſſigny (1), poſtquam eamdem Indicam fabulam retulerat, *pag.* 100. ait: *On voit par cette allegorie l' idée qu'ont les Gentils de richeſſes de cette île* (inſulae Ceylan), *& qu'ils attribuent ſon origine a l'une de revolutions du globe*. D. Caſſini celebris aſtronomus, poſtquam D. *Linſcot* Angli opinionem a Malabarenſibus hauſtam retulit, inſulas videlicet *Maldivas* per torrentes maris a terra firma littoris Malabarici avulſas fuiſſe; de inſula Taprobane, quae Ceylan eſt, ita argumentatur (2): *Cette île Tapobrane etoit diviſée par la ligne equinoctiale en deux parties intgales, dont la plus grande etoit dans l'hemiſphére boreal ſelon Ptolomée liv.* 7. Cum igitur inſula *Ceylan* hodie per lineam aequinoctionalem minime ſecetur, quin immo, tanta quanta eſt, ſex integris gradibus verſus boream a linea aequinoctiali diſtet; hanc, & inſulas *Maldivas*, quas olim inſulae *Ceylan* coniunctas fuiſſe *Caſſini* autumat, terrae firmae partes annexas, atque continuas, omnique modo unitas fuiſſe, revolutione denique aliqua hodiernum ſitum ab antiquo diverſum obtinuiſſe docet.

Non vacat longas texere diſputationes. Quod ſentio paucis aperiam. Quemadmodum Indi mundum hunc ſive ex igne ſive ex aqua conditum fuiſſe credunt, ita plane hanc eamdem opinionem apud veteres Scythas obtinuiſſe, ipſa Iuſtini verba cum iis, quae ſupra de Scythis narrat, collata ſatis innuunt. Haec opinio diluvii univerſalis notitiam non tollit, quin immo eam confirmat; & Indi cataclyſmi memoriam in libro *Amaraſinha* ſect. കാലവൎഗ്ഗം *kálavargga*, atque in libro *Bhágavada* exaratam ſervant. Vide *Syſtema Brahmanicum* pag. 280. 281. 282. 283., ubi hoc

(1) V. *Lettre a M. Sonnerat* 1784. a l'Ile de France de l' imprimerie royale 1784. pag. 99. 100. chap. 6. *de l'Ile de Ceylan*.

(2) Vide librum inſcriptum: *Du Royaume de Siam par M. De La Loubere, Envoyé extraordinaite du Roy*, a Paris 1691. tom. 2. *pag.* 400.

Digitized by Google

hoc locupletiſſimis auctoritatibus ſuffulti docuimus . Confer Sonnerat, *tom.* 1. *lib.* 2. *pag.* 280 Liceat nunc ſupponere & opinari, id quod iam alibi ſaepe indicavi, Vishnu Indicum deum eſſe aquam, Saturnum, ſeu genium aquae praeſidem, *ſpiritum* denique *Domini*, *qui creationis tempore ferebatur ſuper aquas*, Indorum. fictionibus & involucris mire obvolutum, id quod infra lucidius comprobabo (1). Decem ſunt huius dei incarnationes, atque unus & idem Vishnu ſemper ſub aliis & aliis formis in hoc mundo apparere fingitur, ut mundum ſervet, quemadmodum & Shiva deus eumdem mundum per ignem deſtructurus eſſe creditur. Vide *Syſtema Brahmanicum* pag. 79. 80. 81. 85. 86. & ſeq. *item* 106. 107. 110. 111. 163. 164. 165. His poſitis, quis eſt iſte *Parasbrirâma* vel *Paraſurâma*, qui undas maris montes *Gates* alluentis compreſſit, amovit, atque regionem Malabaridis, prout hodie viſitur, in terram aridam redegit? Nonne Paraſurâma ipſe deus Vishnu eſt, qui haec operatur? Nonne hic Vishnu aquarum praeſes tempore diluvii univerſalis mundum ab interitu ſervavit, *Manu* regem *virum iuſtum* a cataclyſmo liberavit? Nonne hic idem Vishnu ſub forma regis Paraſurâma pro ſalute Malabaricae gentis aquas amovet a montibus Gates, terramque illam aridam & habitabilem reddit? Fabulae ergo iſtae ad diluvii univerſalis opinionem referuntur, traditionemque conſervant; neque nova in illis terris globi revolutio, & quidem tam grandis ut ſupponitur, tam facile fingi debet; & ſi fingatur, maxime arduus & durus dabitur diſſerendi locus, quem non facile demonſtrare poſſis. Inſpice in *Syſtemate Brahmanico* tabulas Indicas autographas ex Muſeo Borgiano *Vishnu* dei mundum ex aquis diluvii producentis, & *Manu* regem, nempe Noah Patriarcham ſervantis icones tab. IX. *b.* tab. IX. *c.* ad pag. 279. 280. 281. 282. & ſeq. Vide eumdem Vishnu apud Sonnerat *incarnatione prima & ſecunda* ſub forma piſcis & teſtudinis mundum in mare prolapſum elevantem, t. I. lib. 2. pag. 280. *Aſiatick reſearches* tom. 1. pag. 245. & ſeq. Duo denique inſignia muſei Borgiani monumenta Indica in duobus ſacellis Indicis eumdem Vishnu ut piſcem & teſtudinem ad mundum

(1) Vide ſupra in hoc opere *pag.* 47.

dum ex aquis diluvii producendum exhibentia, ſacello 1. & 2. infra deſcribendo.

Iam dudum viri graviſſimi, & doctiſſimi ea coniectura ducebantur, ut crederent in Aſia, ac cumprimis in India, inſignem cataclyſmi memoriam, traditionem, atque veſtigium exſtare debere, atque amaro ſed iuſto moerore afficiebantur, quod viatorum nemo traditiones has referret, nemo, quid de hoc argumento ex Indica opinione ſtatuendum eſſet, mentem ſententiamque ſuam aperiret. Sed quid a viatoribus ſperandum eſt, qui iudicii obliti, memoriam excolunt, qui centum fabellas Aſiaticas, eaſque omnes indigeſtas in itineraria ſua referunt, obruendis potius animis, quam iis colluſtrandis aptiores? Quid aequi bonique ſperandum a viatoribus, qui ſine peritia linguarum in Aſia vagantur, qui ad odorem perdricis aſſae panem ſuum manducant, qui commodis ſuis, imaginatione ſua abripiuntur, qui cum ſacerdotibus Aſiaticis numquam ſunt collocuti, qui gentilium libros ne a limine quidem ſalutarunt, qui ſemiperitia Indicarum rerum tumidi & inflati, iam omnia ſe noſſe putant, & poedagogico faſtu cathedras erigunt, docent, commentantur, ſcripturiunt, garriunt, & vaniſſima commenta ac ſyſtemata non ex Indicis libris, ſed ex ſua fervida & fecunda imaginatione producunt? Vide Anquetilii du Perron, *Lettre ſur les Antiquités de l'Inde*, tom. 1. pag. I. II. III. & ſeq. in opere inſcripto: *Recherches Hiſtoriques & Geographiques ſur l'Inde*, lege D. Halhed, *Code des loix des Gentoux* pag. ſupra citatis, lege Holwellii ſomnia apud P. Marcum a Tumba in cod. mſſ. muſei Borgiani, *Oſſervazioni ſopra le relazioni che fa Monſieur Holwell Ingleſe degl' evenimenti iſtorici toccanti le Provincie del* Bengala, *o dell' Indoſtano*, lege librum *l'Ezourvedam*, de Paw *tom.* 2. de Indis diſſerentem, Bailly Indicam aſtronomiam dijudicantem, D' Hancarville Indicarum dictionum etymologias explicantem, vide denique alios huius furfuris argutulos viros, ſophiſtas, & veteratores Indicas res pertractantes. O vos boni ſuperi, o vos ſanctiſſima numina, quae in tantis tenebris ſcientiis & artibus lumen praefertis, vos dii, qui humanae menti lucem, & ingenio formam affunditis, vos dicite,

quam

Digitized by Google

quam multa in his ſcriptoribus falſa, abſurda, vana, corrupta, a veritate, a ſenſu communi Aſiaticae gentis aliena, ab eius doctrina & libris diverſa, quam multa intricata, ſordida, ludibrio & deſpectu digna reperiantur! Anquetil omnia dat Arabibus & Perſis, De Guignes Aegyptiis, cenſor noſter Manichaeis, Bailly, de Paw, & D'Hancarville Scythis, Bayer Graecis, Halhed & Holwell omnia Indis. Et hi quidem omnes gentes & ſcientias ex femore Indorum genitas fuiſſe, illi e contra Indos uſque ad ſeculum nonum tamquam in gurguſtio delituiſſe docent (1). Sed numquid Deus mundi Dominus non eſt Indorum Deus? numquid aliud eſt Indicum caelum? numquid Indica mens a mente humana diverſa? numquid alii Indorum, alii reliquorum barbarorum dii? numquid vita eorum brevior? numquid ingenium obtuſius? numquid prima aethices principia diverſa? numquid aliae Indorum neceſſitates? numquid aliae eorum traditiones? Lector acri & diligenti animadverſione examinet traditiones ſupra a Iuſtino, a P. Ildephonſo, a Sonnerat, a Coſſigny, a Linſcot, a Caſſinio, a D. La Loubere, a Niebuhr, ab Anglis Calcuttenſibus allatas, videbitque ſingularem inter Indos exſtare creationis mundi opinionem, inſignem hodiedum permanere diluvii univerſalis memoriam. Igitur acri animadverſione, & cenſura ſunt digna D. Halhed verba, quae de Indis effutit in praefatione pag. XXIV. *Cataſtrophe* (diluvium) *dont ces auteurs* (Indici) *ne font pas mention une ſeule fois, & qui, cependant, auroit eté trop frappante pour qu'on l'eût oubliée, & qu'on en eût parlé legerement dans cette partie du monde. A la verité. les Brames prévlennent cette obiection, en diſant, que tous leurs livres ſacrés furent écrits avant le temps, ou nous plaçons Noé, & que d'ailleurs le deluge ne s'eſt pas étendu juſqu'à l'Indoſtan.* (2)

Ridiculam Scytharum & Indorum opinionem, qua pri-

mam

(1) *Ergo viri praeclari ſi Aegyptios multa non contemnenda ſub aenigmatum involucris, & animalium ſuorum imaginibus docentes merito extollitis, immerito nos accuſatis, quaſi perſuaſi nihil ſani nos dicere, ſed frivola omnia.* V. Origenem l. 3. cont. Celſ. pag. 448.

(2) *Duo ſunt opera ſapientis, unum eſt non mentiri de quibus novit, aliud, mentientem poſſe manifeſtare.* Ariſtot. *Elench.* 1.

mam & antiquiſſimam mundi gentem ſe eſſe iactant, non moramur (1). Id tantum probabile eſt, defluentibus diluvii aquis Scythas & Indos editiora Tauri & Himala ſeu Imau montis loca metu alterius diluvii occupaſſe; quamquam & hoc Ioſephi Hebraei opinioni adverſetur (2). Inde emanavit falſa Scytharum & Indorum opinio, montem Taurum, Himala, & Gates, qui a promontorio *Comorino* excurrentes cum monte Himala & Tauro unam eamque altiſſimam catenam efficiunt, a diluvii aquis in ſupremo eorum cacumine merſos non fuiſſe (3).

Quod Caſſini ex Ptolemaeo obiicit facile diluitur. Eadem ratione Ptolemaei obſervationes aſtronomicae, quibus inſulam Ceylan per lineam aequinoctialem bifariam diſſecat, falſae eſſe poterant, qua ratione falſas fuiſſe obſervationes & calculum aſtronomicum Sinenſium demonſtrat ipſe Caſſini *lib. & loco cit.* Plinius *hiſt. nat. lib. 6. cap. 22.* ex Megaſthene de Taprobana inſula diſſerens ait: *Proximum eſſe* (inſulae) *Indiae promontorium, quod vocetur Colaicum* (*a Covalam* oppido hodiedum promontorio aſſidente) *quatridui navigatione, medio in mari* (nempe littora legendo) *ſolis inſula occurrente* (a littore orae Pa-

(1) Confer de hac antiquitatis diſputatione Iuſtinum *l.* 2. Fabricy, Recherches ſur l'Epoque de l'équitation & de l'uſage des chars équeſtres, *tom.* 1. *pag.* 30. 31. 145. 146. 147. Diod. Sic. *lib.* 1. *p.* 10. Ioſeph. cont. Apion. *lib.* 1. *p.* 873. 877. Bayer, *Hiſtoriam regni Graecorum Bactriani*, Petropoli 1738., *& chronologiam Scythicam*, pag. 295. tom. 3. in *comment. acad. Petrop.* edit. in 4. Riemium apud Erneſtum *lib. c. p.* 250. 251. 252. 320.

(2) *Semae vero tertio Noe filio filii fuerunt quinque qui Aſiam uſque ad Indicum oceanum incoluerunt, ab Euphrate propagandae ditionis initio facto .... Armeniam Otrus tenuit, Getheris Bactrianos.* Ioſephus *Antiq. Iud. l.* 1. *c.* 7. *p.* 15. Itaque propagationis generis humani initium ab Euphrate, non autem a montibus Scythicis vel Indicis coepit. Ipſe deus Krshna ſeu *Apollo* Indicus, dum in humana forma apparuiſſe fingitur in libro canonico Indico *Bhágavada*, avos ſuos, ex quibus originem duxiſſe fertur, non ſummitate montium, ſed per *fluctuans lignum*, a diluvio ſervatos fuiſſe narrat *Stropha 6.* in lib. *Bhágavada*. Vide *Syſtema Brahmanicum* pag. 282.

(3) Aſſerta a nobis & demonſtrata commentitia ac allegorica *Bacchi* in Indiam invaſione, ac eius per Indiam tranſitu, perſpecto Indico aſtronomico cultu, examinatis Indorum traditionibus, ſane apertum & perſpicuum eſſe videtur, gentem Indicam in prima ſua origine a filiis *Chus*, gente aſtrorum ſpectatrice, ex Bactriana in Indiam delapſa, deſcendere. Vide Raynaldi *Storia generale dell' Aſia, Affrica, ed America*, tom. 3. pag. 147. *Diſcorſo ſopra la Storia Antica delle Indie* pag 151. Syſtema Brahmanicum *pag.* 135. 213. 205. 306. 307. 308 Diod. Sic. *lib.* 2. *de Chaldaeis*. Ioſeph. Hebr. *antiq Iud. lib.* 1. *cap.* 6. Monteſquieu, *Eſprit des loix*, liv. 11. cap. 1. pag 262. edit. Amſt. 1758.

Digitized by Google

Parava in inſulam navigando). *Seras ab ipſis aſpici notos commercio*. Confer Dodwell, diſſertationem in *Arriani Periplum*, Cellarium, *Notitiae orbis antiqui*, Lipſiae 1773. *lib*. 3. §. 28. 29. 30. *p*. 744. *& ſeq*. Cum igitur tempore Plinii inſula Taprobane, non ex adverſo promontorii Comorini ſita eſſet, id quod autumat Caſſini, ſed proxima eſſet Indiae promontorio Colaico, quatridui tamen navigatione littora legendo a dicto promontorio ratibus aliiſque parvis navigiis velificando diſtaret, ut hodiedum diſtat; denique, cum ex eadem inſula Seres Indi, qui nonniſi populi orae Parava & Coromandelidis ex opinione Plinii eſſe poſſunt, aſpici poſſent, ut hodie aſpiciuntur, profecto tempore Plinii inſula Taprobane eumdem illum ſitum tenuit, quem hodie obtinet. Confer Arriani *Periplum*, in quo haec apertius & diſtinctius traduntur. Vide etiam D'Anville, *Geographie ancienne abregée*, tom. 2. pag. 359. Inſpectis his omnibus liquido conſtabit, inſulam *Ceylan* loco ſuo nequaquam motam fuiſſe, Ptolemaei tempore eam ultra lineam aequinoctialem non excurriſſe; denique fabulam Indicam, quae narrat, inſulam *Ceylan* ex monte Meru paradiſo Indico in mare prolapſam fuiſſe, merum figmentum & allegoriam eſſe, quae ob uniones, qui in inſula Ceylan reperiuntur, paradiſiacam ei originem adſcribit: quae omnia ut alia multa non phyſice, ſed allegorice accipienda ſunt, fictionem aliquam, & veritatem ſimul involventia. Haec de fabulis et codicibus Malabaricis dicta ſunto. Ea nos longius avocarunt, ſed pene infinita dubia prius ſolvenda ſunt, quam una veritas ſtabiliri poſſit. Laboris non poenitet, *ſolutio enim dubii, inventio veritatis*. Ariſtot. *Ethic*. 7. Ceterum, quo praeciſe ſeculo haec duo poemata Malabarica ſeu Indica ſcripta, vulgataque fuerint, certa coniectura aſſequi non licet. In legibus, exemptionibus, poematibus veteribus Indicis raro ſcriptionis aut publicatae legis annus & epocha occurrit. Regis nomen ſub quo leges latae, aut ſcriptae fuerant, affertur, & in fine ſubinde nomen ſcriptoris apponitur; quod in poematibus, ut regis ſub quo poema compoſitum eſt, fictitium eſſe ſolet. Quemadmodum enim apud veteres Graecos ſaepiſſime in legibus vulgandis non annus, ſed Senatus & ſcri-

bae nomen tantummodo apponebatur (1), ita in Indicis legibus ſolum regis & ſcriptoris nomina ſine anno occurrunt. Vide in libro *Aſiatick reſearches*, tom. 1. plures inſcriptiones & leges ſine anno; & in ſyſtemate Brahmanico *pag.* 231. in privilegio a rege Coccinenſi conceſſo annum, & nomen ſcriptoris abſque nomine proprio regis. Tale fuit privilegium ſeu proprietatis & immunitatis conceſſio a rege *Gopála* facta in മംഗിരി *Manguiri*, quod Calcuttenſes Angli *Mongbir* corrupte ſcribunt, quae conceſſio anno 23. ante Chriſtum natum vulgata fuit. Vide *Aſiatick reſearches* tom. 1. pag. 123. & ſeq., in quo monumento regis nomen & annus affertur. Ad proprietates tuendas, atque ad immobilia bona ſervanda in reſcriptis regiis haec cautio neceſſaria erat: at in poematibus nulla diligentia adhibita fuit. In his regum & poetarum nomina fictitia ſine anno & nomine veri auctoris ubique occurrunt (2). Pater puellae സിമന്തിനി Simandini vocatur ചിത്രവൎമ്മാവ *Citra-Varmáva*, quae dictio ad Samſcrdamicas etymologias reducta, ſonat: *pulchri corporis vir*, nomen fictum pro nomine proprio & vero. ചിത്ര citra, *ornatus*, *venuſtas*, *res admirabilis*, *opus phrygium*, *ſculptura exquiſita*. വൎമ്മ് varma, *corpus*, *virilitas*. Vide dictionarium P. *Hanxleden*, & *Pimentell*. Inde exſurgit dictio: ചിത്രവൎമ്മാവ് citra varmáva, *pulchri corporis vir*. Maritus puellae Simandini vocatur ചന്ദ്രാംഗത് Ciandrámgueda, *ſicut luna ambulans*. Ciandra *luna*, Gueda *ambulans*, unde fit *Ciandrámgueda*, ut luna ambulans vir. Ex his nominibus confictis iam patet, carmen de luſtratione gentilium merum figmentum eſſe, & quia hoc idem ſine anno & epocha കാളിദാസ് Kálidáſae famulo deae Káli ſeu Párvadi, hoc eſt deae lunae famulo, clienti & poetae attribuitur, in poematis vetuſtatem ac

(1) Barthelemy, *Diſſertation ſur une ancienne inſcription Grecqué rélative aux Finances des Atheniens* à Paris 1792. *p.* 19

(2) Vide codices Indoſtanos infra recenſendos: *Argiunguita*, *Mùlpanci*, *Dhermasbaſtram*, *Rámáyana*.

Digitized by Google

ac ſcriptionis epocham inquiri non poſſe, apertum & perſpicuum eſt. Tauto ſeu Mercurio Aegyptii, Fouhi ſuo Sinenſes, Budhae Mercurio, Ganeshae ſeu Iano, deae Saraſvadi, ſeu deae eloquentiae & harmoniae, Brahmae, aliiſque diis & deabus Indi ſua poemata adſcribunt. *Leges Aegyptii de iuſtitia inſtituerunt, quas ad Mercurium retulerunt auctorem* Diog. Laert. in prooemio *edit. Rom. pag. 3.*

NUMERO III.

Codex corticeus Malabaricus ſtilo chalybeo in olis exaratus, numerat folia palmarum ſeu òlas quindecim ex utraque parte verſibus refertas. Poema Epicum eſt lingua Samſcrdamico-Malabarica, elementis Granthamicis conſcriptum. Incipit.

ഹരിഃശ്രീഗണപതയെനമഃഅവിഘ്നമസ്തുഃ

Hari, Shrí Gannabadayé namà. Avigghnamaſtu.

Deo Hari (Vishnu), *Shri Gannabadaye* (beato, & celebri deo Gannesha ſeu Iano) *namà*, adoratio. *Avigghnamaſtu*, obſtacula tollant, faveant, ſint mihi propitii.

ഗണപതിഭഗവാൻതന്തിരുപാദിയുംകവിമുകൾതാനും

തുണചെയ്തീടുക.

തുണചെയ്തീടുകഗുരുജനവുംമമകഴലിണപണിയും

ഹരശംകരജയഃ

Gannabadi Bhagavan tantirubadiyum kavi muguel tánum
Tunna ceidídugà
Tunna ceididugà gurugenavum mama kaszalina pannium
Hara Shangra geà.

Iane beate, & tu poetarum apex (Iupiter) *adeſtote mihi!*
Adeſtote mihi o vos electi dii magiſtri! delectis meo operi
Io dicito Hara Shangra (o tu Shiva deus).

Verſus quiſque viginti quinque ſyllabis conſtat, & harmonia ſeu rhytmus in duas initiales uniuſcuiuſque verſus ſylla-

Digitized by Google

labas cadit, ſic in primo verſo incipit: *Ganna*, in ſecundo: *Tunna &c.*

പുരരിപുഭഗവാൻപാംശുപദാസ്ത്രംപാർത്ഥനുപണ്ട
 കൊടുത്തപ്രകാരം
തിറവിയമംഗലസംകീർത്തനമായുറചെയ്യുന്നെൻ
 ഹരശംകരജയ

Puraribu Bhavagan pamshu padàſtram Pàrthena panda
 Kodutta pragàram
Tiravía mangala ſamkírtana-mà-yura ceyunen
 Hara Shangra geà.
Antiquos hoſtes, *&* *a* Bhagavàn (a Vishnu) *ad eos debellandos Párthae data arma*
Ornatu ſplendido, *feliei carmine cano*, *Io dicito Hara Shangra* (Shiva).

നൂററവർചെയ്യപരാധമൊരൊന്നെമനസ്സിൽകുറി
 കൊണ്ടകാലത്തുടൻ
ഏററംകൊപംപൂണ്ടുപുകൊടാരെനഴുകൊടുചൊന്നാ
 ൻഹരശംകരജയ

Nuttaver ceid-abarádham oronè manaſſi curi
 Conda kàlattuden
Ettam kòbam púndu pugodarén-aſzugodu cionnàn
 Hara Shangra gea.

„ Centum ipſi (hoſtes) cum ſint, eorum ſingula ſcelera
„ rite diſtinguendo, ira celeri, mente indignatione inflata, ele-
„ ganti tamen & nitido carmine cano. Io dicito Hara Shangra.

കല്ലടാകരുപായിപായത്തുള്ളാറിതിരുപട്ടിടവശറ
 മിതെതെത്ര്യുടെപ്രീയടെക്കിലുംഞ്ഞട്ടിടതടെക്കി
 ലുടാത്മപാതാംബരഹരശംകരജയ

O Tu

„O Tu regúm omnium mors & corona! Dux mihi & praeſidium eſto.
„ Amor aut temeritas verba mea ſint, hoc unum a te poſcunt:
„ Animae ſervator Io dicito Hara Shangra.

ദുര്യൊധനബന്ധുക്കളുമായൊന്നിച്ചു ചെയ്താട്ടം നമ്മൊടാ

ട്ടം പണ്ടെ ചെറിയൊരമ്മയൊടു ചെയ്തു പറയങ്ങൾ മറന്നി

ല്ലല്ലി ഹരശംകരജയ:

„ Nonne? Nequaquam oblitus es eorum, quae *Durdyòdbana*,
„ eiusque mali ſocii olim contra nos & matrem noſtram perpe-
„ trarunt. Io dicito Hara Shangra.

നാട്ടുനഗരവൃന്ദമൊട്ടുക്കളുച്ചിതും പണയംവച്ചു ചുട്ടു

മിക്കതിയം മക്കൾക്കും പൊറുക്കവല്ലാ പൊറുക്കുന്നൊ ഹര

ഹരശംകരജയ:

Regionem noſtram, urbes noſtras diſjecit & vaſtavit, matrem noſtram iniuria affecit, omnia noſtra in pignus accepit, neque miſeris nobis ſervis tuis pepercit. Parcisne tu illi o deus vindex? Io dicito Hara Shangra. Et paullo infra.

ജ്ഞാനികൾക്കുത്തിങ്കൽ പെരുമാൾ വെദവ്യാസൻ നമ്പ

രിസമ്പിടെ കൃപ്യാത്മവൊ നെഴുന്നെള്ളി യൊരുടാ

പ്രവശാൽ ഹരശംകരജയ:

„ Tunc heſychaſtarum apex Vedavyáſa (Vishnu) maieſtate
„ & beatitudine plenus ibidem repente apparuit. Io dicito Hara
„ Shangra.

ജ്ഞൊനം വീണിടികലർപണിച്ചു പാണ്ഡവന്മാരടകൃപ

നെരൊറം യശാത്മാവനൊടരുളിച്ചെയ്തുകാരുണ്യ

വശാൽ ഹരശംകരജയ:

„ Procumbentes igitur & proſtrati *Pandavae* (5. fratres)
„ heſychaſtam adorarunt: quibus ille animo arrectis miti atque
„ ad miſericordiam compoſito ore ait. Io dicito Hara Shangra.

ശത്രുക്കളുഴകിലവെക്ഷടവാന്മാർക്കാഗ്രഹിക്കിൽ പൂവരെ

ഓരുവർമിക്കുളിലച്ചിന്നിശാകരനെശെഖരമാക്കിക്കൊണ്ട

സെവിച്ചിട്ടുക ഹര ശംകര ജയഃ

Si necem inimicorum veſtrorum oculis veſtris ſpectare cupitis, unus ex vobis Deum lunam bicornem capite geſtantem ſingulari devotione colat. Io dicito Hara Shangra &c.

Quidquid garriant aliqui, non cerebro ſed nugis philoſophi, ex hoc poemate evidens & perſpicuum eſt, a Barbaris praemii & poenae, vitii & virtutis rationem haberi; deum, quiſquis ille ſit, vindicem ac remuneratorem manifeſte admitti. Animae ſervator & vindex is unus eſt. Ceterum, ut lector ſpiritu, vita, maieſtate, imaginationis energia plenum ac celeberrimum hoc Epicum poema rite intelligat, pauca ſunt annectenda.

Primo, invocatur deus *Gannabadi* ſeu *Gannesha*, qui eſt *Ianus*, quia ipſe poeſeos obſtacula tollit, ianuam aperit, poetis favet. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 171. & Ovidium *lib.* 1. *Faſt.*

Iane biceps, anni tacite labentis origo
Solus de ſuperis qui tua terga vides;
Dexter ades ducibus &c.

Secundo, ex theologia Indorum deus *Brahma* creator, *Vishnu* ſervator, *Shiva* deus vindex, iudex, deſtructor eſt. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 106. 107. 109. 111. Hunc ultimum deum iudicem & vindicem poeta invocat, atque ad vindictam incitat, dum ſingulas ſtrophas claudit his verbis: *Hara shangra gea*, quae verba denotant: *Io vince, iraſcere, vindica o tu deus Hara* deſtructor, vindex, & *Shangra*, terribilis, metum incutiens, iudex. *Tertio*, poetarum apex, ſeu primus poeta apud Indos eſt Iupiter ſeu *Brahaſpadi* planeta, & Venus ſeu *Shucra*, quocirco ipſi കവി *Cabi* ſeu *poetae* & *doctores* appellantur. Inde, id eſt ab aſtris, antiquiſſima poetarum *Cabiriorum* ſecta nomen accepit. *Quarto*, *Vedavyaſa* & *Bhagavàn* heic ſunt dei Viſh-

Digitized by Google

Vishnu mundi ſervatoris epitheta, & *Vyàsa* ſeu *Vèdavyàſa* quidem ſonat *legis ſcriptorem*, *Bhagavan* autem *felicem, beatum, celebrem*, quod epitheton, quamvis alibi ſaepe deo *Iano* et *Mercurio* ſeu *Budhae*, aliiſque divis attribuatur, heic tamen ſoli deo Vishnu in *Krsbna* ſeu Apollinem incarnato adſcribitur. *Quinto*, deus ille, qui *lunam bicornem*, id eſt, deam *Pàrvadi* ſemper in capite geſtat, eſt deus *Shiva*, Indis Bacchus ſenior, Aegyptiis *Oſiris*. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 86. Plutarchum *de Iſide*, et apud D. De Caylus *tom.* 1. varia Aegyptiaca monumenta. Hic Shiva Samſcrdamice vocatur ചന്ദ്രശെഖരഃ *ciandrashégbara*, et നിശാകരശെഖരഃ *nishàgara sbegbara*, quod utrumque ſignificat *lunae baiulum*. ചന്ദ്രഃ ciandra, et നിശാകരഃ nishágara *luna*, ശെഖരഃ shéghara *baiulus*, unde exoritur dictio *nishàgara sbégbara*, *lunae baiulus*, quia ſol in lunam influit et eam illuminat. Hoc ultimum epithetum *nishàgara sbégbara* deo *Shivae* attribuitur in ultima a nobis allata ſtropha. *Artba nisbàgara sbégaram sèviciduga*, bicornis lunae baiulum deum, id eſt *Solem* colat. His rite penſitatis, ipſam poematis materiem paucis expendamus.

Duae Indicae familiae, quarum una *Kaurava*, altera *Pandava* dicitur, in India tempore diluvii, aut paullo poſt regnaſſe finguntur. Kauravarum (quod Angli *Kooroos* & *Pandoos* ſcribunt) caput & ſtipes erat *Tredareda*, quem alii Dekshareda vel Tredaráshtra, vel etiam corruptius Dehtraſcher appellant. Pandavarum progenitor fuit *Pandu* rex praecedentis frater, qui omnem illam regionem quae nunc urbi Lahúr vel *Delly* antiquae ac fluvio *Yamuna* adiacet, poſſediſſe fertur. Ab hoc rege Pandu familia Pandavarum nomen et originem traxit. Kauravarum et Pandavarum avi per *fluctuans lignum* a diluvio univerſali ſervati fuiſſe perhibentur, atque ex illis Vishnu deus in *Krsbna* Indicum Apollinem incarnatus, in hoc mundo apparuiſſe fingitur. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 281. 282. et libri Indici *Bhagavada* dicti ſtropham 5. *pag.* 172. *& ſeq.* in

Q Gram-

Digitized by Google

Grammatica Samſcrdamica. Kauravae centum fratres, conſobrinos ſuos quinque fratres Pandavas accuſant, quod illegitimo et non naturali modo ex കുന്തി *Cundi* femina Pándu regis uxore nati ſint, utpote quae eos arte magica a Iove, Sole, Yáma deo, aliiſque divis conceptos per aurem, & ſine Pàndu regis interventu, genuiſſent & profudiſſent. ദുൎയ്യോധന *Duryòdhana* & കൎണ്ണം *karna* natu maiores kauravarum fratres cum ſuis aliis nonaginta novem (erant enim centum & unus) fratribus in quinque conſobrinos ſuos Pandavas bellum movent, regno eos et urbibus privant, *Cundi* eorum matrem maximis iniuriis exagitant, vitae eorum inſidiantur. Poeta Pandavarum perſonam indutus haec Kauravarum ſcelera enumerat, atque deum Shiva peccati vindicem incitat, rogat, provocat ut ſcelera illa ulciſcatur, afflictis, miſeris, adverſa fortuna deiectis Pandavis placabilem et miſericordem ſe praebeat, collapſam fortunam reſtauret, vacillantes fulciat, et cum iudex ipſe ſit et criminum vindex, a Deo poſcit, ut iuſtitiam et cauſſam eorum tueatur. In his rerum aſperitatibus, animae anguſtiis, ac ſolicitudinum aculeis his quinque fratribus apparet deus Vishnu in *Krshnam* ſeu Apollinem incarnatus, adverſam eorum fortunam mollit, adiutorem ſe praebet, afflictos ſolatur, ad capeſſenda arma excitat, ipſe rebus agendis quod bonum fauſtumque ſit, diſponit, pro eis dimicat, atque extorres miſeroſque Pandavas regno ſuo et ſaluti reſtituit.

Hoc Pandavarum bellum, materies eſt et ſubiectum (1) celeberrimi illius poematis Indici യുധിഷ്ഠിരവിജയം *Yudhishdira vigea*, ſeu *bellatorum victoria* inſcripti, quod verſibus Samſcrdamicis ſeu *Shloga* exaratum R. P. Iohannes Erneſtus Hanxleden e S. I. vir immortalis ex codicibus corticeis Brahmanum academiae *Triciuriſenſis* in Malabaria exſcripſit.

Huius libri prima tria capita in collegio *Ambalacattenſi* in Malabaria diſtracta interierunt, reliqua quatuor ego pretio compa-

(1) Confer *Aſiatik reſearches* tom. 1. pag. 261. 343. *Alphabetum Grandonico-Malabaricum*, Romae 1772. pag. 7.

parata poſſideo. Haec ſeptem പൎവ്വം *Parva* ſeu *poemata*, quibus tota *Pandavarum* hiſtoria abſolvitur, ex lingua Samſcrdamica in verſus Samſcrdamico-Malabaricos ab eruditis academiae *Triclurlcenſis* Brahmanibus fuere converſa, atque carmen quod heic ex muſeo Borgiano proferimus, initium eſt primi poematis libri *Yudbisbdiravigea* inſcripti. Hanc ipſam *Pandavarum* hiſtoriam ex codicibus Indoſtanis in Perſicum idioma olim converterat *Albufazel*, *Tedzkerat Aſſalatin*, & librum *Bhagavatguita*, qui libri *Yudhishdiravigeà* quaſi appendix eſt, in Anglicum ſermonem traduxit D. *Wilkins*. Vide *Recherches hiſtoriques & géographiques ſur l' Inde*, tom. 2. pag. 558. & ſeq. *Appendix ſur le Bhagavatghita*. Eadem *Pandavarum* hiſtoria Samſcrdamice ſcripta exſtat inter codices bibliothecae regiae Pariſienſis fol. 434. num. 260. *Bhàradì* (id eſt Bhárada) *de quinque fratribus Pandaw*, *poema ex numero Sabettia* (1). Ex Samſcrdamico libro *Yudhishdìravigea* inſcripto de *Pandavis* nos aliquot *Shloga* iam attulimus in *grammatica Samſcrdamica* pag. 20. 161. 162., & in opuſculo inſcripto: *Alphabeta Indica*, *id eſt*, *Granthamicum ſeu Samſcrdamico-Malabaricum*, *Indoſtanum ſeu Vanarenſe*, *Nagaricum vulgare*, *& Talinganicum*, Romae 1791. *pag*. 19. 20. De *Pandavis* ipſis egimus in eadem Grammatica Samſcrdamica *pag*. 72. & in ſyſtemate Brahmanico *pag*. 148.

Librum *Bhagavatguita* & *Mahàbhàrada* ſeu magnam hiſtoriam Indicam, cuius una pars eſt hiſtoria *Pandavarum*, ante 4000. annos compoſitum fuiſſe perhibet D. *Haſtings* & *Halhed*. Annos 5000. facili coniectura & ſine angore animi concedit ſuo libro *Bhagavatguita* D. Wilkins. Vide Anquetil du Perron in *libro cit. pag*. 556. & D. Halhed, *Code des loix des gentoux*

(1) Vocabulum ***Pàndu*** alii ſcribunt ***Pando***, ***Pandus***, ***Pandion***, & in plurali ***Pandava***, ***Pandiones***, ***Pandavv***, ***Pandoos***, ***Pandavenmar***, ***Pandavi***. Vide Ptolemaei ***Geograph***. edit. Lugd. *lib*. 7. *tab*. x. *pag*. 118. Plinium *hiſt. nat. c*. 20. & 23. Arrianum, expedit. Alex. M. & hiſtoriae Indicae *cap*. 1. *pag*. 323., & D. Anquetilii du Perron *lib. l. c.* Ita pariter vocabulum ***Bhárada*** ſeu ***Mahábhárada***, ***magna hiſtoria Indica*** cuius una pars eſt ***Yudbisbdiravigea***, alii corrupte ſcribunt ***Bhart***, ***Bharabi***, ***Mahábharat &c.*** Nullum iam fere Indicum nomen aut verbum integrum & illaeſum permanſit; ſed omnia Europaei vitio ſui proprii idiomatis, ac ex imperitia linguarum Indicarum corruperunt.

ou reglemens des Brames, à Paris 1778. *Preface*, pag. 24. 25. 26. 27. 28. 29. Inter caecos unoculum eſſe, ac ſua oracula fundere poſſe D. Wilkinſium perlubenter fateor. Hic, dum multa Indica monumenta in libro *Aſiatick reſearches* inſcripto ſine grammatica, ſine vocabulario Samſcrdamico, denique ſine alicuius dictionarii Brahmanici adminiculo illuſtravit, plura intricavit, pervertit, commiſcuit. Quid mirum, ſi apologos & fabulas nulli criterio illigatus de ſuo libro *Baghavatguita* aniliter narret? *Halbed* & *Haſtings*, dum una manu & uno oculo Indicos libros legebant, altera manu & oculo pecunias numerabant, & in pugnum cogebant (1). Igitur nec de his mirum, ſi frequenter alucinentur & caeſpitent. Prodeunt ex Anglia ſimilia commenta frequenter, ut olim ex Africa ſemper aliquid prodibat novi. Laudatis circulatoribus & novatoribus iam dudum reſpondit Strabo *lib.* 15. *Pleraque narrant ex auditu : quamquam etiam ea, quae ab eis perſpecta dicuntur, in tranſitu quodam militari, & pro diſcurſu deprehenſa ſunt*. Et infra : *Mercatores in Gangem uſque perveniunt, atque hi quidem privati homines, & ad locorum hiſtoriam* (minus ad religionis & litteraturae hiſtoriam) *minime idonei*.

Egregie Origenes contra Celſum lib. 1. pag. 417. edit Paris. *Videtur ſane mihi ita facere* (ſemidoctus), *ac ſi aliquis in Aegypto peregrinatus, ubi ſapientes Aegyptiorum eruditi litteratura domeſtica multa philoſophantur de diis patriis, plebei vero homines fabulas quaſdam audientes, quarum rationem non tenent, vehementer ſibi placent earum cognitione, putet ſe pernoſſe omnem Aegyptiorum ſapientiam ex vulgaribus colloquiis, cum nemine ſacerdotum converſatus, nec a quoquam eorum doctus de myſteriis Aegyptiacis. Quod autem de Aegyptiorum ſapientibus & vulgo dixi, idem liceret etiam de Perſis dicere, apud quos ſunt myſteria ſacra, quae certis rationibus curantur a viris eruditione praecellentibus : a vulgo autem*

(1) *L'étude du Samskretan* (Samſcrda) *n'eſt pas, come celle de la langue Perſanne, de nature à entrer dans le ſervice lucratif*, (official profit) *de la Compagnie*. Anquetil du Perron *lib. cit. pag.* 560. Librorum Indicorum antiquitatem aliqui impugnant dicendo : in aliquibus per vocabulum *Tuluken* vel *Tuluker* in iis occurrens *Muhamedanos* intelligi, ac proinde poſt horum invaſionem compoſitos fuiſſe. Sed unde norunt ipſi, dictionem *Tuluken* in prima ſua origine *Muhamedanos* potius, quam *Tartaros* aut *Scythas* ſignificaſſe?

Digitized by Google

tem externa tantum ſigna tractantur, *nihil ſolicito de penitiore cognitione eorum*, *quae per illa ſignificantur*. *Idem ſentiendum eſt de Syris atque* Indis, *& quotquot alii ſcripturas ſimul habent cum fabulis*. D. Wilkins, Haſtings, Halhed, Holwell, Dow, Anquetil, qui praedictos Indicos libros *Vyàſae* ſeu *Vedavyàsae* Indico ſapienti adſcribunt, videant in *Examine hiſtorico-critico codicum Indicorum* pag. 32. 33. 34. 35. ea quae de *Budha* & *Vyàsa* fictitiis Indicarum rerum ſcriptoribus diximus. Acres & diligentes iudices ſint, ac diſcernant, an hi ſcriptores umquam exſtiterint, an homines ſint veri & phyſici: an vero Indi, ut Aegyptii deorum praecepta ſimulantes codices ſuos omnes fictitiis numinibus adſcribant. *Fouhi* ſuo Sinenſes, Indi *Budhae*, et *Vyàsae*, *Hermae* ſuo Aegyptii ſacerdotes ſuas leges, libros et inſtituta attribuunt. Vide in hoc opere epitheta Mercurii *p.* 60. *& ſeq.* item *p.* 31. 49. 13. 12. 5. 73. 74. Monumentis illis inſpectis atque argumentis illis expenſis, totam commentitiam et anicularum lucubratione vix dignam doctrinam ſuam orbi erudito tradere, atque libri Indici *Mahàbhàrada* inſcripti portentoſam antiquitatem iactare deſinent.

Auctor Alphabeti Tibetani ex vocabulo *Yudhishdira*, quod *inſignem bellatorem* ſonat, faceto plane more *p.* 259. in Alphab. Tibet., et *p.* 278. in actis S. M. Paneſniv *Iudae Hiſteram* protrudit, atque inde non ſolum librum *Yudhishdiravigea evangelii Iudae* bonam eſſe partem docet, ſed, pace doctiſſimi viri dixerim; fallitur certe, cum deum Indicum *Krshna* dictum, qui *Pandavis* apparuit, Valentinianorum et Manichaeorum *fabricatorem caeli & terrae*, *Chriſtum* denique ipſum nobis ſiſtit. Anquetil du Perron duce ſuo Perſa *Tedzkerat Aſſalatin* nobis ex hoc Epico Indico poemate catalogum regum Indicorum exhibet, quem a diluvio orditur, et uſque ad ipſa Chriſti tempora feliciter perducit. Vide *lib. cit.* tom. 1. pag. XXXII. *Antiquités de l' Inde*, Art. III. *Catalogue de Raiahs de l' Inde*, *depuis le temps voiſins du deluge*. Egregia intingula, exquiſita ſalſamenta! Sed ad ſuum ipſorum palatum, non ad aliorum condita et apparata. His ſalſamentis ſcriptores iſti aſſae perdricis odorem adiun-

Digitized by Google

iungunt, atque ſine carne et perdrice hiſce peregrinis lautitiis, fumantibus his intingulis ſaginantur.

Acriter ergo nunc ſed breviter diſpiciamus, quaenam eorum hae peregrinae lautitiae ſint, et quibus condimentis abundent. *Primo*, Mahabhárada *magna* Indica *hiſtoria*, ac proinde etiam *Pandavarum* hiſtoria, fabulae ſunt, et poemata Epica Indorum. Vide vocabularium Amaraſinha ſect. ശബ്ദാദിവൎഗ്ഗം *Shabdàdivargga*. Quocirco etiam P. Iohannes Erneſtus *Hanxleden*, et D. *Pimentel* Archiepiſcopus Cranganorenſis in ſuis dictionariis ſub voce *Mahàbharada* habent: Mahábhàrada, *certa hiſtoria*, nempe Indiae hiſtoria fabuloſa. *Mahá* magna, *bhàrada* hiſtoria. Ab hoc ultimo vocabulo dea Indica *Saraſvadi* ſcientiarum praeſes, Samſcrdamice vocatur ഭാരതി *Bhàradi*, id eſt dea *hiſtoriae praeſes*. Concinit D. Wilkins in libro *Aſiatick reſearches* tom. 1. pag. 129., ubi ſub nota 8. ait: *Korno* (karna), *a famos Hero in the third age of the World*, *he was General to Doorjodhon* (Duryòdhana), *Whoſe Wars With Ioodiſteer* (Yudhishdira) *are the ſubiect of the Mahabharat*, *the grand Epick Poem of the Hindoos*. Et P. Marchus a Tumba *in cod. mſſ. in fol.* in muſeo Borgiano exſtante pag. 197. inquit: *Mahàbart* (mahábhárada) *puran tratta dei cinque Pando*. *Il terzo figlio di Pando chiamato Bimsen* (Bhimaſéna) *fece moltiſſime guerre*, *che paiono tutte favoloſe*. Denique P. Ildephonſus a Praeſentatione in *codic. mſſ.* lib. 4., ſeu tractat. 4. *legis Indorum*, cap. 1. num. 145. de *Rámae* eiuſque fratris *Partha* (aliis Barth) Indicis bellis primae illius & remotiſſimae antiquitatis agens ait: *Haec fabula* (de Ráma, Lekshena, Pártha, & 5. fratribus Pandavis, de quibus agit lib. 6.) *eſt celeberrima in toto oriente*: *habentque eam depictam Principes & reges in pannis*, *telis*, *ac boloſericis pro ornandis parietibus &c.* Ipſe adeo rerum Indicarum imperitus Stephanus Fourmont, dum *fol.* 434. in catalogo bibl. regiae Pariſinae *num.* 260. codicem Indicum de 5. *Pandavis* agentem recenſet, ſcite tamen & litterate eum latino lemmate inſcribit: *Poema ex numero Sahettia inſcriptum Bharabl* (Bharada) *de quinque fratribus Pandaw*. Ergo etiam ex ſenten-

tia

Digitized by Google

tia Fourmontii hiſtoria 5. *Pandavarum* poema eſt heroicum, ac proinde hiſtoria fabuloſa. Allata iam ſupra vocabuli *Mahábhárada* etymologia, atque adductis ipſis libri verſibus, tot virorum non egebam auctoritatibus & ſententiis, verum quia cum hominibus Indicarum rerum ieiunis ac novitiis, ſed contumacibus, *rhinocerontis* naſum, quo impetunt, geſtantibus agendum eſt, ad imam uſque radicem deſcendendum erat, ac grammaticis hiſce tricis, ne dicam pene trivialibus Indicis verbis ſua vis & vera ſignificatio ſtatuenda erat. Nemo itaque nunc a ſenſu communi tam alienus, logicae tam expers, criterii tam parcus, hiſtoriae & mythologiae Indicae tam jejunus, verbis & imaginatione tam audax & profuſus erit, qui ex poemate, ex fabulis, ex fictionibus veram Indicorum regum Seriem cum *Anquetilio* admirabili illo circulatore concinnare adlaboret, aut illam quam is nobis ſiſtit, veram, ſinceram, & genuinam eſſe exiſtimet.

In illo catalogo D. Anquetil du Perron primum Indiae dominum univerſalis diluvii quaſi ſpectatorem collocat regem *Bhart*, ex quo ſaltat ad nonum, qui ex opinione ipſius eſt *Kourt*, atque ex hoc iterum poſt ſexdecim generationes lacunis plenas regnum transfert in *Deksharada* & *Pándu*, quae nomina ipſe in ſingulari inepte ſcribit *Dehtraſcher* & *Pandva*. Vide *tom.* 1. *pag.* XXXII. *in lib. cit.* പാൎത്ഥഃ Pártha, quod Anquetil corrupte ſcribit *Barth*, is ipſe eſt, cui *Bhagavan* ſeu Viſhnu in deum *Krshna* ſeu Apollinem incarnatus arma, poteſtatemque extradidiſſe fertur ad *Duryódhanam* alioſque centum fratres debellandos. Vide ſupra *ſtropham ſecundam*. Hunc *Pártha*, ſeu ut Indoſtani ſcribunt भर्त *Barth*, primum collocat *Tedzkerat Aſſalatin* & cum eo *Anquetil* in ſerie veterum Indiae regum, quia primus eſt, ſeu primum nomen eſt proprium, quod in poemate illo Indico occurrit. Poſito hoc ſtipite, D. Anquetil patrem a filio derivat more ſane abſurdo et ipſi proprio, nam *Pándu* regem ſtemmatis et proſapiae auctorem, *Pàndu* inquam, regis fictitii *Pàrtha* patrem, decimum ſextum regem poſt filium col-

Digitized by Google

collocat, cum duos illos fictitios reges *Dekshareda* ſeu Tredareda, et *Pàndu*, a quibus tota familia *Kauravarum* et *Pandavarum* deſcendit, a capite, et primos Indiae reges collocare debuiſſet. പാർത്ഥൻ *Pàrtha*, ait R. P. Hanxleden in ſuo dictionario, *filho de Pandu da may Prtu* : Pártha filius *Pandu* (Pando, et Anquetilio Pandva), ex matre *Prtu*. Párthiva *rex terrae*, pàrthivam *rex terreſtris*. Vide eumdem P. Hanxleden et Amaraſinha ſect. *kshetriavargga* ſub voce *Ràl*, *parthiva*, *nrbà*, *bhupa*, *mahikshida*, quae omnia ſynonima ſunt, atque *regem* ſignificant. *Pàrtha* itaque eſt rex, *Pàndu* regis filius, natus ex concubina പൃതു *Prtu*, quemadmodum fictitio huic *Pandu* regi ex concubina കുന്തി *Cundi* nati ſunt *Yudhishdira* ſeu *Dhérmagia* primus, *Arguna* ſecundus, et *Bhimaſena* tertius *Cundi* feminae filius, et ex *Mandiri* alia concubina *Nagala* et *Sahadéva*, alii duo *Pàndu* regis filii, adverſus quos quinque fratres *Pandavas* bellum geſſerat *Duryodhana* et *Karna* Kauravarum duces et regis *Dekshareda* vel *Tredareda* filii. Hic ipſe *Pàrtha* Indiae rex rerum omnium ſator et conſervator maximus fine virili ſemine naſcitur (1), ut Graecus Bacchus in monte *Meru*

(1) Alphab. Tibet. *pag.* 254. Ubi tamen non recte regis *Daſrath* filius eſſe dicitur, nam *Dekshareda* rex frater regis *Pándu* fuiſſe fingitur, atque ex familia huius, *Ràma* & *Krshna*, id eſt Bacchus & Apollo, *Pàrtha*, aliique genii carnem aſſumpſiſſe, hominibus apparuiſſe, mundum inſpexiſſe & gubernaſſe creduntur, id quod aſſerebant etiam Aegyptii. Vide Plutarchum *in Iſide*, & Diod. Sic. *lib.* 1. *pag.* 8. 9. *edit. Baſ.*, Bhagavada *librum Indicum* in grammat. Saſcrdam. *p.* 183. *Stropha* 6. & 7. Mater utriuſque dei, *Bacchi* nempe & *Apollinis* erat *Dévagui*, quae eadem ac *Prtu*, ſeu *Sterilis*, & *Ròhini rubra* ſeu *radians*, ſtella quarta, quam in ſuo curſu menſtruo luſtrat luna. Vide Sonnerat *tom.* 2. *lib.* 3. *pag.* 202. 203. P. Marcum a Tumba in *cod. mſſ.* in fol. *pag.* 127. 129. 142. 143. 146., ubi aſtris genii, viri, feminae, filii, regna & inſigna, ac denique geniorum ex uno loco in alium tranſmigratio, bella & iurgia ex doctrina Indorum affinguntur. *Pándu* ſignificat album *pándura* albedinem, *Ráma* formoſum, album, item fuſcum, *Krshna* nigrum *Dekshareda* auſtralem, *Pártha* regem, *Duryodhana* terribilem bellatorem; *Karna* per aures natum, *Yudhishdira* inſignem pugnatorem, *Dhermagia* Dhermae ſeu *Yámae* dei filium, *Bhimaſéna* terribilem ducem & bellatorem, *Arguna* album, *Argiuni* vaccam albam, ubi iam perſpicis, haec nomina appellativa aſtris affiсta fuiſſe, ac decurſu temporis in nomina deorum & geniorum propria tranſiviſſe. Confer librum *Yudhishdira vigeà* cap. 6. *Shloga* 50. & ſeq. item 92. 93.

Meru ex Iovis femore, ne matre quidem ad eius generationem aliquid conferente, cum പൃഥു *Prtu*, quae *Parthae* mater eſt ſictitia, *ſterilem*, *inutilem*, *non parientem* ſonet. Hic ipſe *Pàrtha* Ràmae Indici *Bacchi* frater eſt. Vide P. Marcum a Tumba in *cod. mſſ.* in fol. pag. 169. *Nacque Ram* (Ràma) *nella città d'Aggiodia* (Ayodhya) *ſulla riva del fiume Déva* (ſeu Gagra vel Sardju). *Tutti li Dei v' accorſero. Il ſole ſi rallegrò, e ſi fermò a contemplarlo per un meſe. Li ſuoi fratelli furono Barth* (Partha) *Laciuna* (Lekshena) *e Satrun* (Shatruhanda). Eadem tradit Indicus liber *Ràmayena* apud P. Marcum inter codices Indoſtanos muſei Borgiani infra recenſendus *cap.* 1. 2. 3. 4.

P. Ildephonſus in *cod. mſſ.* de *lege Indorum* lib. 4. cap. 1. num. 145. de incarnatione dei *Ràmae* ſeu Bacchi, *Krshnae* ſeu Apollinis, bellisque eorum agens ait: *Vishnu*, *ipſius ſerpens Ananda* (qui totum mundum tamquam in circulo recluſum continet), *simia eiuſdem* (Hanuman ſeu *Pan* deus), *& ciakram* (ſceptrum ſeu rota, qua Vishnu mundum gubernat) *transformarunt ſe in homines. Intravit deus Vishnu in uterum Cauſeliae* (aliis koſilla) *ex qua natus eſt ſub nomine Shriràmà*, *Ciakram intravit in uterum Caikeszi* (aliis *Kekai* ſoror deae *Shakti* ſeu naturae), *natuſque fuit ex illa ſub nomine Parden* (Pàrtha), *simia autem & ſerpens Ananda intrarunt in uterum Sonitrae*, *& nati ſunt duo filii Ciatruta* (Shatruhanda) *& Lekczen* (Lekshena). En itaque geneſim primi Indiae regis *Pàrtha*, quem Anquetil, et cum eo ſomniatores Perſae ad diluvium referunt, ac omnium regum apicem et caput conſtituunt. Quis ipse rex *Pàndu* regis *Pàrtha* pater? *Pàndu* rex *Titan* ſeu gigas aut genius eſt, ut eius filius *Pàrtha*, atque ille quingenta capita, et mille manus gerebat. *Brahma* deus ei multa privilegia conceſſerat, in aedibus ipſius dea ശ്രീ *Shrí* ſeu ലക്ഷ്മി *Lekshmi*, id eſt *Ceres*, ഭദ്രകാളി *Bhadrakàlì* id eſt *Diana* ſeu potius *Proſerpina*, Shiva ſeu *Bacchus* ſenior, ac denique deus *Gannabadì* ſeu *Ianus* habitabat. Primus regis *Pandu* filius ex *Cundi* concubina natus, eſt യുധിഷ്ഠിരൻ *Yudhishdira* ſeu inſignis

 bel-

bellator, qui etiam ധർമ്മപുത്രഃ *Dhermaputra*, id eſt natus *Yàmae*, mortis et inferorum dei filius eſſe perhibetur, quocirco idem ധർമ്മജഃ *Dhermagià* dicitur, quia vi orationis magicae et interceſſione dei *Dhérmaràgia* ſeu *Yàmae* non naturali modo, ſed per *aurem* ex femina *Cundi* regis *Pandu* concubina natus eſt. *Dhermagia*, ait P. Hanxleden, *filho mais velho de Pandu, aſſim chamado, por naſcer por invocaçao de Deus da morte*. Frater ejus ſecundus eſt *Bhima*, *Bhishma*, vel *Bhimaſéna*, quod *terribilem* ſonat. Quocirco iterum P. Hanxleden in ſuo dictionario ſub voce *Bhimaſéna*: *Bhimaſéna ſecundo filho de Pandu, filho do vento, celebrado no Parva, ſignifica terrivel guerreiro*, id eſt: *Bhimaſena* ſecundus filius regis *Pandu*, filius *venti*, celebris in poematibus, ſignificat *terribilem bellatorem*. Tertius eſt അർജ്ജുനഃ *Argiuna*, filius dei ഇന്ദ്രഃ *Indra*, ſeu ut Indi ſeptentrionales ſcribunt इन्द्र *Indra*, *Iovis* nempe *imbricitoris*, qui pariter inſignis bellator erat. Quartus regis *Pandu* filius *ex ſole* ope orationis magicae *mandra* dictae ex concubina *mandiri* natus, eſt *Nàgala* et quintus *Sahadéva*, quod iterum alii perverſe ſcribunt *Nagol* et *Shahdeo*. His quinque fratribus in anguſtias redactis apparuiſſe fingitur deus കൃഷ്ണഃ *Krshna* Indicus *Apollo*, ut olim Romanis bellantibus in caelo apparuit *Caſtor* et *Pollux*. Vide Cicer. *lib. 2. de nat. deor. pag.* 214. edit. Lugd. *Cum A. Poſtumius dictator cum Octavio Mamilio Tuſculano proelio dimicaret, in noſtra acie Caſtor & Pollux ex equis pugnare viſi ſunt: & recentiore memoria iidem Tyndaridae Perſen victum nuntiarunt*. Quare etiam Orpheus in hymno *Apollinis*:

Praeſul (1), *Caſmoeniſque ſagittifer, arcitenenſque*

Bru-

(1) *Apollo*, qui Orpheo eſt *praeſul*, Indis eſt, *beſſchaſta*, *vates*, *doctor*, *ſacerdos*, idem ille cum *Budha* ſeu *Mercurio* omnium poematum, legum, & librorum ſcriptor fictitius. Quocirco Apollinem *omnium poematum* auctorem *Véda vyáſa*, *vyása*, ſeu *Védabbyáſa legis ſcriptorem* Indi appellant. Vide *Examen hiſtorico criticum codicum Indicorum* pag. 32. 33. 34. 35. *Stropham* 7. 8. carminis ſupra allati, & *pag.* 73. 74. 31. 49. 13. in hoc opere. Hic idem Apollo pro *Pandavis* pugnavit, quare etiam Orpheo *ſagittifer*, *arcitenens*, *obſtes*, *vates*, *aciem pugnantium inſtruens* dicitur.

Digitized by Google

Brume pater, collimatorque, obſtite, gemelle,
Delie rex, qui illuſtrem aciem huc partiris & illac.
Auricome, integra praecepta atque oracula fatans.

Hos reges et bella Angli ad diluvium univerſale referunt, ex his Anquetil Indicam regum chronotaxim texit, has fabulas auctor Alphabeti Tibetani ad *Chriſtum*, ad *S. Ioannem* eius diſcipulum traducit. Vide hos auctores *locis ſupra citatis*. Ceterum, ex iis quae attulimus, iam planum et perſpicuum eſt, haec numina et bella ad gigantes, ad titanes, ad caeleſtes genios aſtrorum rectores, ad elementa et naturae phoenomena referenda eſſe, quae *Krsbna* Indicus *Apollo* invicem pugnantia paullo poſt diluvium univerſale compeſcuit, atque terris pacem, reges et regna reſtituit (1). Nec tamen ideo haec poemata Indica ad *diluvii tempus* referri poſſunt, quemadmodum nemo adhuc ſomniavit, Orphei hymnos *ad diluvii epocbam* transferre. Vani igitur et fictitii ſunt etiam primi illi Athenienſes reges *Pandiones* de quibus Apollodorus, ex eo Clemens Alex. et S. Hieronymus *oper. tom.* 8. Venet. 1769. *p.* 210. 218., aut certe ſi Graecus *Pandion* verus eſt, ad 1500. circiter annum ante Chriſt. natum collocandus eſt, (2) ut arbitratur S. Hieronymus non autem ad diluvii epocham, ad quam Anquetil refert *Pandiones* Indicos (3). Confer Natalis Comitis mythol. lib. IX. c.X. pag. 982. *de Pandione*, et Arrianum *biſt. Indicae edit. Amſtel. c.* 8. *p.* 564. Ptolemaeum *geogr. lib.* 7. *tab. x. p.* 118. de *Pandavis* Indicis, et Plinium *biſt. nat. lib.* 6. *c.* 20. & 23. Meminerit tamen lector, Graecos ſcriptores multa ſua graeca figmenta Indis affinxiſſe, ac Graeco more de Indis ſcripſiſſe (4). Ne ve-

(1) Vide librum *Bbagavada* in gram. Samſc. pag. 171. & ſeq. Item de *aetatibus divinis* pag. 175. 176.

(2) Vide quae de epocha regum *Pandionum* dicimus infra *in conſectariis ex libris Indicis*. Pauſaniam *Atticae lib.* 1. *pag.* 31. *edit. Lugd.*

(3) Primus verus Indiae rex, cuius Graeci hiſtorici meminere, videtur eſſe Diodori Sic. *Stabrobates*, quod vocabulum ex ſua etymologia Samſcrdamica more Indico ſcribendum eſſe cenſeo *Stabrâbati* cum littera *t* leni, atque ita exaratum, verum ac genuinum regem denotat. Hic rex *Semiramidi* & *Nino* Indiam invadentibus maximo exercitu ad *Indi* fluminis ripas occurriſſe perhibetur. Vide Diod. Sic. *lib.* 2. *cap.* 5. *pag.* 51. *edit. Baſ.* Confer *Ladvocat* ſub voce *Pandion*.

(4) *Oſiridem* Aegyptium, *Bacchum* & *Herculem* Graecum Diodorus Sic. Cteſias, Athenaeus, Arrianus Indis affinxerunt. Vide Diod. Sic. *lib.* 1. *pag.* 10. Arrianum, *biſt. Indicae cap.* 8. *pag.* 564. *edit.*

Digitized by Google

vero Graecae fabulae Indis affictae lectorem conturbent, atque Indicae hiſtoriae plus caliginis quam lucis affundant, acri animadverſione perpendat: *Indos* aeque ac *Aegyptios*, ut olim, ita hodiedum jactare: ſua oppida, urbeſque a diis conditas fuiſſe (1), flumina Indiae a nymphis et deabus obſideri, montes diis et geniis ſacros eſſe, in iiſque reſidere (2). Quocirco hodiedum in India fluvius *Krshna* ſeu Apollinis (3), *Krshnapura* urbs Apollinis in Malabaria juxta oppidum Calicoulon, *Ganneshapuri* Iani urbs, *Bhavanipuri* Iſidis ſeu deae *Bhavàni* urbs, *Ràmapura* ſeu Bacchi urbs, et *Ràmae* dei ſeu Bacchi junioris pons (4). Siquidem cum inter Indos a remotiſſimis temporibus uſque ad hanc diem poeſis obtineat, oppida ſua ut olim, hodiedum diis ſuis geniiſque conſecrant, eorumque tutelae addicunt. Haec oppida diruere nefas ducunt, unde etiam inter Romanos ante urbis obſidionem deos tutelares evocandi mos erat (5).

§. V.

edit. Amſt. Hos ſcriptores caſtigat Strabo *lib.* 15., qui inſuper addit ex Megaſthene: *Megaſthenes concordat dicens: antiquis Indorum hiſtoriis fidem non eſſe adhibendam.*

(1) Euſeb. praep. Evang. lib. 2. §. 3. pag. 89. *Ex omnibus terrarum partibus oppida in una Aegypto ab antiquis diis condita eſſe plurima, cuiuſmodi ſunt, Iovis, Solis, Mercurii, Apollinis, Panis, Lucinae, aliorumque plurium.* Et Diod. Sic. de Indis: *Multas praeterea urbes ab eo* (Hercule.) *conditas ſcribunt: maximam, clariſſimamque appellavit Pallibotram* (Pallipatur ad flumen *Yamuna* ſitum) *in qua ſumptuoſa aedificia regia, multos in eam induxit incolas.* Id quod demonſtrat aetate Diodori *Pallipatur* inſignem Indiae urbem fuiſſe. *Diod. Sic.* lib. 2. cap. 10. pag. 61. edit. Baſil.

(2) Aſiatick reſearches *tom.* 1. *p.* 248. P. Marcus a Tumba in *cod. mſſ.* in fol. *pag.* 137.

(3) *Carte des Indes & de la Chine* de M. De l'Iſle ſub grad. *lat.* 15. ubi fluvium *Krshna* corrupto vocabulo iuſcribit: *Riviere de Crytzna*. Vide mappam La-Crozii & D'Anvillii.

(4) Vide *Carte generale du cours du Gange & du Gagra dreſſée ſur les cartes particulieres du P. Tiefentaller, a Paris* 1784. ſub gradu lat. 27. *Bavanipor* id eſt *Bhavánipuri*, & ad grad. 27. ad littora Gangis ex adverso oſtii fluminis *Yamuna* oppidum *Ganeſipour*, id eſt *Gannesbapuri*, Iani urbs, ſub gradu 29. ad ripam Gangis *Tschandpor*, id eſt *Ciandrapuri* lunae urbs, quae nomina omnia P. *Tiefetaller* & poſt eum *Anquetil du Perron* lingua Perſicà corruperunt.

(5) Macrobius, *Saturn. lib* 3. *cap.* 9. de carmine quo evocari ſolebant dii tutelares. *Si deus, ſi dea eſt, cui populus, civitaſque Carthaginenſis eſt in tutela, teque maxime ille, qui urbis huius populique tutelam recepiſtis, precor, veneror que, veniamque a vobis peto, ut vos populum civitatemque Carthaginenſium deſeratis: loca, templa, ſacra, urbemque eorum relinquatis &c.*

Digitized by Google

§. V.

Codices Indoſtani.

NUMERO I.

Quamquam tota India vulgari nomine *Indoſtan* appelletur, attamen ſi etymologiam huius nominis ſpectes, *Indoſtan*, ſola borealis Indiae pars ad Indum amnem ſita hoc nomine inſigniri debet. സിന്ധു *Sindhu* apud grammaticos Indicos, & in vocabulario *Amaraſinba*; eſt ipſum nomen fluvii, quem nos *Indum* dicimus. Hoc vocabulum, ut alia infinita, iam a remotiſſimis temporibus corruptum fuit ab exteris gentibus commercii cauſſa in Indiam adventantibus. Iob. 28. v. 16. *Non conferetur tinctis Indiae coloribus*. Inde proceſſere corruptae dictiones *Sind*, *Sindi*, *Hendu*, *Hindoſtan*, *Hindu*, & Plinii *Sandus*. *Indus*, *Sandus* (Sindhu) *ab incolis appellatus in iugo Caucaſi montis effunditur*. Plin. *hiſt. nat. lib. 6. cap.* 20. സ്ഥാനഃ ſtána, & Malabarice ſtánam, *locus*, *dignitas*, *ſtatio*, *domicilium*. Unde promanat *dictio* സ്ഥാനികഃ ſtániga, *praefectus alicuius loci*, et സ്ഥാനീയഃ ſtániya, *aula*, *regia*, *baſilica*, *locus*, quo aliquis ſtat, aut in quo domicilium fixit. Itaque vocabulum *Indoſtán* corruptum, reſtitui, et ſcribi debet, സിന്ധുസ്ഥാനഃ *Sindhuſtána*, vel *Sindhuſtan*, locus, domicilium, ditio, habitatio ad Indum ſeu *Sindhu* amnem (1), qui ex Caucaſo Indico, id eſt ex montibus, qui ad boream Indiam a Tibeto ſeparant, effunditur. Montes iſti Indis in lingua Samſcrdamica vocantur ഹിമാലഃ *Himala*, id eſt, *nivei*, vel

(1) Ex vocabulo *Stána* vel *Stán* Samſcrdamico componuntur *Segeſtan*, *Sableſtan*, *Torcbiſtan*, *Choroſtan*, nomina provinciarum Indiae proximarum. Quare *Endeſton* India, *Kordeſton* Parthia, aliaque id generis nomina Perſica, quae veteri lingua Zendica Samſcrdamicae linguae dialecto ſcribuntur, corrupta ſunt, atque ad hanc primigeniam radicem reſtitui debent. Vide, *Grammaticam linguae Perſicae*, *auctore P. Ignatio a Jesu Carm. Diſc.* Romae typis S. Congr. de Prop. Fide anno 1661. eique annexum dictionarium Latino Perſicum *pag.* 175. 176.

vel *frigidi montes*, ഹിമഃ *hima* enim eſt *frigus*, *nix*, *ros*, *humiditas*, മലഃ *malá*, *mons*, ex quo conſurgit *Himalá*, nivei, frigidi montes. Hi ipſi montes Samſcrdamice generico nomine etiam vocantur പൎവ്വതഃ *parvada*, vel *parvadam*, quae dictio ſignificat *montem*. Vide A marafinha ſub voce *parvada* ſect. *bhuvargga*, èt dictionarium P. Hanxleden ac D. Pimenteli ſub voce *parvada*. Montes itaque illi praealti ad boream ſiti, a quibus India in planitiem effluit, atque a Bactriana et Tibeto ſeiungitur, per excellentiam *Parvada* ſeu *montes alti* dicti fuere, hodieque hoc generali nomine inſigniuntur. Haec tria vocabula Indica *Sindhu*, *Himalá*, *Parvada*, mirum et vix credibile, quantum a Graecis, Perſis, et Arabibus fuerint corrupta. *Himala* Graeci ſcribunt *Imeya*, *Imau*, *Emaon*, *Emodi*, *Emodus*, et vocabulum *Parvada* ipſi corruperunt in *Paropamiſus*, *Parapomiſus*, *Parbut*, *Parabud*, *Parubadam*, *Meru Parabud*, *Parbot*, *&c.* (1). *Taurus... circa Bactrianos Parapamiſo monti committitur, quem Macedones Alexandro militantes Caucaſum appellabant*. Arrianus *de exped. Alexandri M. lib. 5. cap. 5. pag.* 349. *edit. Amſt.* Et in hiſt. Indica, *c. 2. pag* 551. *Quibuſdam in locis Parapamiſus, aliis Emodus, aliis* Emaon *dicitur. Macedones Caucaſum eum vocarunt, diverſum ab eo, qui in Scythia eſt*. Confer Plinium, *lib. 6. cap.* 17., qui *Emodum* montem diſtinctis verbis *nivoſum* incolarum lingua dici perhibet, ſed *Paropamiſum* ac *Emodum* tamquam diverſos montes ac nomine proprio diſtinctos eſſe arbitratur. Haec Graecorum indicia ſecutus Bayerus *in hiſt. regni Graecorum* Bactriani geographiam & nomina intricat ac confundit. Vide *pag.* 2. 3. 4. 9. Hiſtoriae rcgni Bactriani. Primus ve-

(1) Vide Strahlenberg, *Deſcription hiſtorique de l'empire Ruſſien tom.* 2 *p.* 173 Veteres populi, qui extra hos montes, ſeu extra *Himala* (Imau) habitabant, *Maſſagetae*, & *Scythae* vocabantur. Illi vero qui intra hos montes verſabantur, *Indoſchytae* dicebantur. Hac ratione Ptolemaeus diviſerat *Scythiam* Aſiaticam in partem intra & extra *Imaum*, id eſt, intra & extra *Himala* vel *Parvada*. D. De l'Isle in sua mappa geographica anno 1781. Pariſiis incisa montes *Himalà* Graecis *Imau*, ſignat Indico vocabulo *Parvam* ſub gradu latit. borealis 35. Confer *Moſis Chorenenſis* geographiae *pag.* 365. edit. Londin. 1736. *Photii bibl.* edit. Rothom. p. 999. *de itinere Apollonii Tyanaei*.

Digitized by Google

vero qui aliquam lucem non ſolum geographiae, ſed & hiſtoriae Indicae affudit, ac tenebras Graecas aliquo modo diſpulit, fuit D' Anville, quem confer tom. 2. *Geographie ancienne abregée*, pag. 342. & ſeq. item pag. 298. 317. 320., & mappam eius Arabiae, Perſidis, Indiae anno 1751. inciſam, in qua fontes Indi fluvii collocat ad *grad lat. borealis* 35. Confer etiam mappas D. De l' Isle, Renelli, & P. Tiefentaller, *Cours du Gange*, apud Anquetil du Perron, *tom.* 2. in opere inſcripto: *Recherches hiſtoriques & geographiques ſur l' Inde*, a Berlin, 1786.

Igitur de codicibus Indoſtanis muſei Borgiani acturi, eos codices *Indoſtanos* appellamus, qui ex borealibus Indiae partibus in muſeum Borgianum fuerunt illati. Quamquam enim hi libri reliquis Indis doctrinam communem contineant, attamen quia lingua Samſcrdamica ſacra ob bellicas Arabum, Perſarum, & Tartarorum incurſiones plus detrimenti & corruptionis paſſa eſt in boreali, quam in India meridionali, quam nemo umquam totam ſuo imperio ſubiecit, libros etiam gentis ea ratione diſtinguimus, ut lector dignoſcat, ex qua Indiae parte hi codices fuerint allati.

ബാലപുരാണം *Bálapurána*, vel ബാലകപുരാണം *Bálagapurána*, *hiſtoria pueri*, nempe dei *Krshna* Apollinis Indici, codex chartaceus manuſcriptus in folio, numerat paginas 16. Auctor eſt P. Marcus a Tumba miſſionarius Cappuccinus, qui plurium annorum ſpatio in boreali India, id eſt in urbe *Patna*, in regno *Nepal*, & in *Bengala* verſatus eſt, ac hunc librum Ampliſſimo Cardinali Borgiae dono dedit. P. Marcus hunc codicem falſo inſcribit *Lalecpuran*, nam is ipſe fatetur librum hunc eſſe dei *Krshnae* hiſtoriam, *libro di Krshnu*, ait ipſe *pag.* 1. *ſub ſigno A linea* 1. Eſt ergo liber ſeu *hiſtoria pueri Krshnae*: nam *purána* in lingua Samſcrdamica ſonat *hiſtoriam antiquam* ſive veram, ſive fabuloſam, ſive etiam *poema Epicum*, cum gentilium libri omnes ſint verſibus ſcripti, & plerique fabuloſa heroum & geniorum bella canant. *Bála*, vel *Bálaga*, puerum aut iuvenem ſignificat, & hoc vocabulum P. Marcus corrupte ſcribit

La-

Digitized by Google

Lalecpuran, pro *Bálagapurána*, pueri, *iuvenis hiſtoria fabuloſa*. Vide *ſyſtema* *Brahmanicum*, pag. 310. 311. ubi de hoc libro iam diſſeruimus. Liber *Bálagapurána* pars eſt libri Indici *Mahábbárada*, qui octodecim poemata Epica continet, & horum unum eſt *Bálagapurána* inſcriptum. Vide *Examen hiſtorico-criticum codicum Indicorum* pag. 80. in notis, & pag. 10. ubi ex hoc libro ſacra cognomina deae B*havani* afferuntur. Confer *Aſiatick reſearches* tom. I. §. 18. pag. 340. & ſeq. *On the litterature of the Hindus*, & pag. 258. ubi Angli aiunt: *The Hindus* (Indi) *have a great number of regular dramas*, *&* *leaſt two thouſand years old*. Ex numero horum poematum eſt B*àlagapuràna* ſeu K*rshnapuràna*, cuius verſionem lingua Italica affert P. Marcus a Tumba, quam inſcribit: *Traduzione interlineale del libro* Krisnu (*ottava incarnazione*) *detto Lalecpurana*. Verſio haec textu Indico originali Samſcrdamico deſtituitur, & ex ipſa verſione ſatis elucet, a P. Marco hoc Indicum poema ex lingua gentilitia *Dévanagarica* ſeu urbis *Patna* dialecto in idioma Italicum verſum fuiſſe. Hoc poema, cum de deo K*rshna* Indico Apolline agat, intelligi nequit, niſi prius perſpicua notio de Apolline ex Orpheo, aliiſque ſcriptoribus priſcis habeatur. Orpheus Apollinem ita deſcribit *pag*. 131. inter hymnos Orphei *edit. Traiecti* cum Henrici Stephani & Ioſephi Scaligeri in hymnos notis.

Apollini ſuffimen, manna.

Februe te Iuturne precor, Tituicida, Luperee,
O Memphita, Verende, ſalutifer, altor hominum,
O fidicen, Conſive parens, Titane, Segeſte,
Soricvalte pater, Vaticane, excetricida,
Lucifer, agreſtis, rex muſtule, nobili pubes,
Praeſul, Caſmoeniſque ſagittifer, arcitenenſque
Brume pater, collimatorque, obſtite, gemelle,
Delie rex, qui illuſtrem aciem huc partiris & illuc.
Auricome, integra praecepta atque oracula fatans:
Pro populo orantem me caelitu' viſe parumper:
Nam ſurſum aſpicis immoderata haec aequora caeli,
Et ſuperas terras, & noctem ſubter opacam,
Nocte ſilente, ſub umbrae ſignitenentibus flammis.

Ra-

Digitized by Google

Radices ſtatuiſti infra: tibi extima mundi
Et tibi principium, tibi ſolvitur exitus omnis:
Omnivirens, fidibus tu caelica templa canoris
Permoderaris ad imae nunc confinia ſedis,
Nunc ad primam iterum nunc ad modulamina Dorii
Caelum omne varians, varias animantia ſecla,
Temperiis hominum moderans, aequalia fata,
Tantundem miſcens hiemiſque atque aeſtuis iiſdem,
Diſcernens primis hiemem, inferioribus aeſtus &c.

Macrobius *lib.* 1. *Saturn. cap.* 17. Apollinem ſolem eſſe ex Platone, Chryſippo, Cleanthe, Cornificio, Homero, aliiſque Graecis & Latinis docet. Eumdem Apollinem *medendi poteſtate praeditum*, *ſoſpitalem*, *Loemium*, *Icium* & *Paean*, id eſt, *ſalutarem* & *ferientem*, *Delium* ſeu omnia illuminantem, *a ſpecie & nitore Phoebum*, a ſui quotidiana renovatione *Phanetam*, *Lycium* ſeu radiis ſuis humores terrigenos exſiccantem, *rapientem ut lupum*, *Patroum* ſeu ut rerum omnium progenitorem, *Nomium* ſeu paſtorem, *Eleleum* ſeu aeterno meatu circa terram ſe revolventem, *Chryſocomam*, ſeu comis a fulgore radiantem, *Smyntheum* ſeu calore ferventem, *Carmeum* ſeu ſemper novum, *Thymbraeum* ſeu *deum imbricitorem*, *Pythium* ab occiſione Pythonis ſerpentis, *Phileſium* ſeu amabilem, *Didymaeum* ſeu geminam ſpeciem ſui numinis praeferentem illuminando et formando lunam, *Delphium* ſeu quae obſcura ſunt lucis ſuae claritudine oſtendentem deſcribit. *Multi antiquorum eſſe unum eumdemque deum Apollinem & Solem putaverunt.* Plutarchus *de oraculorum defectu pag.* 269. *Triplex ei poteſtas adſcripta fuit, ut nempe ſit ſol in caelo, liber pater in terris, Apollo apud inferos. Eiuſdem ſimulacro tria appingebantur, lyra, clypeus, & ſagittae. Eidem ut Baccho perpetua iuventus adſcribitur, propterea ſemper imberbis a poetis fingitur. Multa habet nomina a locis, in quibus potiſſimum colebatur, ſibi indita.* Caroli Stephani dictionarium hiſtoricum ac poeticum, *pag.* 69. *ſub voce Apollo.* His illuſtratis ad Indicum librum *Bálagapurána* dictum explicandum procedamus.

Per mezzo di queſta Bhaváni le genti delli tre mondi, cio è cielo, terra, e pádálam (limbo) *ſi riſcaldano.* Id eſt, per deam

S *Bha-*

B*havánî* naturam, cuius ſymbolum eſt luna, vel per lunam ipſam gentes, creaturae caeli, terrae, et limbi, calore, virtute, influxu calefiunt, germinant, vivunt. Vide *Syſtema Brahmanicum* pag. 312., ubi hunc verſum iam illuſtravimus. Sequitur ſtatim in libro B*álagapurána*.

La bellezza di queſta Bhavánî (naturae et lunae) *eccede a tutti quelli, che invocano Vishnu, auranno il paradiſo. Vaſudéva, tutti gl' abitanti del cielo di* Brahma *vennero a fargli il ſacrifico.* B*ramah recitò li quattro Véda. Il miſericordioſo, l' incomprehenſibile dal principio ſino alla fine non hà pari. Come un utro, pieno di vento ſono quelli che non hanno la divozione di Vishnu. Io* (ait Vishnu) *ſono il datore di latte a figli. Io ſono il Signore del Calyuga* (quarta mundi aetas). (1) *Io ſono il creadore e rimuneradore de religioſi. Io ſono il creadore, e non ve ne ſono altri,* (hoc dicebat Vishnu in Krshna incarnatus, ſtatim ac natus fuerat). *Krshna aprì la bocca e comparvero dentro infiniti mondi, ed infinite ſtelle.* Deinde os clauſit, et diſparuerunt ſtellae. *Il che vedendo Devagui* (mater dei Krshna) *ſi miſe a piangere. Eh* (dicebat Dévagui) B*rahma-m' à dati figli, e poi me li à tolti. All' ora Krshna diſſe a ſuoi genitori* (Vaſudevae et Dévagui): *In premio della voſtra divozione, v' o fatto vedere queſta figura: Di queſta figura non è ſtato degno* Brahma. *Quando Dévagui compreſe quella figura, l' adorò colle mani giunte, ed eſclamò: O Dio, Dio delli Dei! Vaſudéva ha conoſciuto l' incomprehenſibile. Il Gigante Kamſa ſentendo ciò e temendo di ſua fortuna andò per uccidere Dévagui. All' ora Dévagui lo pregò di laſciargli la vita. Il fanciullo eſſendo inerme, di cui nulla v' era a temere. Ma l' empio Kamſa non acconſentì, gli ſtrappò dalle mani una figlia e volendola sbat-*

(1) *Primos omnium Chaldaeos, & Indorum Magos memoriae prodidiſſe novi, eſſe hominum animos immortales. Aſſenſi deinde ſunt eis tum alii Graecorum, tum Ariſtonis filius Plato.* Pauſanias *lib.* 4. *pag.* 512. *edit. Lugd.* Quemadmodum deus *Shiva* (ignis) *Shivanitis* philoſophis Indicis *ignem* primum principium colentibus deus *vindex* & *remunerator* eſt, ita deus *Vishnu* (aqua, ſeu aquae genius-rector) *Vishnuvitis* Indicis *aquam* primum mundi principium ſtatuentibus *vindex* & *remunerator* eſt. Vide Syſtema Brahmanicum *pag.* 218. 219. Liber *Bálagapurána* ſecundum ſyſtema *Vishnuvitarum* ſcriptus eſt, & illi ſectae proprius. Ex ſyſtemate Shivanitarum mundus per *ignem*, ex opinione Vishnuvitarum mundus per *aquam* finietur, deſtruetur, conſummabitur.

Digitized by Google

sbattere ſu d' una pietra, gli ſcappò dalle mani, e ſi ſalvò, e divenuta poi grande minacciò l' iſteſſo Kamſa: Et infra: *Allora Putna ſorella di Kamſa miſe il veleno nella propria zinna per avvelenare Krshna, e ridendo preſe il fanciullo* (Krshna), *lo avvicinò alla zinna* (Et dixit): *prendi la zinna o Gosvámi* (Domine vaccarum). *Krshna ſapeva l' inganno, e perciò ridendo preſe la zinna, e con il latte gli ſucchiò ed il veleno, e l' anima. All' ora Putna diede un grido, ... rivolti gl' occhi, cadde in terra. Il ſuo corpo occupava un Giogena* (ſunt quatuor milliaria) *e mezzo. Vedendo quella gran Giganteſſa, tutti temevano*. Et infra: *I nomi di Krsna ſono infiniti, chi può ſaperli tutti? Krhsna incominciò a caminare. Andava per le caſe e rubbava, e mangiava il butirro, che trovava ſopra il latte ſtretto... le paſtorelle piangevano continuamente* (ob vexationes dei Krshna) *è piangendo ſi adiravano. Ricorſero alla madre di Krshna, dicendo: le donne non poſſono andare a lavarſi nel fiume Giamuna, Krshna le piglia per le zinne*. Et infra: *Krshna pigliò un vaſo di latte, che ſtava attaccato in un piro, e fatti abbaſſare li ragazzi, eſſo ſalì ſopra di loro, e verſando il latte dal brochetto colla bocca ſotto beveva*. Infra: *Krshna* verno tempore oberrat nemora, inſtrumento muſico *Benu* dicto modulatur carmina, luſtrat ſe cum paſtoritiis mulieribus *Gobaſtri* dictis in fluvio *Yamuna*, ſacrificat una cum ipſis deae *Bhaváni* ſeu naturae, hae mulieres *Krshna* deum in maritum poſcunt, hic veſtes earum ſurripit, aliquae ex iis Krshnae deo flabro ventum excitant, eiuſque calorem temperant, aliae ſerta nectentes eius capiti et collo flores imponunt, hic, ut ſol inter nebulas, inter mulieres has radiat, cum eis iocatur, eas replet. Corpus eius formoſum eſt, nigrum, fulgidum ut luna: *In tempo di primavera l' anima ſi conſola in vedere nuove foglie, nuovi fiori, e le donne di nuove. Vishnu à creato il mondo per cauſa del nuovo amore. Eſſe donne ſcherzavano, e burlarono con Krshna, Krshna con una donna ſtava in mezzo alle altre come in tempo delle pioggie ſtà il folgore fra le nuvole.... a cauſa di una donna Krshna fece gran guerra con Giamvan* (Yáma) *che era incarnazione di Brahma, Mahádéva, e l' eccellentiſſimo Bhagaván, mà Krshna non fu arreſtato da Giamávan*, (Yáma), *all' ora il*

Maghi penſarono all' accordo fattogli da Krshna, d' offrire loro il ſacrificio, in caſo non foſſero ritornati in 10. *giorni. Li Maghi dunque fecero queſto ſacrificio,* (1) *e fu di profitto a Krshna,* (mentre) *allora Krshna vinſe la lotta. La guerra durò* 18. *giorni, alla fine vinſe Krshna, e perdè Giamvan... Le paſtorelle geloſe dicevano, Krshna à trovato delle belle cittadine, non ſiamo povere paſtorelle: egli s' è ſpoſato con* 16000. *donne, ed otto regine. Eſſe cercarono per mezzo per ottenere Krshna con loro, Krshna reſtò con eſſe due meſi. Nel boſco di Vindyavana... ſtavano a prenderſi piacere, fra tali piaceri ardeva il corpo di quelle donne, ma Krshna ſmorzò a tutti il fuoco, Le donne del cielo vennero ivi, eſſe ſi trovarono incalorite. L' acqua del fiume* (Yamuna) *ſi avvicinò a Krshna, e l' acqua fece adorazione a Krshna, e lo ſupplicò di laſciarla correre.* Ultimo P. Marcus ſubiungit: *Quando Vishnu nell' incarnazione di Vamana ammazzò ingiuſtamente* Bali, *Angad figlio di* Bali, *per vendicare la morte di ſuo padre pigliò un' incarnazione di peſcatore, ed ammazzò* Krshna *tirandogli una frezza in un dito di piede dalla di cui ferita morì.*

Krsna deum butyrum una manu geſtantem exhibet *ſacellum Indicum primum* muſei Borgiani infra deſcribendum. Vide in ſacello primo in penetrali ſacro a ſiniſtris dei Vishnu ſimulacrum dei Krshna. In eodem, *valva dextera interior prima fig.* 2. Krshna deus facie caerulea exhibetur inter duas mulieres ſeminudas, quas utraque manu amplexatur, ut Graecus Apollo Daphnem. In eodem, *valva ſiniſtra fig.* 2. Idem Krshna tangit manibus ſuis pectus mulieris ſibi aſſidentis. In eodem, *valva chartacea plicatili ſiniſtra ordine tertio fig.* 3. Krshna canit fiſtula, eique ludenti

(1) Ex his *Magorum* ſacrificiis, ex lucta hac *Krshnae* ſeu Apollinis cum mortis & inferorum deo *Yama*, cuius cuſtodiae una ex octo mundi partibus ab Indis adſcribitur, non ſolum arguendum eſt: *Krshna* Indicum deum Apollinem *Solem* in eclipſi conſtitutum, aut apud inferos ſeu in *inferiori bemiſpberio* dimicantem repraeſentari; ſed etiam poema hoc *Balaga purana* inſcriptum, remotiſſimo antiquitatis tempore a *Magis Indicis* compoſitum fuiſſe. Vide de his *Magis Indicis* Pauſaniam *lib.* 4. *pag.* 512. *edit Lugd.* & Diog. Laert. *in prooem. num.* VI. *pag.* 7. edit Lipſ. *Magos deorum vacare cultui, ſacrificiiſque ac precibus, quaſi ſoli ab iis exaudiantur; praeterea de deorum ſubſtantia & ortu ſententias proferre, quos ignem, terram & aquam eſſe arbitrentur... ſibi deos apparere aſſerentes &c.* Vide ſupra in hoc opere *pag.* 41. 42. 43. 44. 45. *de Magis Indicis.*

Digitized by Google

denti adſtat vacca rubra. In eiuſdem valvae facie externa quae eſt lignea, deus Krshna calcat & proſtratum tenet ſerpentem *Calenga* ſeu Pythonem. *Secunda figura* exhibet eumdem inter ſex vaccas ſtantem, quae vaccae elevatis capitibus deum reſpiciunt, eique obſequuntur. Ad *latus dextrum* albo colore appictus cernitur fluvius *Yamuna*. Krshna una manu tenet arcum, cui apponere videtur ſagittam pedibus arcum tendentibus. Ibidem Krshna domat elephantem. *Tertia figura* eum repraeſentat arbori inſidentem, atque veſtes mulierum abs ſe ſurreptas in alto tenentem, neque niſi elevatis manibus adoratione ſibi facta, eas reſtituentem. Hae mulieres nudae ſunt, ut ſeminudae pinguntur novem muſae ſub arbore cum Apolline ſaltantes. Ibidem ſecundo ordine *fig.* 1. Krshna lac furatur, atque per mulieres vapulat. Denique tertio ordine idem deus ſerpentem cucullatum manu gerens, virum, feminamque unam inſequens ac perterrefaciens exhibetur. Valva a penetrali ultima primo ordine *fig.* 1. eumdem deum puerum repraeſentat ſub arbore repentem, *fig.* 2. mamillas *Putnae* feminae gigantis comprehendentem atque venenum ſimul & animam illius exſugentem. Adſtat ſuppoſititia Krshnae dei mater *Giagioda*, quae puerum deum perſecutioni & irae *Kamſa* gigantis ereptum lacte ſuo alit & educat. Haec igitur eſt hiſtoria dei *Krshna*, quae ex codicibus & monumentis ſinceris muſei Borgiani eruitur.

Huius dei primum ſacrum & maximum cognomen eſt കൃഷ്ണഃ Krshna, *niger*. Niger autem color ex opinione Indorum pulcherrimus & perfectiſſimus eſt. Quare dum aliquem formoſum eſſe, dicere volunt, eum nigrum eſſe oſtendunt atque Krshnae deo ſeu Apollini comparant. Unde illud adagium: Purusheshu Krshna, *inter viros omnium formoſiſſimus Krshna*. Taceo heic alias mythicas rationes, quibus inducti Indici mythographi hunc deum & *iuvenem* & *nigrum* exhibent. Tibullus, Ovidius, aliique graeci & latini Graecum Apollinem ſemper iuvenem & formoſum deſcribunt. Vide ſupra *Caroli Stephani* dictionarium hiſtorico poeticum.

Hic

Digitized by Google

Hic idem deus eſt ഗൊവിന്ദഃ *gòvìna*, & ഗൊപാലഃ *gòpála*, id eſt, *paſtor*, *vaccas paſcens*, Apollo *Nomius*. Ut talis invocatur in principio libri Sambhava: *Govìna*, *mahádëva*, *Krshna*, *Muguna namò namá*. Vide grammaticam Samſcrdamicam *p.56*. Ita poetae graeci Apollinem ubique invocant. Hic Krshna ſeu Apollo Nomius, *primo* ut paſtor, inter vaccas ſtans exhibetur. *Secundo*, fiſtula canit. Ubi vides pro graeca lyra fiſtulam paſtoritium muſicum inſtrumentum ei ab Indis affictum fuiſſe. (1)

Tertio, hic idem *Krshna* cum paſtoritiis mulieribus in ſilvis verſatur, & iocatur. Ad ſuavem ſonum eius fiſtulae mulieres ſaltant, tripudiant, domicilia ſua relinquunt, Krshnam deum ſequuntur, nudae vagantur, ſub arboribus, in nemore, ad flumina & ſtagna cum deo Krshna choreas ducunt, hilares ubique ludunt, ut graecae muſae, quae cum Apolline ſub arboribus tripudiant. Vide *cod. mſſ.* P. Ildephonſi *num.* XXXI. inter cod. S. C. de Prop. Fide *cap.*4. de deo Krshna: *Omnes illae mulieres veniebant ad locum ubi ipſe ſtabat*, *immo relictis lectis ſuis abierunt ad locum muſicae*, *ſaltabantque coram Krshna*. Octo reginas, id eſt, praecipuas mulieres amaſſe & coluiſſe deum Krshnam ait ſupra R.P. Marcus, quemadmodum enim docti Indi Krshnae deo *novem vaccas* adſcribunt, ob quam cauſſam eum നവഗൊവരഃ *navagòvara*, *novem vaccarum paſtorem* vocant, ita etiam novem praecipuas formoſas puellas, quas amore deperibat, eidem attribuunt. Ubi vides, novem graecas muſas eidem manifeſte affingi. Apollini graeco laurus, qua Romani tempora cingebant, fuit ſacra, deo Krshnae arbor Indica *Santali* eſt dicata, in cuius truncum corpus eius fuit converſum, ex qua cauſſa cineribus *Santali* combuſti, aut contuſi, Indi ſacrum ſignum *Kuri* dictum in fronte deſcribunt. Vide icones Krshnae dei

(1) Krshnae dei ſimulacrum quod heic ex primo Indico ſacello muſei Borgiani Velitris exhibemus, *krshna* deum paſtorum more uno pede ſtantem, altero paulliſper elevato ac tranſverſo priorique incubante, fiſtula ori appoſita ſonos modulantem repraeſentat. Ex utraque fiſtulae parte extrema lemniſci ex pavonum pennis conflati pendent. In capite mitram ex iiſdem pennis confectam gerit. Manus ſunt flavae, totum reliquum corpus coloris caerulaei. Retro ſtat vacca coloris fuſco rubei.

Digitized by Google

dei ſupra in primo ſacello Borgiano exſtantes, & iam ſupra deſcriptas, quibus inſpectis, ſane pene impoſſibile eſt in Krshna deo Apollinem non dignoſcere, dummodo veſtes & ornamenta, quae Indica ſunt, a tabula Apollinis Graeci ſecernas. Krshnae Indici dei theodotiam Indicorum *Magorum* commentum eſſe, Indicus textus ipſe ſatis indicat. *All' ora li Maghi penſarono all' accordo fattogli da Krshna &c.* Ceterum, ut *laurus* ob medendi proprietatem Apollini Soſpitali ſacra fuit, quod ipſe medicae artis primus inſtitutor & ſalutifer eſſe crederetur, ita arbor *Cianana*, hoc eſt, arbor *Santali* deo Krshnae ſacra eſt, quia pulvis ligni Santalini aqua dilutus & fronti illitus dolores capitis ſedat, febres pellit, corpus temperat. Prima eſt haec Indorum exterior medicina. Confer de virtute ligni Santalini lib. inſcriptum, *Chirurgie complete ſuivant le ſyſtême des Modernes* tom. 2. à Paris 1744. *pag.* 504., & de lauro *pag.* 477. 478.

In hunc igitur arboris *Santali* truncum dei Krshnae corpus converſum fuit, quod in fluvium *Tamuna* iniectum, ſecundo flumine per oſtium *Gangeticum* in urbem *Iagarnat* devectum, ibi ſub forma trunci hodiedum colitur. Hanc Indicam fabulam Aegyptii ſacerdotes ab Indicis *Magis* acceptam Oſiridis cadaveri arcae incluſo atque per *Taniticum oſtium ad Nilum* delato affinxerunt. (1) Vide Plutarchum de Iſide *p.* 349. 350. *edit. Pariſ.* Vide pariter Sonnerat *tom.* I. *pag.* 301., ubi hanc Indicam fabulam Krshnae dei cum Mercurii Budhae fabula confundit, & corpus Krshnae in lapidem converſum fuiſſe narrat, cum tamen corpus *Budhae* fuerit in lapidem, id eſt, in *terminum* converſum. Rectius eam refert P. Marcus a Tumba *in cod. mſſ.* de Indiae ſanctuariis. *Il di lui* (Krshnae) *corpo fu portato dal mare* (per oſtia Gangis) *ſulla ſpiaggia di Giangranat*, *convertito in un legno di Sandalo*, *come diſſi ſopra nell' primo luogo ſanto*. Confer cod. mſſ. P. Ildephonſi *cap.* 7. *de Krshna* num. XXXI. inter cod. *bibl. S. Cong. de Prop. Fide*. Ezourvedam *tom.* 2. *p.* 150. 151. *Il vit ſur la mer le tronc d' arbre tant deſiré*. Et in notis : *Le*

(1) Confer infra *de Magis* Indicis, & Perſicis ex *libris Indicis conſectaria*, in quibus ſub *Cyro* & *Cambyſe* Indicae doctrinae in alias orbis partes tranſmigratio non levibus argumentis ſtabilitur.

Digitized by Google

Le P. Tachard a auſſi parlé d'une poutre de bois rouge, jetté par là mer ſur le rivage &c. Lett. Edif. tom. XII. pag. 429. *Poutre de bois rouge*, nempe Santali rubri truncus, in quem Krshna templi Iagarnat converſus fuit, & qui diſtinctus eſt a lapide, ex quo *Budha* eiuſdem templi ſimulacrum conſtat.

Hic idem Krshna *altor hominum*, *ſoſpitalis*, *ſalutifer*, ac morborum *medicus* eſt. Unde dum mulieribus in mamillis lac deficit eum ita orant: ഓംക്ഷീരഃഗൊപാലായസ്വാഹാഃ Om, kshirá Gopàláya Svaha. *Fiat! lac producatur, o paſtor!* nempe o tu deus krshna, qui paſtor *gopála* es. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 10. Infinitae ſunt tales preces in medicis libris Indicis exſtantes.

Hic idem Krshna Indis in vocabulario Brahmanico *ſect.* 1. eſt കെശവഃ *Keshava* ſeu *Crinitus*, idemque qui Graecis *Chryſocomas*. Vide Orpheum & Macrobium *ſupra*. Idem *Smyntheus*, id eſt, *a calore fervens*; unde mulieres paſtoritiae ad eius latus ſtantes eum flabello temperant, ac ventum excitant. Idem *raptor*, ob quam cauſſam lac & butyrum ſurripiens exhibetur. Vide eius icones in ſacello. Eſt ergo etiam Apollo *Lycius*, id quod ait Macrobius.

Apollo Graecus Admeti regis armenta pavit iuxta *Amphriſum* amnem, krshna deus vaccas paſcit iuxta Indicum fluvium *Yamuna* (1), in quo ipſe & paſtoritiae eius mulieres ſeſe luſtrant. Apollo Graecus *Nomius* naſcitur & verſatur in montibus *Arcadiae*, Krshna natus eſt in urbe *Madura* ad montem *Vindium* (2) ſita, ubi nemora ſequitur, ac ſolitudines *Vindii* montis ober-

(1) *Yamuna*, Indis ſtygis flumen, inter gradum 26. & 25. *lat. bor.* juxta urbem *Elabbad* in Gangem influit. Vide *Carte générale du cours du Gange & du Gagra du P. Tiefentaller*, à Paris 1784. Hic amnis *Yamuna* Ptolemaeo eſt *Diamuna*, Plinio *Iomanes*. *Amnis Iomanes* (Yamuna) *in Gangem per Palliботros* (Pallipatur) *decurrit inter oppida Methora* (Madura) *& Cyriſoborca*. Plinius *hiſt. nat. l.* 6. *c.* 19. Confer D'Anville. *géographie ancienne*, *t.* 2. *p.* 347. *& ſeq.*

(2) *Iuxta Vindium montem Modura* (Madura) *quae* ϑεῶν, *id eſt deorum dicitur* Ptolemaeus *geogr. l.* 7. tab. X. p. 94. *Madura ſulla riva del fiume Giamuna* (Yamuna) *tra la città di Agra, e quella di Dely, è la città in dove nacque Krshna iucarnato nell'ottava incarnazione*. P. Marcus a Tumba *in cod. mſſ.* muſei Borgiani *de Indiae ſanctuariis*. Confer ſtropham X. & XI. libri *Bhagavadam* in grammatica Samſcrdamica *pag.* 184. 185. Syſtema Brahmanicum *pag.* 151. Ezourvedam *tom.* 2. *pag.* 25. 26.

Digitized by Google

oberrat (1). Apollo Nomius Admeti regis armenta paſcit, Krshna paſcit vaccas regis ſeu paſtorum principis ആനന്ദഗോപഃ *Anandagòba*, de quo recte *Sonnerat* tom. 1. pag. 297. *Nandagoben* (Anandagoba) *chef des paſteurs du village de Gocoulam*, quod oppidum idem eſt ac Madura, *Gocula* a vaccis Krshnae dei dictum. കുലഃ cula *grex*, ഗോഃ go *vacca*, unde fit oppidum *vaccarum gregis*, quem krshna pavit. Quare idem Sonnerat *tom.* 1. *pag.* 296. de krshna diſſerens ait: *La neuvieme incarnation de Viſchnou fut en* Berger *noir. Il naquit de Devagui ſoeur du Canjen* (kamſa) *Roi de Maduré*. Et pag. 299. ait: *Les ſons harmonieux de ſa flute attiroient les animaux*. Hac in re concordem habet P. Ildephonſum a Praeſent. in *cod. mſſ.* bibliot. Sac. Congr. *cap.* 4., P. Marcum a Tumba, & auctorem ſpurii libri *Ezourvedam* inſcripti, *tom.* 2. *lib.* 14. *cap.* 2. *pag.* 15. *& ſeq.* Vide *cod. mſſ.* in fol. P. Marci a Tumba, et Pivatium *tom.* 8. *pag.* 125. ubi ex Budeo, Roger, & Bernier eadem refert.

Apollo Graecus ab occiſione ſerpentis *Pythius* fuit vocatus. Vide Macrobium *ſupra*. Krshna ſerpentem *Calenga* ex flumine *Yamuna*, ex humido erumpentem ſagittis, hoc eſt, *radiis ſuis* occidit, quia ſol radiis ſuis humores terrae noxios elevat & occidit. Quare iterum rectiſſime *Sonnerat* tom. 1. pag. 303. edit. Pariſ. *Quichena* (Krshna) *paroit le même qu' Apollon gardant le troupeaux d' Admete, & terraſſant le ſerpent Python. Les Indiens célebrent pluſieurs fêtes en mémoire du triomphe de Quichena* (Krshna)

(1) *Nel boſco di Vindyavana ſtavano a prenderſi piacere*, Bálagapurana *ſupra*. Vindya vel Vindja *mons Vindius*, vana, *nemus*, *eremus*, *ſolitudo*, *ſylva*. Vindjavana, *Vindii montis nemora*, *ſolitudo*, *ſylvae*. *Ce lieu de délices eſt habité par des bergers, & des bergeres. Le principal de tous les bergers eſt Noudo, qui fut pere nourricier de Chrixnou. Au nord de cet endroit, eſt la ville Moduza*. Ezourvedam *tom.* 2. *lib* 4. *cap.* 2. *pag.* 16. Ubi jam aperte perſpicis *Vindios* montes Indis eoſdem eſſe, qui Graecis ſunt montes *Arcadiae*. Chrixnou, Noudo, Moduza, Concho, Brindabonu vocabula ſunt ex imperitia linguae Indicae a ſcriptoribus Europaeis corrupta, atque reſtituta ſcribi debent, *Krshna*, *Ananda*, ſeu *Ananda Váſudeva*, *Madura*, *Kamſa*, *Vindjavana*. Veendya *chain of muntains, Which commences at Chunar*. Wilkins in libro *Aſiatick reſearches* tom. 1. pag. 279. *in notis* ad veterem inſcriptionem Samſcrdamicam in cavernis urbis Indicae *Gya* repertam.

Digitized by Google

ſur le ſerpent Calenga, qu' on peut comparer aux jeux Pythiens, qu' Apollon inſtitua chez les Grecs. On trouve le même rapport entre Canjen (Kamſa) *& Saturne*. Vide Barthelemy, *Diſſertation ſur une ancienne inſcription Grecque, rélative aux finances des Athéniens*, à Paris 1792. pag. 103., ubi oſtendit, feſtum Apollinis anno ante Chriſtum natum 409. die Ianuarii VII. & XIII. a Graecis celebratum fuiſſe. Indi Malabarenſes ludos Apollinares vel Pythicos celebrant menſe Decembri. De Apolline confer Plutarchum *de oraculorum defectu* pag. 269. *edit. Pariſ. in* 8. Item, *Quaeſtiones Graecas* num. XXII. *pag.* 254. Natalis Comitis, *Mythol. lib.* IV. *cap. x. pag.* 340. *& ſeq.* Apollinis varia ſimulacra vide apud Cartari, *Imagini dei Dei*, pag. 41. & ſeq. *Apolline*, *Febo*, *il Sole*.

Apollo Graecus patrem habuit *Iovem*. Indici dei Krshna pater eſt അനന്തവാസുദെവ *Ananda Vàſudèva*. Vide vocabularium *Amaraſinha* ſect. 1. ſub voce *Vishnu & Krshna*. അന്ത anda, *finis*, *res finita*, *circumſcripta*. അനന്ത ananda, *res infinita*, *non circumſcripta*. വാസു *Vàſu* Samſcrdamice, & വായു *vàyu* Malabarice, *ventus ſubtilis*, *aether*, ദെവ dèva *deus*. Igitur dictionibus his coniunctis exſurgit nomen patris Krshnae *Ananda Vàſudèva*, *infiniti aetheris deus*. (1) Vide nunc quid Cicero *lib. 2. de nat. deor. pag.* 223. *edit. Lugd.* de Iove dicat.

Hunc

(1) Nomen *Ananda Vàſudèva* alii corrupte ſcribunt, *Nanda*, *Noudo*, *Bochudebo*, *Baſſudeven*, *Viſſodben*, P. Marcus, *Anand Baſſudeo*, P. Ildephonſus *Nanagovaren*, Sonnerat, *Nandagoben*. Vide hos ſcriptores *locis ſupra citatis*. Iovem *Arcadium* paſtorem fuiſſe fabulantur Indi. Inde hic ipſe Iupiter, *Ananda Vàſudèva* infiniti aetheris deus, apud ipſos in lingua Samſcrdamica *Ananda govara*, *Anandagòba*, id eſt *infinitus paſtor*, *infinitus altor* dicitur, quia aether vel aer ſubtilis omnia circumdat, vivificat, colluſtrat, & alit. Itaque grecae fabulae caſtigandae ſunt, quae alium Iovem *Arcadium*, alium tonantem ſeu *Olympium*, alium *Caelo*, alium ex *Saturno*, alium ex aethere natum, alium Cretenſem fuiſſe narrant. Vide Ciceron *lib. 3. de nat. deor.* Haec palam demonſtrant Ciceronis tempore mythologiam Graecam iam corruptam fuiſſe, atque ex Aſia in Graeciam remotiſſimis temporibus allatam fuiſſe. *Mercurius*, *Apollo*, *Iupiter* apud Indos fuere paſtores; id vero apud Indos & remotiſſimam mythologiae aetatem, & miram eius populi *naturam* ſcrutantis ſimplicitatem aperte demonſtrat.

Digitized by Google

Hunc igitur (Iovem) *Ennius*, *ut ſupra dixi*, *nuncupat ita dicens*: Adſpice hoc ſublime candens, quem invocant omnes Iovem. *Planiuſque alio loco idem*, cui, quod in me eſt, exſecrabor hoc, quod lucet, quidquid eſt. *Hunc etiam augures noſtri cum dicunt*, Iove fulgente, tonante: *dicunt enim*, Caelo fulgente tonante. *Euripides autem*, *ut multa praeclare*, *ſic hoc breviter*,

Vides ſublime fuſum, *immoderatum aethera*,
Qui tenero terram circumjectu amplectitur:
Hunc ſummum habeto Divum: *hunc perhibeto Iovem*.

Et Plutarchus lib. de Homero *p.* 41. *edit. Paris in* 8. *Iuno intelligitur eſſe aer*, *quae eſt humida ſubſtantia*, *Iupiter autem aether*, *quae eſt ſubſtantia ignea & calida*. Horatius 1. Carm. *Manet ſub Iove frigido*. Itaque litteratiſſimi priſcae aetatis viri aethera fulgidum, infinitum, non circumſcriptum, *Iovem* eſſe docuerunt. Atqui hic ipſe Iupiter, *Ananda Vàſudèva*, infiniti aetheris deus, eſt pater Indici dei Krshna. Idem ergo qui Apollinis Graeci.

Samſcrdamica dictio കാമഃ *Kàma*, & Malabarice *Kàmam* ſonat *deſiderium*, *cupiditatem*, കാമിക്കുന്നു *Kamikunu*, Malabarice *deſiderare*, *cupidum eſſe*, കാമ്യഃ Kàmya, *res deſiderabilis*, *res concupita*. കംസഃ *Kamſa* Samſcrdamice, *vir cupidus*, qui ſaturari nequit. *Saturnus autem appellatus eſt*, *quod ſaturetur annis*; *ex ſe enim natos comeſſe fingitur ſolitus*, *quia conſumit aetas temporum ſpatia*, *anniſque inſaturabiliter expletur*. Cicero *lib.* 2. *de nat. deor. p.* 223. കംസഃ Kamſa itaque apud Indos eſt *cupidus*, *qui annis non ſaturatur*, vel qui Opis prole ſaturari nequivit; atque ex huius ſorore *Dèvagul* Krshna deus natus eſt. Hic Kamſa juvenem deum Krshna perſequitur, Aſura, Rákshaſa, Devada, hoc eſt *gigantes*, *Titanes*, *daemonas* ad eum occidendum mittit, quos tamen Krshna variis artibus debellat, vincit, perdit. Hac de cauſſa Apollo ab Orpheo *Titulcidà*, & ab Indis *Kamſaràdi*, & *Madhuràdi* id eſt, Kamſa & Madhu

Digitized by Google

Titanum occiſor dicitur: *Putna*, quae eum veneno enecare voluit, exanimis corruit, *Madhu* gigas, ipſe *Kamſa* rex avunculus dei Krshna, vindicem Krshnae iuvenis manum non effugit. Krshna cum ſociis Saturni palatium ingreditur, eum exturbat, proſternit, enecat. Vide *cod. mſſ.* P. Ildephonſi *cap.* 4. de deo Krshna. *On trouve le meme raport entre Canjen* (Kamſa) *& Saturne*. Sonnerat *l. c.* Dum Apollo Nomius & Iupiter *Arcadius* naſcitur, Corybantes tympana pulſant, ne vagientis infantis vox audiatur; (1) dum *Krshna* naſcitur, Brahmanes crotala & tympana in urbe *Madura* pulſarunt, ne Krshnae dei vagitus ad Titanum circulatorum & exploratorum aures penetraret. Saturnus lapidi allidebat *Opis* filios, aut eos devorabat. Kamſa ſororis ſuae *Dévagui* filios lapidi allidebat, & niſi aſtutia *Giagiodae* ſuppoſititiae dei Krshna matris Kamſa regi, *Máya*, ſenſuum illuſionis dea, pro Krshna ſuppoſita fuiſſet, hic etiam *Krshna* a Kamſa perditus interiviſſet. Verum *Màya* dea Kamſa regi in ventrem terribili ictu dato e manibus eius elapſa diſparuit. Vide Sonnerat, P. Ildephonſum *loco ſupra citato*, & Caroli Stephani dictionarium ſub voce *Saturnus*, *Apollo*, *Iupiter*, & ſyſtema Brahmanicum *pag.* 146. *& ſeq.* ubi uberrime de hoc deo *Krshna* diſſeruimus.

Plures heic etymologias vocum Samſcrdamicas brevitatis cauſſa praetereo. Liber *Bàlagapurána*, monumenta plurima eaque inſignia & ſincera muſei Borgiani, allatae iam relationes & etymologiae, certa, perſpicua, & evidentia indicia praebent, atque ineluctabiliter evincunt: *Krshna* Indicum deum *Apollinem* ſeu *ſolem* eſſe, id nempe, quod in ſyſtemate Brahmanico docuimus. Quid ad haec omnia reſpondit noſter cenſor? Non ſufficiebat ipſi haec omnia in Alphabeto Tibetano intricaſſe, pervertiſſe, confudiſſe, falſis commentis mythologiam Indicam totam praecipitem egiſſe, Europaeis hominibus, ac cumprimis Indicis Miſſionariis in tam obſcura & lubrica cauſſa caecum ducem ſe praebuiſſe, vult is nunc capere nos ar-

(1) Vide *Pauſaniam* lib. 4. pag. 513. 514. de *Curretibus*, ludis muſicis & anniverſariis his feſtis *Ithomaea* dictis.

argutiis, collapſam ſuam doctrinam reſtaurare, atque novis commentis ſuae defenſionis cauſſam communire. In Alphabeto Tibetano is iam antea docuerat, *Budham Indicum*, Manetem & *Ieſum Manichaeorum* eſſe. Vide *pag.* 375. 376. 382. 398. Item *pag.* 371. *&* *ſeq.* 302. 303. 235. In eodem Alphabeto docuit, *Krshnam*, quod corrupte ſcribit *Kriſhnu*, Indicum illum deum, quem deſcripſimus, eumdem eſſe ac *primum hominem Manichaeorum*, eumdem plane ac *Chriſtum Ieſum Manichaeorum patibilem*, *de terra genitum*, *animarum Salvatorem*. Vide *pag.* 253. 254. 255. *&* *ſeq.* Item *pag.* 257. 253. 201. 262. Habemus ergo ex ſententia huius auctoris, habemus inquam, in India Manetes duos, habemus duos Chriſtos Manichaeorum patibiles, duos animarum Salvatores. *Budha* & *Krshna* duo Indici dei geſtis, perſonis, & cognominibus omnino inter ſe diſtinguuntur, atque non unum, ſed duo ſunt numina diverſa. Quod ſi igitur & Budha & Krshna, Manes, & Ieſus Manichaeorum eſt, numquid duo Chriſti, duo Manetes, duo animarum Salvatores eſſe oportet? Euge, Euge, quam male ſe ſuſtinet, olim male conſarcinata fabuloſa Ieſu Manichaeorum hiſtoria! Non ſubſtitit hic noſtri auctoris praeceps & lubrica oratio. In actis S. M. Paneſniv *pag.* 278. 280. 281. noſtram doctrinam de Krshna Indico deo impetit, cavillatur, *recens nocturnarum tenebrarum involucrum* appellat. (1) Sed quibus id tandem argumentis? Nullis, aliquibus male conceptis coniecturis, inverſis & perverſis Indicarum vocum etymologiis, nominibus Indicis ubique corruptis; ex male conſarcinatis fabellis, nullo Indico libro, nullo monumento Indico, ſolo ſuo verborum pondere; cui maximam auctoritatem tribui cupit. Vide *pag.* 280. 281. Paucis itaque & contractiſſime aliqua eius argumenta expendamus, atque iis inſpectis, perſpicuum & apertum fiet, quam

fidem

(1) Verba venerabilis ſenis ſunt haec: *Eccur non idem tu dixeris de Chrisnu Indico Apolline &c.* & infra: *Lepidum eſt Indicum audire* Σοφιρην, *qui Apollinem ſive Solem uno eodemque tempore & matrimonia ſimul & bella aſtronomico more Indorum proprio cum ſtellis inire narras.* & infra: *Tu collige, nec Herculem pro Sole ſive caeleſti ſive terreſtri ab Indis habitum &c.* & infra: *Vide porro ne heic mihi fabulas oggeras &c.* Tot, & tam inflata verba ſine rebus, non reſponſum, ſed riſum merentur.

Digitized by Google

fidem & auctoritatem etiam reliqua mereantur. Non examinamus ea odio in auctorem, quod abſit, nam eum reveremur, amamus, & magni pendimus; ſed examinamus, ut Miſſionarios ab eius falſa & vana doctrina avocemus, ut Europaeis litteratis viris ad monumenta Indica explicanda acceſſum & iter aperiamus, ut Miſſionariis gentilium Indorum mythologiam & ſuperſtiones convellendi in tantis tenebris clarius aliquod lumen praeferamus.

Itaque *pag.* 253. Alphab. Tibetani auctor hiſtoriam dei Krshna ita orditur. *Eſt Kriſnu*, (*quod ut mihi pridem indicaverat P. Caſſianus Maceratenſis*, *ſic nunc uberius in Galliis obſervatum intelligo a viro litteratiſſimo D. De Guignes*) *nomen ipſum corruptum Chriſti Servatoris*. Sed unde, & qua ratione ſcivit P. Caſſianus, *Krshna* eſſe Chriſti Servatoris nomen? Ex quo dictionario Indico hanc etymologiam deprompſit? In quo libro & pagina Krshna pro Chriſto legit? P. Caſſianus in Alphabeto Tibetano nullam ſive vulgaris, ſive Brahmanici dictionarii mentionem ingerit, quin immo *pag.* 104. & 105. vetuſtorum Indiae codicum lectionem & intelligentiam maxime involutam, ac a Brahmanibus obſcura caligine circumdatam fuiſſe, litteralis Brahmanicae, id eſt, Samſcrdamicae linguae ac grammaticae *Suvaraſot* internos aditus & arcana ſe non penetraſſe candide fatetur. *At cum nobis conceſſum non fuerit talia penetraſſe ſecreta*, *ut aliis ad ulteriora perſcrutanda planam viam panderemus*, ait ipſe P. Caſſianus *pag.* 106. in Alphab. Brammhanico ſeu Indoſtano *Romae* 1771. Quonam autem modo, qua ratione dictionum Indicarum etymologiae ſincerae abſque grammatica & dictionario tradi poſſint, qua ratione ingens illud aedificium & moles quam conſtruxit auctor Alphabeti Tibetani ſuſtineri queat, hoc nobis ipſe auctor Alphabeti Tibetani dicat. Eadem ratio militat contra D. De Guignes. Cenſor noſter, qui auctoritate eorum nititur, eorum libros & paginas promat, ut tandem cognoſcamus, ubi, & quo loco *Krshna* pro *Chriſto* ſumatur. *Krshna* niger, *Krshnavarna* niger color, *Krshnamani* nigra pupilla oculi. Vide dictionarium P. Hanxleden, D. Pimen-

menteli, & P. Biſcoping. Vide item Amaraſinhâ *ſect. de coloribus*. Intollerabilis eſt ergo noſtri cenſoris ariolandi licentia, qua ex leviſſima vocum Indicarum cum latinis aut graecis analogia & ſoni harmonia varia ſyſtemata cudit, conſtruit, excitat, atque omnia intricat & confundit. Incautam hanc ariolandi, atque gentilicas res cum chriſtianis confundendi licentiam iure optimo iam perſtrinxit *d' Herbelot* bibl. Orient. p. 203. *Les chrétiens, particuliermeut les Miſſionaires, qui ont pris quelque cannoiſſance de la religion des Indiens, disent, que le Beſchen* (Vishnu) *eſt la ſeconde perſonne de la Trinitè adorable, que les Brachmanes reconnoiſſent, & qu' ils lui attribuent des qualitez qui pouroient convenir en quelque maniere à N. S. J. C. Mais il ya apparence, qu' il y a en cela quelque choſe d' ajouté au véritable ſentiment des Indiens*. Angli Calcutteníes in libro *Aſiatick reſearches* tom. 1. pag. 272. hanc chriſtianorum dogmatum ad Indicam doctrinam & dogmata relationem & comparationem non ſolum falſam, ſed etiam impiam appellant & iure merito carpunt.

Pag. 254. auctor Alphab. Tibetani urbem Indicam അയൊദ്ധ്യ *Ayodbya* (1) id eſt, *urbem pugnantium*, a bellis Bacchi Indici celebrem, regnum *Iuda* eſſe àdſtruit, atque ab Hebraica voce *Iehuda* derivat. In hoc *Iuda* regno Krshna deum natum comminiſcitur, cum tamen Krshna natus fuerit ſeu apparuerit in urbe *Madura* ad fluvium Indicum *Yamuna* ſita. Ita nomen pro nomine, urbem pro urbe, regnum unum pro alio au-

(1) *Ayodya*, aliis Agiodia, Haud, Aud, Avod, Oude antiquiſſima Indiae urbs ſita eſt ſub gradu 26. 45. *lat. bor.* 82. *long.* P. Tieſentaller, qui operationes ſuas geometricas perficiebat in hac ipſa urbe, quam vacat *Adjoudea*, eam collocat una leuca ab urbe *Faizabad* ad meridionale latus flavii *Gagra* ſeu *Sardjou*, qui in *Gangem* influit paullo infra gradum *lat. bor* 26. juxta urbem *Clapra*. *Il fiume Déva* (idem quod Gagra) *paſſa Aggiodia città di Ráma* (non Krshnae), *e ſi getta nel Gange vicino a Clapra*. P. Marcus a Tumba in *cod. mſſ.* muſei Borg. *pag.* 167. Vide mappam D. Dow, Rennel, *memoite &c. pag.* 78. Anquetil du Perron, *Recherches hiſtoriques & géographiques ſur l' Inde*. 2. part. pag. 381. 382. Haec igitur urbs quam longiſſime diſtat a *Madura*, ubi natus eſſe dicitur Krshna deus. *Madura* Apollinis, *Ayodya* urbs Bacchi geſtis eſt celebris.

auctor noſter facile ſubſtituit, transfert, conſtruit prout commodior ſui ſyſtematis explicatio poſtulat.

Pag. 256. ex Indico vocabulo *Sridoroh* miro plane modo *Herodis* nomen elicit. *De Brahmane Sridoroh, quaſi Sri, & inverſo ordine horod, deſignante Herodem, qui ſimulato deſiderio videndi Kriſnu in cunis iacentem eum occidere tentavit*, ait auctor Alphab. Tibetani. Cancrino more in explicandis Indicis vocabulis ambulat. Vocabula Indica a tergo ex dextera ad ſiniſtram aggreditur, ut pro ſuo ſyſtemate *Herodis* nomen extrudat. Numquid Brahman *Sridoroh* Krshna deum occidere tentavit? An non potius *Kamſa* rex, Titan, Saturnus, gigantum princeps, qui iam alios ſeptem filios *Opis*, hoc eſt Indicae deae ലക്ഷ്മി *Laekshmi*, quae eadem eſt ac *Devagui*, non in cunis exſiſtentes devoraverat, ſed lapidi alliſos occiderat? Vide Sonnerat, P. Ildephonſum, P. Marcum a Tumba locis *ſupra citatis*. Deinde, ipſum nomen *Sridoroh* egregie corrupit, nam ſcribendum eſt ശ്രീധരാ *Sbridharà*, quod compoſitum eſt ex *Sbri* Vishnu & *Dhara* portans; nomen *aquilae* cui inſidet Vishnu, & quod gentiles gerunt, ut gerere ſolent hodiedum nomina *Krshna* Apollo, *Ràma* Bacchus, *Govina* vaccarum paſtor, *Bali* Simia inſignis, Bacchi in bello dux &c. *Rectiſſime apud Philoſophos dicitur, qui vocabula non diſcant recte intelligere eos etiam de rebus ipſi falli*. Plutarchus in Iſide *pag. 366. edit. Paris in 8.*

Pag. eadem 256. ex nomine *Argiuna*, filius dei *Indra*, hoc eſt, *Iovis*, extrudit nomen *Iohannis* Chriſti Domini diſcipuli. *Una cum Argiuni (Iohannem intellige) conſcenſo curru aethera verſus advolat* ait auctor. അൎജ്ജുനാ *Argiuna*, ait P. Hanxleden in ſuo dictionario; *homem celebre na cantiga do Parva* (in poematibus) *filho de Deus Indra*, id eſt, filius *Iovis* pluvialis ſeu aeris: vide Syſtema Brahmanicum *pag.* 180. Hic igitur fictitius Brahmanicus heros auctori noſtro *S. Iohannes* eſt.

Pag. 255. auctor cum lectore ſuo penſum eccleſiaſticum recitat, atque prophetias de *Krshna* quam lepidiſſime explicat.

Pag.

Digitized by Google

Pag. 258. Indicum flumen *Gomti* (1) in hortum *Gethſemani* facili plane negotio convertit. Pag. 257. *Duarica* humilem & vadoſum locum olim ad urbem *Surate* ſitum, quem mare corroſit, montem *Thabor* eſſe ait, atque valles uno calami ductu in montes celerrime commutat. Vide *pag. cit.* Miracula haec ſunt noſtri auctoris, quae ante ipſum nec Indi, nec Europaei homines noverant. Numquid haec non ſunt *nocturnarum tenebrarum involucra*? Si valles in montes, urbes in oppida, Titanes genios in reges, fictitios heroas in ſanctos, & veros viros, nomen pro nomine, fabulas in hiſtoriam convertere & transferre licet; ex fabulis Indicis dei *Krshna* non ſolum quamcumque Europeam hiſtoriam, ſed etiam Turcici imperii annales, totam Muhammedis doctrinam, & ipſum *Corani* figmentum integrum elicere haud erit difficile. Sed velo iniecto cenſorem noſtrum inter Manichaeicas tenebras oberrantem relinquamus. Huius viri commenta ſecutus eſt auctor obſervationum praeliminarium in ſpurium librum Ezourvêdam *tom.* 1. *pag.* 94. *et ſeq.* Angli Calcuttenſes in libro *Aſiatick reſearches* tom. 1. p. 273. ubi tamen *Krshna* deum Apollinem eſſe docent. P. Marcus a Tumba in *cod. mss. in fol. pag.* 181. ubi Krshna Indicum deum *Cyrum* eſſe contendit, qui *Aſtiagem* regno privavit. His ergo ſcriptoribus eadem obiicimus, quae Alphabeti Tibetani auctori.

NUMERO II.

അൎജ്ജുനഗീതഃ *Argiunaguita*, codex chartaceus manu exaratus, & in idioma Italicum ex Dêvanagarico converſus a P. Marco a Tumba Cappucino Miſſionario Indico. *Argiunaguita* ſonat *cantum*, ſeu *modulamina Argiunae* herois, & praecipui in fabuloſo *Pandavarum* bello ducis. Hic ob commiſſa crimina poeni-

V ten-

(1) Fluvius *Goumati* vel potius *Gônadi*, quod auctor corrupte ſcribit *Gomti*, octo Indicis leucis infra *Benares* ſeu Kasi in Gangem decurrit duabus leucis infra *Sedpuri*. Benares ſeu Vanares, *Kaſi*, antiqua Ptolemaei *Caſſidia* urbs ſita eſt ad Gangem paullo ſupra gradum 25. *lat. boreal.* Octo leucis infra in Gangem influit *Gônadi*, qui noſtro cenſori eſt olivetum *Gethſemani*. Vide mappam P. Tieſentaller, *Cours du Gange*. 1784. Pariſ. *Goumadi*, *Gomti*, *Goumati* vocabula corrupta ſunt ex Samſcrdamico *Gônadi*, *vaccarum fluvius*, ad quem Apollo Indicus armenta paviſſe fingitur.

tentia ductus, in ſolitudinem ſeceſſiſſe ac crimina expiaſſe fingitur. Quae cum purgaſſet, dialogum de bonis operibus cum *Bhagava*, id eſt, cum deo Shiva inſtituiſſe fertur, quo indigenae gentiles ad exercitanda bona opera excitantur. Hunc igitur dialogum refert P. Marcus, eumque inſcribit: *Traduzione interlineale d' un libro chiamato* Argíunghita, *che è una ſcuola morale rappreſentata in un dialogo. Shàſtra 6. in lingua Samſcritta* (nempe *Dèvanagarica*). In hoc codice praecipua Indiae ſacraria enumerantur, quae ſunt,

I. Amnis *Ganges*, ac praeprimis eius fontes cogniti, *os vaccae*, dicti. *Ganges* Indis eſt ഗംഗ *Ganga*.

II. ചെങ്ങനാട *Cenganàda*, quod aliis, corrupte ſcriptum, eſt Iagarnat, Iagrenat, Chenaganade, Iangarnat, & P. Marco Giangranat. Cen, *rubeus*, náda, *terra*, *ditio*, unde exſurgit etymologia vocabuli *Cenganàda* rubra terra, *agri rubrae telluris* (1). Antiquiſſima & celeberrima haec urbs, primumque Indiae ſacrarium ſitum eſt in littore Coromandelico haud procul ab oſtiis Gangis ſub gradu *lat. bor.* 20. Vide de templo *Cenganàda*, in quo praecipue Budha ſeu Mercurius, & Krshna ſeu Apollo coluntur, *Zend Aveſta*, diſc. prelim. pag. 81. 82. *Ezourvèdam*, vol. 2. cap. 5. pag. 144. & ſeq. *P. Marci a Tumba* cod. mss. muſei Borgiani: *Luoghi ſanti, che li Gentili dell' Indoſtano ammettono, e viſitano ordinariamente*. Sonnerat *tom.* 1. *pag.* 301. Arg iunaguita, *verſ.* 61.

III. രാമേശ്വര *Ràmeshvara*, id eſt, *Ramae dei*, iunioris Bacchi *ſacrarium*, quod alii *Ràmanacoil*, ſeu *templum Ràmae domini* vocant. Fama, luſtrationibus, expiationibus, ſacrificiis, peregrinationibus gentilium inclitum hoc delubrum ſitum eſt ſub gradu lat. boreal. *ſeptimo aut octavo*, nam geographi quoad locorum gradus diſcrepant. Exſtat inter inſulam Ceylan & oram Piſcariae in parva inſulà ad pontem *Ràma* ſita, per quem ex littore Piſcario ſeu ex regno *Marava* in inſulam *Salicam*, *Pale ſimundi*, *Taprobanem*, hodie *Ceylan*, acceſſus patet. Pons iſte

(1) Haec de ditione, non de templi ſolo dicuntur.

Digitized by Google

iſte a Ráma ſeu Baccho exſtructus fuiſſe creditur in ſua Indica expeditione. Confer Aſiatick reſearches *tom.* 1. *pag.* 127. Argiunaguita *verſ.* 80. In hoc Indico delubro cumprimis deus *Ràma* ſeu Bacchus iuvenis, & *Shivalingam* ſeu phallus Shivae dei colitur. Vide, *Syſtema Brahmanicum*, pag. 31. 34. 219. 220. 221. 103. 104. 132.

IV. *Benares*, Vanáres, Kasí, Ptolemaeo vetus *Caſſidia*; urbs & celeberrimum ſacrarium ſitum eſt ſub gradu *latit. borealis* 25. Vide Ptolemaei geogr. *lib.* 7. *tab.* x. *pag.* 122. *edit. Lugd.* Philippi Cluverii *geogr. edit. Amſt.* 1729. *cap.* 7. *pag.* 552. *& ſeq.* P. Tiefentaller, *Cours du Gange*, a Paris 1784. urbem hanc collocat ſub gradu 25. inter *Gangem* & fluvium *Barna*, P. Marcus ſub gradu 26., qui addit: *Città ſanta per eſſere la città de Dei. A chiunque morirà in detto luogo, non ſolo ſaranno rimeſſe le colpe, ma di più non ſarà ſoggetto ad altra tranſmigrazione . . . gl' ammalati, che non hanno ſperanza di vita, ſi fanno portare in detta città, quantunque foſſero* 200. *miglia lontano. Il merito conſiſte* nempe luſtrationis in Gange, *nel diſtretto di ſette miglia ſulla riva del Gange, in dove fanno le loro lavande, e muojono co' piedi dentro dell' acqua*. Confer Anquetilii du Perron, *Recherches hiſtoriques & géographiques ſur l'Inde*, tom. 2. pag. 296. *Syſtema Brahmanicum*, pag. 102. 109. 110. 129. 44. 99. 88. *Argiunaguita* verſ. 90.

V. മദുരാ *Madura*, & മധുരാ *Madhura* urbs, in qua natus eſſe fingitur deus *Krsbna*, ſacrarium Indiae perantiquum ſitum eſt ſub gradu 27. inter *Agrà* & *Dely* urbes, & inter *Gangem* ac fluvium *Yamunà*, ubi Ptolemaeus collocat gymnoſophiſtas. Vide mappam D. de l'Ile, P. Tiefentaller, & cumprimis D'Anville, *Gèographie ancienne*. tom. 2. pag. 347. 348. edit. Pariſ. 1758., *Argiunaguita*, verſ. 91.

VI. അയോധ്യാ *Ayódhya*, urbs natalis dei *Ráma*, Bacchi iuvenis, ſita eſt ad meridionale latus fluvii *Dèva* ſeu *Sardyu*, qui Ptolemaeo eſt *Sarabis* ſub gradu *lat.* 26. & aliquot ſcrupulis. Vide P. Tiefentaller mappam *Gangis*, & Anquetil du Per-

Digitized by Google

ron *lib.* 1. tom. 2. §. IX. pag. 382. *Suite de la 2. partie du cours du Sardjou ou Gagra*, Argiunaguita, *verſ.* 95.

VII. *Manſaroar* lacus in monte Meru, ex quo ſcaturit fluvius *Gagra*. Domicilium dei *Shiva* & *Pàrvadi*. Argiunaguira, *verſ.* 97. Lacus hic ſitus eſt ſub gradu *lat.* 36. Vide Anquetil *tom.* 2. *ſect. II.* §. 1. 2. 3. 4. 5. Loca haec acceſſu perquam ardua, non niſi ex Indorum ad illa peregrinantium narratione nota ſunt. D'Anville in aſſignando montis *Mena*, & lacus *Manſaroar* ac *Lankba* gradu ab hodiernis geographis diſcrepat. P. Marcus geographiae Indicae non ſatis peritus in verſione libri Argiunaguita loca oſcitanter deſcribit, transfert, invicem confundit.

VIII. *Eleabad* P. Marci, *Elahbad* Anquetilii, *Helabas* D'Anvillii, aliis *Preaga*, vel *Praya*, antiquiſſima Indiae urbs, caput gentis *Praſiae* vel *Praſiorum*, de qua Plinius, Strabo, Arrianus, Diodorus, ſita eſt ad gradum latit. fere 26. Vide Anquetilium, & D'Anville, *tom.* 2. *pag.* 347. P. Marcus eam ita deſcribit: *Queſta città è molto più grande e bella di* Benares, *ſituata nell'incontro delli due fiumi, cioè del Giamuna* (Yamunà) *e del Gange, quattro giornate incirca a ponente di Benares, montando il medeſimo fiume Ganges. Queſta congiunzione dei due fiumi è il luogo ſanto, o Tirt.* തീർത്ഥ tirtha *aqua luſtrans*, *aqua ſancta*, *aqua piacula purgans*. Haec dictio *Tirtha* improprie locis applicatur, quare dicunt Indi: *pergo ad Tirtha*, id eſt, *pergo ad locum ſanctum*, *ad aquam purificationis*. Eleabad, & Pallipatur olim *Palli bothra* ſub eodem gradu ad fluvium *Yamunà* ſita, nobiliſſimae veteris Indiae & *Praſiae* gentis erant urbes. Vide Plinium, *lib.* 6. *cap.* 19. Ptolemaeum, *lib.* 7. *cap.* 1. *tab.* x. *pag.* 118. 120. Argiunaguita, *verſu* 93. Strabo. lib. 15. *Palibotra octoginta ſtadiorum longitudinem habet in fig. quadrata cincto ligneo & perforato circumdata.*

IX. *Duarica*, vel *Duaricapuri* vetus urbs, in qua *Krshna* deus abſoluto Pandavarum bello deceſſiſſe fingitur, ad urbem *Surate* olim exſtitiſſe dicitur in humili & vadoſo ſolo, quod mare corroſit. Argiunaguita *verſ.* 84. 85. 86. P. Marcus in notis, & in *cod. mſſ.* de Indiae ſanctuariis, *P. Roth* Miſſ. Indicus *in cod. mſſ.*

X.

X. കാഞ്ചിപുരി *Càngipuri*, urbs aurea, quod alii corrupte ſcribunt *Cangivaron*, celebre meridionalis Indiae ſacrarium, ſita eſt ſub gradu 13. *latit.* ad fluvium *Paler*, non procul ab urbe *Mailapuri*, quod alii iterum corrupte ſcribunt *Mellapur*, vel S. *Thome*. Ex hoc loco & littore Coromandelico veterum naves ſolventes, in auream cherſoneſum, id eſt, in regnum *Pegu* navigabant. *Chaberi* (Caveri) *fluvii oſtia*, *&* *Maliarpa* (Mailapuri vel Mailapuram, aut corrupte Maliapur) *emporium*, *& locus unde ſolvunt*, *qui in Chryſam* (auream cherſoneſum) *navigant*. Ptolemaeus, *geogr. lib.* 7. *tab.* x. *cap.* 1. *pag.* 117. Confer Cellarii, *Notitiae orbis antiqui*, *lib.* 3. *cap.* 23. §. 28. 29. Mappam geogr. *Théatre de la guerre dans l'Inde* inſcriptam, an. 1770. Luteriae inciſam.

Praeter haec Indiae ſacraria, alia celebriora ſunt: fluvius *Cavèri*, promontorium *Comorinum*, *Tirunamalà*, *Tiruvalur*, *Barcalè*, *Ciringam*, *Tirupadì*, *Patmanàburam*, fluvius *Càlinì*, *Gònadi* aliis Gomti, *Tamunà*, *Dèva &c.* Vide ſcriptores citatos, & Sonnerat, *tom.* 2. *lib.* 3. *cap.* 4. *pag.* 4. *& ſeq.* Des Temples. *Item* pag. 48. 74. 75.

Quicumque ad ſupradicta ſacraria pietatis cauſſa peregrinantur, atque in iis ſe luſtrant, ſacrificium ഹോമം *Hòma* ſeu ignis peragunt, in honorem deorum ieiunant, eleemoſynam impertiuntur, aliaque pietatis opera exercent, ii a poena tranſmigrationis immunes redduntur, deorum gloriae participes fiunt, a peccatis ſolvuntur, ac deos ſibi propitios reddunt; id quod pluribus docet liber Indicus *Argiunaguita*, qui diverſus eſt a libro Indico *Bhagavadaguita*, cuius verſionem in publicam lucem protulit D. Wilkins. Vide Anquetil du Perron *lib. cit. parte* 2. *pag.* 553. *& ſeq.* Confer, *Iournal hiſtorique & politique*, *à Geneve par M. Mallet Dupan*, num. 9. IV. Mars 1786. P. Marcum a Tumba in *cod. mſſ. in fol.* pag. ſignata *M*.

NU-

NUMERO III.

ധൎമ്മശാസ്ത്രം *Dharmashàſtra*, quod ſeptemtrionales linguae ſcribunt धर्मशास्त्र *Darmſciatr*, & P. Marcus a Tumba, *Darmſàſtrah*. Codex chartaceus, a P. Marco a Tumba manu exaratus, continet in folio, ut aiunt, paginas tres, capita octodecim, quorum elenchum affert P. Marcus. Codex itaque eſt mancus, nam textu autographo caret, & ſolam brevem, eamque indigeſtam horum 18. capitum ſynopſim exhibet. ധൎമ്മം dherma vel dharma, *virtus*, *opus ſanctum*, *opus pietatis*, ശാസ്ത്രം shaſtra, *ſcientia*, *ars*, item *liber inſtitutionum*. Vide in vocabulario *Amaraſinha* ſect. *Nanarthavargga*, ſeu ſub vocabulis tres aut quatuor ſignificationes habentibus, dictionem *shàſtra* (1). Itaque libri indici *Dhermashàſtra* latinum lemma eſt: *Virtutis*, *bonorum*

oper-

(1) Vocabulum *Sháſtra*, D. Halhed ſcribit *Shaſter*, vide, *Code des Loix des Gentoux*, à Paris 1778. *préface p.* XII. D. Holvvel ſcribit *Shaſtah*, vel *Sciartah*, quem codicem eſſe ait a Brahma deo exaratum. Vide *cod. mſſ.* P. Marci a Tumba, *Oſſervazioni ſopra le relazioni che fa Mr. Holvvell &c.* in muſeo Borgiano, *pag.* 1. D. Wilkins ſcribit *Shaſtra*, aitque *Shaſtra book of Divine ordinations*. Vide, *Aſiatick reſearches*, tom. 1. pag. 129. P. Marcus a Tumba *loc. cit. pag.* 2. ſcribit, *Saſtrah*, additque: *Saſtrah non è altrimenti un libro a parte, ma bensì Saſtrah vuol dire ſcienza, o ſcuola di ſcienze; le quali ſono ſei*. Mentem & animum perdas, ſi hos Indicos myopes ſcriptores inter ſe conſociare, ac in unam opinionem ſententiamque cogere allubeſcat. Vocabularium Brahmanicum *Amaraſinha*, quo inconſulto hi auctores ſcriptitant, ſub claſſe *Nanartha* dicta, ubi ambiguarum & plures ſignificationes habentium dictionum veram etymologiam definit, ſect. *Répanda* vocabulum *Sháſtra* ita explicat,

Nidèsha granthayò. Sháſtra, Shaſtramáyudha lohayò.

Id eſt, *Sháſtra* (cum prima littera *a* longa) *uſurpatur pro inſtructione, & libro*; *Shaſtra* (cum prima littera *a* brevi) *pro ſagitta & ferro*. Sháſtra igitur eſt *inſtructio*, *ars*, *ſcientia*, *regula*, *praeceptum*, *liber*. Donec ex libro *Vyágarna* & *Amaraſinha* certae vocum etymologiae non depromantur & illuſtrentur, libri, monumenta, fabulae, ſcientiae Brahmanicae ſemper remanebunt imperviae, impenetrabiles, & obſcurae. Ariolabimur ſemper, commenta pro rebus veris venditabimus, ut venditavere *Halbed*, *Holvvel*, *Dovv*, *Anquetil*, *D'Hancarville*, & multi Miſſionarii Indici linguarum Indicarum circulatores ſemidocti.

Digitized by Google

operum ſcientia, vel *ad virtutem*, *& pietatis opera inſtitutio* (1). Et revera *cap.* 1. *&* 2. praecipuas mythologiae Indicae partes in ſenſu morali exponit, ac ex iis moralem doctrinam elicit. *Ráma* deus Indicus ex opinione huius auctoris eſt ipſa *iuſtitia*, *Sida* dei Rámae uxor ſignificat *opera bona*, *Ràvana* gigas rex inſulae ലംങ്കാ *Langà* ſeu Ceylan denotat *iniquitatem*, cui bellum indixit Ráma ſeu *iuſtitia*, quae pro *Sida* ſeu *pro operibus bonis*, quae ab hominibus furto abſtulit *daemon Ràvana*, dimicat. Itaque celebre illud Indicum poema Epicum രാമായണ *Ràmàyenà* inſcriptum, in ſenſu morali & tropologico explicat, atque ad exercitandam virtutem & pietatis opera lectorem incitat, pietatem promovet, iuſtitiam ſuadet. Ex his liquet ab Indis ipſis libros, fabulas, poemata Indica *hiſtorice*, *phyſice*, *moraliter* exponi eo fere modo & ratione, qua Plutarchus *in Iſide* explicat fabulas Aegyptiacas. Hiſtorice eas exponit vulgus, phyſice philoſophi & viri docti, moraliter poenitentes, & ethices profeſſores. Vulgus credit deos infinitos, narrat eorum bella, cognationes, connubia, paſcitur imaginibus, ſimulacris, abſurdis fabulis & naeniis; docti ſub his ipſis fabulis celant varia naturae phoenomena, hiſtoricos & phyſicos eventus; poenitentes & ethicae profeſſores per fabulas, ſymbola & aenigmata conſervant, augent, promoventque populi pietatem, in deos cultum, mutuam in ſocietate iuſtitiam, ſine qua nec leges, nec ipſa ſocietas ſubſiſtere poteſt. Vide varia capita libri *Dhermasháſtra*, cuius aliqua exemplaria etiam in Meridionali India circumferuntur. Verſio P. Marci eſt Italica, ſed ut iam diximus, ex variis capitibus manca.

Dhermasháſtra praeter ſupradictas morales fabularum explicationes continet etiam varios tractatus ad moralem Indorum inſtitutionem pertinentes. Agit de ritibus, caerimoniis ac functio-

(1) De Aegyptiorum caerimoniis diſſerens Clem. Alex Strom. lib. 1. p. 7 7. edit Venet. ait: *Primus procedit cantor unum aliquod afferens ex ſymbolis muſicae. Eum dicunt oportere accipere duos libros ex libris Mercurii; ex quibus unus quidem continet hymnos deorum, alter vero rationes vitae regiae.* Apud Indos liber *Amaraſinha* continet verſibus *hymnos* ſeu *indigitamenta* deorum; *Dhermasbáſtra*, *Ciandrodaya* aliique innumeri libri inſtitutionem regum & plebis.

Digitized by Google

ctionibus Brahmanum myſtarum quibus dii colendi ſunt; tradit honeſtae & decorae vitae praecepta & conſilia; praeſcribit regulas ac inſtitutiones cuique tribui peculiares; corpus luſtrandi, animam diis per bona opera conſecrandi, per luſtrationes, purificationes, ieiunia & ſacrificia *Tàgam & Hómam* peccata expiandi, delinquentes corrigendi, ab animalium ac praecipue vaccarum caede abſtinendi artem & ſcientiam aperit, & commendat. Delectum arietis, aliorumque animantium ſacrificiis idoneorum ſequendum docet, modum flores, fructus, & hoſtias litandi, diis cara ſacraria frequentandi, aliaſque ab iis, quae in libro *Exodi* & *Levitico* praecipiuntur, non multum abſimiles diſciplinas locupletiſſima oratione tradit. Quae quidem omnia planam illam & ſtabilem confirmant opinionem ac ſententiam: Brahmanes Indos gentem eſſe antiquiſſimam, quae multa a veteribus Patriarchis didicerit, atque ad noſtra uſque tempora alacri, maximo, & conſtantiſſimo ſtudio retinuerit. Confer *Syſtema Brahmanicum* pag. 4. 5. 9. 14. 20. 21. 36. 37. *& in ſupplemento*, pag. 280. 281. 282. 283. & ſeq. cod. mſſ. P. Norberti capp. Miſſ. Pond., cod. mſſ. P. Iohannis Brito, varia collectanea muſei Borgiani, & P. Marci *cod. mſſ.* in fol. *pag.* 171.

NUMERO IV.

Mulpanci, codex chartaceus manuſcriptus continet folia quatuor, paginas octo, cantus ſeu capita quinque. Verſio eſt Italica ex idiomate Indoſtano urbis पटना *Patna* a P. Marco a Tumba eius urbis & regni Miſſionario perfecta. Liber Indicus *Mulpanci*, cuius vocabuli etymon non affertur, a P. Marco dicitur eſſe, *libro della radice*, *o libro del fondamento*. Hunc codicem, traditamque in eo doctrinam peculiarem eſſe ait ſectae gentilium *Cabiriſticae*, ſeu certae philoſophorum claſſi, cuius primus doctrinae liber eſt *Satnam*, ſecundus vero hic ipſe *Mulpanci* ab initio verſibus ſcriptus, & nunc a P. Marco ſoluta oratione in idioma Italicum converſus. Paullo poſt initium ita proſequitur *Cabir* auctor libri: *V'era una ninfea ſenza materia, ivi Dio fe-*

Digitized by Google

ce la ſua dimora, ſoprà quel fiore immateriale v'era un vacuo, ſi aprì il fiore, e ſi diviſero le foglie, riſguardando (Dio) *la ninfea, vidde un' oſcurità, ſoffiò nella ninfea, e vi dimorò, egli medemo ſtabilì il* Soangh. *Riſolvette di produrre li cieli, ed altre dimore, fece infiniti* dip *nelli cieli e mondi, in tutti li* dip *vi fece un cielo, e le corde del* Soangh *riempirono tutti li luoghi, in tutti queſti fece la ſua dimora &c.* Hoc modo proſequendo P. Marcus affert quinque *cantus*, ſeu 5. capita libri *Mulpanci*, quae ex ſenſu tropologico, poetico, & obſcuro phyſice explicat, ſingulas fere ſententias animae humanae ac corporis humani ſenſibus, meatibus, partibuſque affingendo. E. g. *Soangh* ex interpretatione ipſius eſt *halitus* ſeu *ſubtiliſſimus aer*, ex quo deus omnia creaverit. *Dip*, ſunt partes corporis, in quas *dip* deus immittit ſuam lucem. Prima *dip* eſt cranium humanum, chordae aeris ſeu *Soang* ſunt nervi, figura dei collucet in oculis, in naribus, virtus dei agit in *dip* ſeu corporis partibus; aliaque his ſimilia portenta innumera, quae congruenter ad textum Indicum ad latus eiuſdem textus Indici affert. Miſſis his omnibus, redeamus ad ipſam rerum radicem. Quinam ſunt hi *Cabirii* ſeu *Cabiriſtae*, quid ipſum nomen *Cabi* vel *Cavi*? കവി *Cavì* ſeu *Cabì* Samſcrdamice *homo doctus*, *poeta*, *vir eruditus*. Quocirca de *Iove* ſeu *Brhaſpadi* planeta bonorum deorum praeceptore dicitur, quod fuerit *Cavi* ſeu *Cabì*; id eſt, *genius doctus*, *poeta inſignis*, *contemplator*, *philoſophus praeclarus*. Vide vocabularium *Amaraſinha* ſect. *Svarggavarga* ſub voce *Iupiter*, & dictionarium P. Hanxleden ſub voce *Cavì* vel *Cabì*. കവി *Cavi* cum littera *i* brevi, *verſus*, *carmen*. കവിത്വ *cavitva*, poema, fictio. *Cavì* ergo vel *Cabì* eſt poeta, id eſt, inter gentiles vir doctus, theologus, ſapiens, eruditus. Praeclare Gentianus Hervetus in commentariis in *Protrepticon* Clement. Alexandrini *pag.* 2. edit. Ven. tom. 2. *Vetus gentium theologia tota erat Poetarum, cantorum & muſicorum, utpote Orphei, Lini, Muſaei, Heſiodi, & ceterorum*. Ita hodierna Indorum theologia tota adhuc eſt poetarum & philoſophorum. Ταῦτα δὲ (φησι) σοφῶτοι

 παν-

Digitized by Google

πάντων ὑπεμνηματίσαντο οἱ ἑπτὰ, Συδὲκ παῖδες ΚΑΒΕΙΡΟΙ, καὶ ὄγδοος αὐτῶν ἀδελφὸς Ἀσκληπιὸς, ὡς αὐτοῖς ἐνετείλατο θεὸς Τάαυτος. *Sanchoniaton* apud Euſebium praep. Evang. *lib.* I. *cap* x. Allata verba ita interpretatus eſt Court de Gebelin, *Allegories orientales*, num. XI. pag. II. *Les Cabyres, ou les ſept fils de Sydyk, et Aſclépius leur huitieme frere, furent les premiers, qui, ſur l'ordre de Thaut, tranſmirent par leurs écrits le ſouvenir de toutes ces choſes*, (nempe fabularum *a Sanchoniatone* relatarum). *Igitur Cabyrii*, id eſt, poetae, primi fuere, qui mandata Tauti, ſeu Mercurii ſimulantes, fabulas & commenta in vulgus emiſerunt. De his *Cabiris* Clemens Alex. in *Protr.* tom. I. pag. 16. edit. Ven. ait: *Bacchi pudendum* (virtutis generativae ſymbolum) *ciſtae incluſum in Thuſciam detulere*. Et P. Marcus in cantu primo libri *Mulpanci* ſub nota prima inquit: *Li Cabiriſti non credono altro Dio, che la virtù generativa, che dicono eſſere in ogni coſa del mondo*. Et revera, ex textu libri *Mulpanci* ſupra allato patet: ipſos *nymphaeam*, aquae ſeu humoris ſymbolum, & ſubtiliſſimum aerem, aut animalem ſpiritum omnium rerum generationis principia ſtatuere, quocirco etiam *lingam* ſeu phallum in nymphaea collocant, atque caloris cum humore coniuncti principium per phallum & matricem, cuius nymphaea ſymbolum eſt, rapraeſentant (1). Inde antiquiſſima Cabiriſtica *phalli* ſacra, quae Indiam, Graeciam, Aegyptum, Latium & Thuſciam pervagata ſunt. Vide librum *Mulpanci*, Iul. Firmicum, *de errore profanae religion*. *Cap.* 12. Coelium Rhod. *lect. ant. lib.* 17. *cap.* 20. Syſtema Brahmanicum, *pag.* 31. 34. 219. 220. 133. & de loto, *pag.* 120. 32. 33. 119. 102.

Ex his igitur planum & perſpicuum eſt, Indicos hodiernos

(1) Vide infra deſcriptionem primi ſacelli Indici Borgiani. Diog. Laert. in *prooemio* num. 17. pag. 7. *edit. Lipſ.* de Indicis gymnoſophiſtis & Perſicis Magis ex *Theopompo*, *Eudemo*, & *Hecataeo* agens ait: *De deorum ſubſtantia & ortu ſententias proferunt; quos & ignem, terramque & aquam eſſe arbitrantur* . . . *Sibi Deos apparere aſſerentes*, *&c.* Ignem ergo & aquam praecipue colunt, & deos varios, ut Bacchum, Apollinem ſeu *Râma* & *Krsbna*, deum *Sbîva* & deam *Pârvadi* incarnatam ſibi apparere fabulantur. *Quid Perſas, & Medos, & Magos. Hos enim ſub dio rem divinam facere; eo quod exiſtiment ignem & aquam ſola Deorum eſſe ſimulacra, ex Dinone cognoſcimus*. Clem. Alex. *Protr.* pag. 56. edit. Venet.

nos *Cabirios* antiquiſſimae *Cabiriorum* turmae propaginem eſſe, quin immo *Cabirios*, id eſt, poetas illos fortaſſis ab initio ex India originem duxiſſe; nam & *phallum* ipſi primi videntur *virtuti generativae* poſuiſſe ſymbolum, & etymologia nominis *Cabí*, non niſi ex Samſcrdamica lingua tradi poteſt. Vide Herveti Comment. in *Protr.* Clem. Alex. *tom.* 2. *pag.* 10. & de phallici cultus inſtitutione *Arnobium* lib. 5. contra gentes, *Syſtema Brahmanicum*, pag. 125. 126. Ceterum, ex textu *Mulpanci* ſupra allato patet inſignis transformatio, corruptio, & poeticum involucrum primi capitis *Geneſeos* a Moſe allatae. Deus in nymphaeam, in aquam inſufflat, ſpiritus eius ex nymphaea, aquae flore & aquae ſymbolo omnia creat, obſcuritatem ſeu chaos & vacuum illud immenſum diſpellit, ſpiritum ſeu ſublimem aerem aquae ſocium adiungit, ut mundi machinam regat. ദീപം *díba* vel *dípa* cum littera *p* leni, *candelabrum*; ദീപകം díbaga, *qui lucernam*, aut *candelabrum accendit*, ദീപിക്കുന്നു dibicunu, *lucere*. Itaque deus ex ſententia *Cabirii* Indici caelos creavit, & in caelo *lucentia candelabra* poſuit, ut praeeſſent diei & nocti. *Riſolvette di produrre li cieli, ed altre dimore, fece infiniti* dip *nelli cieli e mondi &c.*, creavit candelabra infinita, ſtellas innumeras, quae lucerent &c. His praemiſſis acer & diligens indagator ad lectionem libri *Mulpanci* tuto accedat. Aditus aperiendus erat, & lector praemonendus, *primo*, ut hunc legendo librum humanae mentis, revelationis lumine deſtitutae, imbecillitatem in his Indicis commentis agnoſcat; *ſecundo*, ut videat, quam parum profecerit P. Marcus a Tumba, aliique Indicorum librorum expoſitores, qui ſine linguae Samſcrdamicae peritia ad perardua & perobſcura Indica poemata interpretanda praecipitem ſuam operam contulerunt.

De hodiernis Indicis Cabiriis confer *cod. manuſcript.* in folio P. Marci a Tumba in muſeo Borgiano pag. 190. *Queſti Fakiri Cabiriſti*, ait P. Marcus, *ſono ſecolari, portano al collo una coroncina di piccoli grani di legno, che è il loro diſtintivo con alcuni altri ſegni ſulla fronte. Non mangiano nè carne, nè peſce, eſſendo rigoroſi*

 goroſi

goroſi oſſervanti dell' opinione, che tutti gl' animali ſono l' iſteſſa ſpecie, perciò nè meno ammazzano li pidocchi, e ſi guardano nel caminare di non piſtare formiche, hanno la permiſſione di mangiare le erbe e legumi, quantunque vegetabili. Non credono alcun Dio particolare, ma ſoſtengono, che Dio altro non è, che la virtù produttiva di tutte le coſe del mondo. Nel fare la loro profeſſione giurano in materiam decidentem *che tengono in mano. Anno moglie e figli. Il loro Dio viſibile è Naraen* (Narayena, qui *Vishnu* & *aqua*). Admittunt 4. elementa, & vacuum, ex quibus creata omnia. *Nirangen* & *Curumb* duo dii fratres, ſeu elementa inter ſe pugnant, *Nirangen* amputavit caput dei *Curumb*; ex ſudore & ſanguine *Nirangen* factum mare &c. Denique tota de *Corybantibus* & *Cabiriis* doctrina, quam referunt (1) Clem. Alex., Coelius Rhod. & Firmicus *locis citatis* ex fabulis Indicis a P. Marco relatis haud obſcure deducitur, planior & apertior redditur, ac perſpicue demonſtrat, Graecas de *Cabiriis* fabulas, gentem et dogmata eorum ex India in Graeciam penetraſſe. Vide *loco cit.* totum textum P. Marci (2).

NU-

(1) Integer de *Cabyriis* & *Corybantibus* Clem. Alex. textus in *Protr.* p. 16. eſt iſte: *Sin placeat Corybantium quoque orgia contemplari, ex illis duo tertium fratrem cum occidiſſent, caput demortui purpura obvolutum, & corona cinctum ad Olympi montis radices ſepeliere*. Et infra: *Novis inſuper monſtris eaedem iſtam exaggerant* (reges ſacrorum myſtae) *apium cum tota radice ad menſam apponi omnino prohibentes, quod ex Corybantiaco* (Indis Curumb) *illo ſanguine, qui in terram defluxerat, apium germinaſſe arbitrentur*. Et infra: *Ex cruoris Bacchici guttis mala Punica extitiſſe opinantur*. Totam hanc fabulam ad elementa, ad ſemina caeli, ſolis, lunae & aeris ſub forma deorum inter ſe pugnantium relatam, lucidius, locupletius, elegantius & apertius a P. Marco & Ildephonſo, qui Clementem Alex. non legerant, ex Indicis libris explicatam vide *pag cit.* apud P. Marcum, & P. Ildephonſum in *cod. mſſ.* bibl. S. Cong. de Prop. Fide n. xxxI. lib. 1. cap. 4. num. 26. *Quomodo factae fuerunt Stellae in firmamento, Sol & Luna*. Quo loco auctor ex *Pacunar* gentili poeta docet, ex ſemine & ſanguine *Shivae* dei, *Shakti* deae, aliorumque deorum ſtellas, flores, herbas, piſces, fructus, mala Punica, aliaque omnia creata fuiſſe.

(2) *Iam vero convincuntur a barbaris dogmata ſurripere ſua* (Graeci), *ſed & imitari quae apud nos divina virtute &c.* Clem. Alex. *Stromat. lib. 6. pag.* 752.

NUMERO V.

രാമായണം *Ràmàyena*, codex chartaceus a P. Marco a Tumba manu exaratus, continet folia ſexdecim, paginas triginta duas. Inſcribitur, *Traduzione interlineale del libro detto* Utercand *ultimo tomo del gran libro* RAMAEN. *Libro dell' incarnazione* RAM, *cioè dio* Vishnu *incarnato in* RAM *per uccidere il gigante* Raun (Rávana) *re di* Lanka *o di* Ceilon. *Queſto libro incomincia dal ritorno che fece* RAM *da* Ganekpur (Genégapuri) *in dove era andato in concorſo a rompere l' arco de* Mahadeo (Mahádêva) *ed ottenere in ricompenſa per moglie* Sita (Sida) *figlia del re* Gianek (Genéga). Hucuſque verba P. Marci a Tumba. Tota dei *Ràmae* ſeu iunioris Bacchi fabuloſa hiſtoria comprehenditur ſeptem voluminibus. Tomus primus inſcribitur ആദികാണ്ഡം *Aadicánda*, in quo deſcribuntur cauſſae, modus, & ratio incarnationis dei Vishnu in *Ráma*. Secundi tomi lemma eſt അയൊദ്ധ്യാകാണ്ഡം *Aayodyacánda*, qui refert geſta dei *Rámae* in urbe *Aayòdya*, de qua ſupra diſſeruimus. Tertius tomus vocatur ആരണ്യകാണ്ഡം *Aranyacànda*, qui tradit dei *Ràmae* geſta in ſilvis, eremis & ſolitudine. Quartum volumen eſt കിഷ്കിന്ധാകാണ്ഡം *Kisbkindacànda*, geſta dei *Ramae* in regno *Kisbkínda*, quod Europaeis corrupte *Golconda* dicitur. In hoc regno *Ràvana* gigas *Sidam* Rámae uxorem in ſilvis furto ſurreptam, in inſulam ലങ്കാ *Langga* abſtulit. Quocirco quintus tomus യുദ്ധകാണ്ഡം *yudhacànda* ſeu hiſtoria bellorum ob furto ablatam *Sídam*, vel ലങ്കാകാണ്ഡം *Langàcanda*, hiſtoria obſidionis inſulae *Langga* ſeu Ceylan regni *Ràvanae* teterrimi gigantis. Sextus tomus inſcribitur സുന്ദരകാണ്ഡം *Sunderacànda* qui agit de virtutibus, de praeſtantia, & pulchitudine dei *Ràmae*

Digitized by Google

mae eiuſque uxoris *Sidae* . Septimus tomus ഉത്തരകാണ്ഡം: *Utteracànda* de geſtis *Ràmae*, quae exantlavit poſt ſuum ex inſula Ceylan reditum in India boreali , *uttera* enim in lingua Samſcrdamica dicitur *boreas* , ſeu pars borealis . Ex his 7. tomis aliqui codices carent tomo ſexto, ut minus neceſſario ad integritatem hiſtoriae dei *Ràma* . Tomum ſeptimum ex vulgari Indoſtana lingua in Italicam traduxit P. Marcus . Hic ipſe in ſuis commentariis *pag*. 168. 169. 170. 171. 172. in hos Indicos libros, *Ràmam* deum nunc autumat eſſe Patriarcham *Abraham*, nunc *Moſem*, nunc Perſam *Cyrum*; nunc exiſtimat Indos fabuloſam *Ramae* hiſtoriam anno 1505. compoſuiſſe ad ſimilitudinem bellorum, quae in inſula Ceylan geſſerant Luſitani . Ita auctor Alphab. Tibetani putabat eſſe hiſtoriam *Ieſu Chriſti* ex Manichaeorum ſomniis confictam; Sonnerat, *Ramam* eſſe aliquem *Peguanum* regem , qui Indiam invaſerit . Nimis arctis tenemur limitibus, ut haec refellere poſſimus (1).

Non

(1) Ramae ſeu Shriràmae id eſt, Bacchi Indici geſta edito iam a nobis Syſtemate Brahmanico *hiſtorice* explicari deſiderabat , Bacchumque Indicum verum Aſiae domitorem phyſicum ac hominem eſſe exiſtimabat vir eruditione inſignis & inter paucos mihi maxime colendus. Lubens eius votis acceſſiſſem , niſi quam plurima obſtarent . *Primo* , pleraque fabuloſae Bacchicae hiſtoriae heroum nomina palam & aperte fictitia eſſe ex lingua Samſcrdamica facile perſpexi . *Secundo*, heroes hi boni malique genii ſunt inter ſe certantes. *Tertio*, Ràma deus ab Indis conſtanter *viridis* pingitur, ut Ràvana ſemper *caeruleus* & decem capitibus inſignis . Haec autem capita & colores nulli umquam homini, nullius gentis vultibus ſunt communes . *Quarto* , Hanuman qui eſt deus *Pan* aut *Silenus*, etiam ab Indis indubitata fide *Solis* & *Lunae* filius , Simius , ac *ventus* eſſe dicitur . Nequid igitur verus homo dici. *Bali* alter Simius , dei Indra ſeu Iovis, quem *aerem* eſſe aperte docent Indici libri, filius , & Bacchi comes, deum Ràma ſeu Bacchum per aerem & caeli regionem circumfert. Ex abſciſſis mammis *Shurpanagae* feminae gigantis & Ràvanae ſororis in aere certantis dimanat ſanguis , & ex eo in terram deciduo generantur ſanguiſugae. *Cumbbarcana* frater Ràvanae pugnat ſagitta *nisbiciara* dicta, *nisbiciara* autem ſagitta eſt in Sole ſeu Ràma obſcuritatem, tenebras & noctem inducens. Ràma ſagitta ſua *Agbniciara* dicta ſeu *ſagitta ignis* retundit ſagittas obſcuritatis ac noctis, atque ignito illo iaculo frontem *Ràvanae* exurit , id eſt, ſol *radiis ſuis* Ràvanam noctis & tenebrarum deum occidit . Hae ſagittae per ſe ipſas iterum ad locum & arcum ex quo evibrabantur nullo cogente redibant. Ràvana , Typho, vel Pluto a *Shiva* deo, ab *igne* donum immortalitatis acceperat, atque ab eodem obtinuerat, ut in regno ſuo in inſula Ceylan ver perpetuum, flores, & fructus germinarent, ut inſula perpetuis divitiis margaritis & unionibus afflueret. Opulentia hac inflatus

Digitized by Google

Nos de Ráma deo iam uberrime diſſeruimus in *Syſtemate Brahmanico* pag. 135. & ſeq. ad quas *duas tabulas* muſei Borgiani exhibuimus. Vide cumprimis in *ſupplemento* pag. 298. 299. 300., & tabulam XVII. & XVIII. c. *Bellum Shriràmae contra Ràvana*. item tab. XVII. & XVIII. *b.* in quibus *Ràvanae* gigantis & dei *Hanuman* ſeu *Panis*, eximii in bello Bacchico ducis, imagines exhibentur. Invincibile argumentum, Rámam ſeu Shrirámam eſſe Bacchum iuvenem, eum nempe quem eſſe nos docuimus, ſubminiſtrat ipſe Sonnerat *tom.* 2. *lib.* 3. *pag.* 203. ubi Kalendarium Brahmanicum atque ex eo fauſtos & nefaſtos dies refert. Prima conſtellatio, per quam luna in ſuo menſtruo curſu tranſit, eſt B*harani*, *mala*, cui affingitur *elephas*, & *cornix*. Tertia *Càrtiga*, *mala*, cui attribuitur, *capra*, & *pavo*. Ex hac natus eſt deus *Scanda*, ſeu *Kàrtiguea*, Hercules, Graecis corrupte *Sandus* dictus, de quo Nonnius Panopolites *lib.* 34. 35. 36. Vide Syſtema Bràhmanicum *pag.* 190. *& ſeq.* Quarta conſtellatio eſt രോഹിണി *Rohini*, *bona* ſeu *fauſta*, & huic attribuitur *ſerpens cucullatus*. Ab hac *Rohini* ſtella Bacchus Indicus *Rohìneya* dicitur, non ſane ob aliam cauſſam, quam quod ex hac *Rohini* conſtellatione natus ſit. Vide ſyſtema Brahmanicum *p.* 138. Quocirco huic ſtellae in Kalendario *ſerpens cucullatus* appingitur, idem ille, quem manu tenet *Bacchus* & quocum eum exhibent non ſolum Indica, ſed etiam quamplurima Graeca monumenta, ac praeſertim multae urnae ſepulchrales in ipſa urbe *Roma* exſtantes. Adde ea, quae ipſe ſcribit P. Marcus a Tumba in cod. mſſ. in fol. pag. 127. *Li gentili dicono, che tutte le ſtelle ſono Dei, o gran ſanti contemplativi, chiamati Riki* (ഋഷി rishi), *o Muni*: *delle quali, e particolarmente delle più viſibili, come l' orſa maggiore ne aſſegnano il nome, e le iſtorie. La ſeconda ſtella dell' orſa ſuddetta dicono eſſere Baſſiſt* (Vaszishda) *maeſtro ſpiritua-*

flatus & ſuperbus reliquos Indiae reges Gigas iſte vexat. *Ráma* ſolus eum ſuperat, ac interimit. Urbem immenſam Ràvanae eiuſque incolas *Gigantes* Ràma miniſterio *Simiarum* expugnat, urbemque & regnum Ceylan alteri *Giganti* tradit. Innumera ſunt huiuſcemodi alia argumenta, quae hiſtoriam Ràmae *phyſicum*, *aſtronomicum*, & *allegoricum* involucrum eſſe docent, & quae abſona & abſurda erunt, ſi *hiſtorice* explicentur.

Digitized by Google

tuale di RAM (Rama), *ed una piccola, che le ſta vicino, dicono eſſere ſua moglie . . . Li* 7. *planeti che chiamano come noi, tengono come veri dei metamorfozati, raccontandone le loro iſtorie ne loro libri* . En *Ramam* ſeu *Bacchum iuvenem* verum aſtronomicum commentum, en Bacchum *Solem*, eumdem nempe, quem eſſe nos docuimus. Vide Caroli Stephani dictionarium ſub voce *Bacchus* & *Apollo*, Orphei hymnum in Bacchum *pag.* 127. edit. Traiet. *Liberum ego veneror, Creperi creperum, fatuantem, primigenam, geminum, Brumalem, terque renatum, cornigerum, agreſtem, obſcurum, arcanum, duiformem &c.* Confer Plutarchum *de Iſide*, ubi Bacchum *Solem* eſſe perſpicue docet. *Iam Oſirin* (Indis Shrirâma) *regno inito ſtatim Aegyptios inopi & belluina victus ratione ſolviſſe, cum & fruges iis oſtenderet, & leges poneret, & deorum cultum praeciperet. Poſtmodo univerſam obiviſſe terram hominesque manſuetos redegiſſe, minime armorum uſu, cum pleroſque perſuadendo & docendo adhibitis carminibus, ac muſica alliceret. Itaque creditum eſſe Graecis eumdem cum libero patre*. Haec quaſi totidem verba Indi dicunt docentque de ſuo *Shrirâma*, qui Bacchus iuuenis diſtinctus & diverſus eſt a *Shiva* ſeu Baccho ſeniore. Vide Plutarch. *de Iſide & Oſiride*, pag. 349. 353. 354. 355. *Eſſe autem Oſirin eumdem cum Baccho deum, cuinam magis conveniat ſcire quam tibi o Clea?* Rávana, qui Aegyptiis eſt *Typho*, aſininis auribus & capite aſinino ſuper reliqua capita prominente exhibetur in *tab. XVII. & XVIII.* muſei Borgiani. Vide Syſt. Brah. *pag.* 299. Idem aſinus *Typhoni* erat ſacer. *Rufus & aſinino colore fuit Typho, planeque animal illud non mundum, ſed geniis* (malis) *peculiare putant ob ſimilitudinem quae ei cum Typhone convenit*, ait *pag.* 354. Plutarchus. Denique *pag.* 356. & 357. totam Bacchi fabulam cum *Typhone* certantis phyſice explicat, ad Nilum, ad Aegyptiam tellurem, ad ventos referendo, eo fere modo quo nos in Syſtemate Brahmanico ad tellurem Indicam retulimus geſta dei Shrirámae. *Ferunt Aegyptii* (idem Indi) *hos quinque deos, Solem ſeu Bacchum, lunam ſeu Iſidem, ſpiritum ſeu Iovem . . . omnem peragrare terram, apparentes hominibus in ſacrorum animalium formis, quandoque autem in hominum aut aliorum ſpecie, quod minime fabuloſum videtur,*

ſiqui-

ſiquidem iſti ſunt, qui omnia generant & producunt. Diod. Sic. *lib.* 1. *pag.* 8. *edit. Baſil.* Et hic ipſe de Baccho Indico: *Multa ſui reliquit* (Bacchus) *apud Indos monumenta, ex quibus poſteri Indorum de deo illo contenderunt aſſerentes eum genere Indum eſſe*. lib. 1. pag. 10. Genius ergo ſolis rector & vector eſt Indicus Bacchus, qui Indiam, Aegyptum, Graeciam, Arabiam, Tibetum, Scythiam, totamque terram obivit. Unde *Iambulus* apud Diod. *lib.* 2. *cap.* 13. de Indis differens ait: *Solem & reliqua aſtra colunt*. Confer Euſeb. *praep. Evang. lib.* 3. §. 3. *pag.* 89. de allegorica Aegyptiorum theologia, de oppidis in Aegypto a variis diis conditis, & Porphyrii epiſt. ad Anebonem. *Quidquid ſacrarum fabularum eſt, partim in ſtellas, & earum conſpectus, occultationes, occurſuſque devolvi, partim in lunae modo creſcentis, modo ſeneſcentis varietatem, partim in Solis curſum, vel in nocturnum vel in diurnum hemiſpherium &c.* Hoc plane modo omnes de Baccho Indicae fabulae ad haec eadem naturae phoenomena referuntur. Vide Caylus, tom. 1. *planche* 9. *num.* 2. *pag.* 33. item *tom.* 3. *p.* 8. *planche* 2. *num.* 1. & 2. *planche* 7. *num.* 6. Beniamin Tudelenſem itinerarii *pag.* 93. & 94. 96. Cod. mſſ. P. Ioſephi Mariae a Carignano miſſ. Nepalenſis inter cod. bib. S. Cong. de Prop. Fide *n. XXIII. p.* 47. 51. de *Ràvana & Ceylan*. Viaggi del Beato Oderico, *pag.* 56. 57. *edit. Venet.* 1761. Waltheri Miſſionarii Dani doctrinam temp. Indicam *pag.* 153. & *ſeq. in hiſt. regni Bactriani*. La Lande, *Aſtronomie*, troiſieme édition à Paris *chez la veuve Deſaint.* 1792. Livre troiſieme, *ſur les conſtellations, qui figurent dans la Fable*. Nonni Dionyſiaca, Hanoviae, *lib.* XXXIV. *pag.* 851. *lib.* XXXV. & XXXVI. Macrobium, *Satur. lib.* 1. *cap.* 18. ubi Bacchum *Solem* eſſe multis argumentis docet. Aſiatick reſearches, *tom.* 1 *pag.* 258. ubi *Ràma* Indicum deum palam & aperte *Bacchum* eſſe tradunt. Sonnerat, *tom.* 2. *pag.* 202. 203. 204. de ſtellis Indicis & domibus lunae. P. Marcum a Tumba *in cod. mſſ. in fol.* de variis Indicis ſtellis ab Indis cultis, *pag.* 142. 146. 129. 126. & 116. de luna, quam a gigante dentibus capi credunt Indi.

Bacchus Indicus in Indica urbe *Ayodhya* natus eſt, & bello abſoluto in eamdem urbem *Ayodhyam*, hodie *Aoud*, ad fluvium *Deva* ſitam reverſus eſt. Bacchus Indicus *ſerpentem* cucul-

Digitized by Google

latum manibus geſtans exhibetur, mater eius ſtella *Robini* eſt, cui in Kalendario Brahmanico pariter *ſerpens cucullatus* ſeu *nallapàmba* affingitur. Vide Sonnerat, *tom.* 2. *lib.* 3. *pag* 203. Bacchus Indicus elephantes, tigrides, ſimias, & inter has *Hanuman* ſeu *Panem* deum ad bellum contra *Ràvana* gigantem ducit. Vide Syſtem. Brahman. *pag.* 299. 300. Bacchus Indicus gymnoſophiſtas ſeu *Magos* Indicos ad conſilium cogit, ut eidem de fauſto belli ſucceſſu proſpiciant. Vide ſacellum Indicum Borgianum *num.* 1. valva *tertia* plicatili. Denique Bacchus Indicus *Ràvanae* gigantis caput *aſininum* ſagitta ferit, eumque enecat. Vide Syſtema Brahm. *p. cit.* Nuperrimus nobilis ſcriptor, qui ſententiam D. *D' Hancarville* de Bacchi Scythici ex monte *Tauro*, ad quem veteres Scythae habitabant, in Indiam adventu, eleganti Italica diſſertatione tuetur, nobis dicat: an ſerpentes cucullati, an flos *loti*, quae in paludibus naſcitur, an ſimiae & ſimii, an aſini & elephantes in monte *Tauro* reperiantur? Dicat inquam, an Urbs Indica *Aoud* ad montem *Taurum* exſiſtat, an *gymnoſophiſtae* & *magi* Indici in monte *Tauro* Baccho ſuis conſiliis proſperum belli eventum praedicebant? Iure ergo caſtigata fuere *D' Hancarvillii* ſomnia, & nimis audaces ariolationes. *Quamquam nunc non facile metuendum eſt, ne Martinus, Ingbiramus, Ebermayerus, Golzius, Harduinus, aliique his ſimiles nos fallant, tamen nec noſtris temporibus Gebelini, D' Hancarvilli, Poinſineti, Wittii, Kochii, aliique deſunt, quorum commenta in hoc genere ſubtilius iudicium repudiet, meliorque ſenſus eludat*, D. Beckii *Commentatio de ſenſu critico excitando*. Lipſiae 1791. *p.* XXVIII.

NUMERO VI.

Liber chartaceus *in fol.* manuſcriptus a P. Marco a Tumba, quem in lucubrationibus noſtris ſaepe Indicarum rerum teſtem adhibuimus, numerat paginas 203. quibus ad calcem annectitur index. *Primo*, continet itinerarium ad Indiam Orientalem, in quo P. Marcus de bellis in boreali India geſtis, de regum & regnorum viciſſitudine ab anno 1756. uſque ad annum 1774., quo ex India redux Romam venit, multa aperta & lu-

& lucida narratione tradit. *Secundo*, pag. 73. & ſeq. profert deſcriptionem geographicam Indiae borealis, brevem ſeriem recentiorum Mogolenſium Imperatorum, & locupletem notitiam de regno Nepal & Tibet. *Tertio*, pag. 110. & ſeq. deſcribit & recenſet varias veteres opiniones philoſophicas, quas Indi hodiedum nutriunt & conſervant de Ente ſupremo, de creatione mundi ex aqua & igne, de paradiſo, de poenis quibus ii ſubiciuntur, qui animam ſuam labefactant. *Quarto*, pag. 134. 135. & ſeq. enumerat varia ſyſtemata religioſi cultus & opiniones de creatione mundi, de diis, de ſtellis, de ablutionibus, de mundi fabrica ex fabulis Brahmanum academiae Benares, ac aliorum gentium intra & cis Gangem habitantium. Pag. 162. & ſeq. agit de decem incarnationibus ſeu apparitionibus dei Vishnu. Pag. 185. & ſeq. exhibet tractatum de anima ex opinione Indorum, quem excipit recenſio tribuum & ſectarum philoſophicarum. Pag. 193. & ſeq. recenſet libros Indicos, ubi etiam pauca adiicit de aera regis Indici *Vikramàditya*. Pag. 202. opus concludit diſſertatione de paradiſo & inferno gentilico.

NUMERO VII.

Oſſervazioni ſopra le relazioni, che fa M. Holwell Ingleſe degl' evenimenti iſtorici toccanti le provincie del Bengala e dell' Indoſtano. Codex chartaceus manuſcriptus auctore P. Marco a Tumba numerat *paginas* 51. *in* 4. Adiecit ad calcem operis aliquarum Indicarum dictionum etymologias, ex quibus D. Holwel linguae etiam vulgaris Indoſtanae imperiti ſomnia & naenias diſpellit. Liber hic a P. Marco dono datus fuit ampliſſimo Cardinali Borgiae anno 1775. quo P. Marcus iterum Indiam repetiit. Huius codicis meminit Anquetil du Perron, *Recherches hiſtoriques ſur l'Inde tom. 2. pag.* 568., cum enim requiſitus ampliſſimus Cardinalis Borgia Anquetilio Lutetiam miſerat, non tamen librum P. Marci *num.* VI., quem Anquetil numquam inſpexit. Ex recenſionibus iſtis iam plane perſpicuum eſt: R. P. Marcum a Tumba virum eſſe probum, labori maxime deditum, in In-

Digitized by Google

dicis rebus teſtem idoneum, utpote cuius fidem & integritatem etiam commendant Angli Calcuttenſes in libro *Aſiatick reſearches*, tom. 1. p. 271. Vitio tamen candori noſtro non vertet ipſe P. Marcus, ſi in his ingentibus ſuorum ſcriptorum voluminibus eum ſaepe alucinatum fuiſſe diximus. Exempli gratia: P. Marcus ubique in ſuis ſcriptis religionem Brahmanicam ex Perſide deſcendere docet, nulla tamen argumenta pro ſua opinione adducit. Quid reſponderet nobis R. P. *Marcus*, ſi adverſus eum heic tempus & occaſio daretur demonſtrandi: veteres Perſicos libros quos *Thomas Hyde* & *Anquetil du Perron*, aliique veteres & recentiores ſcriptores Zoroaſtro, ac veteribus Perſis adſcribunt, lingua *Samſcrdamica* Indica ſcriptos eſſe, ac linguam *Pelhlavicam* veterem Perſicam *Samſcrdamicae* dialectum eſſe? Perſicum lemma libri *Vendidad Sàde*, ex Indicis vocabulis conflatum eſt, ſcribique debet: *Védàndà-Shaſtra*, id eſt *legis ſcientia* ſeu legis explicatio. *Vedanda*, ait D. Pimentelus in ſuo dictionario, *ſciencia da ley*, *documento*, *explicaçao*, *Shàſtra*, *ſcientia*, *liber*. Alterius Perſici libri lemma eſt: *Viraſnamah*, quod corruptum eſt ex Indico *Viranàma*, forte, efficax nomen. Perſicum *Ormuzd*, eſt Indicum *Orumà* concordia, amicitia, Perſicum *Aharima* eſt Indicum *Arima* diſſenſio, diſcordia, Perſicum *Deus*, eſt Indicum *Dévada*, vel *Déva* malus genius. Perſicum *Vadjer guerd* eſt Indicum *Tadjur guru* legis doctor, Perſicum *Giavidan khird* eſt Indicum *Givida kirtana*, Perſicum *namah* & *namé* eſt Indicum *namà* adoratio & *nàma* nomen. Ita reliqua vocabula Indica omnia in Perſide corrupta fuerunt. Videat nunc P. Marcus, *Zend Aveſta*, ouvrage de Zeroaſtre tom. 1. part. 2. *pag*. 1. 2. 3. 7. 9. 39. 81. Thomam Hyde *cap*. 55. *pag*. 437. & alibi. D'Herbelot, *bibl*. *p*. 114. 206. 466. & infra noſtra *Conſectaria ex libris Indicis*.

EX

Digitized by Google

EX CODICIBUS INDICIS

CONSECTARIA.

I De univerſalis diluvii memoria, fide, traditione inter Indos exſtante nullus datur dubitandi locus. Exſtat haec memoria in codicibus Indicis, in luſtrationibus, & purificationibus quotidianis, in ſymbolis & imaginibus, in fabulis Indorum & monumentis. Exſtat in *libris Indicis*. Vide ſupra in hoc opere *pag* 100 107. 109, librum Indicum *Bhagavada* ſtropha v. & vi. in *grammat. Samſcrdamica* pag. 172. 183. librum *Amaraſinha* ſect. കാലവര്ഗ്ഗഃ *Kàlavargga*, ſeu cap. de *tempore*, ubi diluvium ita deſcribitur: പ്രളയഃ praleya *deſtructio*, unde Malabarica dictio വെള്ളപ്രളയഃ vellapraleyam, *deſtructio per aquas*, *diluvium*. സംവര്ത്തഃ ſamvartta, *deſtructio univerſalis*. ക്ഷയഃ ksheya, *deſtructio*, *everſio rerum*. കല്പാന്തഃ kalpanda, *iuſtitiae*, *firmitatis*, *ethices finis*. Confer etiam dictionaria R. P. I. Erneſti Hanxleden, D. Pimenteli, P. Biſcoping, & P. Clementis a Ieſu ſub *his vocibus* inter codices Indicos bibl. S Cong. de Prop. Fide *num.* x. xi. xii. Memoria diluvii inter Indos exſtat in *eorum monumentis*. Vide in *Syſtemate Brahmanico* tab. ix. *b* tab. ix. *c*. & pag. 79. 80. 84. 216. 207., ubi Indicas tabulas *Viſhnu* dei mundum ex diluvii aquis educentis, & ſervantis illuſtravimus. Indicus codex *Mulpanci* inſcriptus, de quo egimus ſupra §. v *num.* iv. cantu *primo* habet: *v'era una ninfea* (lotus) *ſenza materia*, *ivi Dio fece la ſua dimora*, *ſopra quel fiore immateriale v'era un vacuo ... riſolvette di produrre li cieli*, *ed altre dimore*. Profecto vetera monumenta *Aegyptiaca* & *Indica* pleroſque ſuos deos in loto ſeu *nymphaea* ſedentes exhibent. Vide Caylus, & ſyſtema Brahmanicum *tab.* xii. xiii. & xiv. *b.* tab. xx. Confer Plutarchum *de Iſide*, & Porphyrii *epiſt. ad Annebonem*. Haec antiquiſſima *Cabiriorum* doctrina eſt, quorum meminit

San-

Digitized by Google

Sanchoniaton apud Euſebium *praep. Evang. lib.* 2. *cap.* 10. In loto ſedentes hi dii repraeſentantur, quia lotus ex calore & humore omnis generationis ſymbolum eſt, atque cum Deo ſibi inſidente indicat: Deum omnia ex humido & calido, ex aqua & igne procreaſſe. Sacellum Indicum muſei Borgiani *num. I.* in valva plicatili, interna facie chartacea, externa lignea picta, ſerie ſecunda in ipſo valvae centro deum നാരായണൻ *Nàràyana*, ſeu *Vishnu* exhibet corpore caeruleo fuſco ſeminudum folio loti incubantem, aquis innatantem, ac pedis ſui pollicem ori appoſitum ſugentem (1). Quare etiam P. Marcus a Tumba in *cod. mſſ.* in fol. muſei Borgiani *pag.* 117. ait: *Molti gentili ſoſtengono, che l'acqua è eterna* (quod falſum), *percio dicono, che nel principio il Dio Nàraen* (Nárâyena) *ſpirito ſupremo* (nempe deus aquae rector) *notava ſopra l'acqua, lorchè dal ſuo umbilico uſcì un fiore di ninfea, e da queſto fiore uſcì il Dio Brahma per crear il mondo.* Quemadmodum igitur gentiles *Vishnuvitae* mundum ex humido, ex aqua creatum fuiſſe credunt, ita plane eum in diluvio univerſali aquis merſum fuiſſe defendunt. De qua eorum fide & traditione nullum omnino dubium dari poteſt, cum haec opinio & fides quam luculentiſſime ex quotidianis eorum luſtrationibus & purificationibus comprobetur. Vide de his luſtrationibus ſupra *pag.* 98. 99. 100. ubi mundi creati, aquis expiati, & deſtruendi fides ex *luſtrationibus* palam & aperte oſtenditur. Confer Ovidium *Metamorph.* lib. 1. fab. 7.

II. Po-

(1) Sacellum hoc infra deſcribendum, exquiſiti laboris & artis Indicae inſigne monumentum Deum *Vishnu* corpore caeruleo fuſco *loti* folio incubantem & ſui pedis digitum ſugentem exhibet. Numen vivis coloribus expreſſum in capite gerit coronam margaritis diſtinctam, in fronte deae *Bhavani* ſacro rubeo ſigno rutilat, in manibus & pedibus armillas aureas geſtat, ex collo ſtolam rubeam pendentem habet, cingulo aureo gemmiſque diſtincto cingitur. Folium loti eſt viride, aqua cui innatat colore albo adumbratur. Vide huius dei formas varias in *ſyſtemate Brahmanico* tab. IX. a tab. IX. b. tab. IX. c. quae cum hac collatae mirifice mutuo illuſtrantur, diluviique traditionem illuſtrant. Confer in ſyſt. Brahmanico pag. 79. de *Vishnu*, & pag. 278. de creatione & diluvio ex Indorum opinione varia anecdota. Ex his argues *Vishnu* & *Krshna* Indicos deos non eſſe *Chriſtum*, ſed haec ſymbola & fabulas eſſe antiquiſſimas longe ante aeram vulgarem in India creditas, denique traditiones eſſe a veteribus Patriarchis acceptas, ac variis involucris obtectas.

Digitized by Google

II. Poſita hac creationis mundi, et diluvii baſi et epocha, prima mundi aetas Indica, quam *Krdayuga* vocant, incipit a creatione mundi: ſecunda, quam *dvidiayuga* appellant, a diluvio; in quo deus Vishnu in *piſcem*, in *teſtudinem*, in *aprum* incarnatus fingitur, ut labentem mundum ex aquis produceret, ſervaret, et *Manu* regem, virum iuſtum a diluvii aquis eriperet. Tertia hiſtorica mundi aetas Indica incipit circa annum 1550. ante *Chriſt. natum*, circa quem annum primo apparuiſſe fingitur *Vishnu* deus in *Krshna* ſeu Indicum *Apollinem* incarnatus, dum *Pandavis* opem tulit, eoſque regno reſtituit. Haec aetas duravit uſque ad annum circiter 747. ante Chriſt. natum, quo tempore ferrea Indorum incepit aetas, quam experti ſunt Indi, quando a *Dario* ſuperati graviſſimum penderunt tributum. Vide Herodotum *lib.* 3. *&* 4. Haec aetas ferrea a K*rshna* vate Apolline Indis praedicta fuit, dum K*rshna* ſagitta interfectus, et in lignum *Santali rubri* mutatus fuiſſe fingitur. Vide ſupra cod. Borgianum *Bàlagapuràna* §. V. n. I., in quo codice, uti etiam in B*hàgavada* triginta anni ab obitu ſeu apotheoſi dei K*rshnae* numerari praecipiuntur ad ferreae aetatis Indicae initium. Hi vero triginta anni non ad litteram et ſecundum annos ſolares computandi ſunt, cum apud Indos ſemper diverſa a noſtra obtinuerit annos computandi ratio et conſuetudo. (1) Vide de aetatibus Indicis Bayer, *Hiſtoriam regni Ba-*

(22) Non una ratio & modus eſt apud Philoſophos Indos annos aetateſque computandi. Exſtat aliquod veſtigium in libris Samſcrdamicis anni ſyderei a revolutione *Saturni* circa *Solem*, quam perficit 29. annis & dimidio, quam ob cauſſam Saturnus *Kàla* ſeu *tempus*, & *Pangu* ſeu *lentus* & *claudicans* dicitur, quod inter planetas ultimus ſuum circulum perficiat circa ſolem. Alii annos & aetates computant a revolutione fixarum in longitudinem a ſexaginta in ſexaginta annos, quem computum apud *Brabmanes* etiam animadvertit *Le Gentil* qui eum refert in actis acad. ſcient. Paris. 1772. 2. part. pag. 191 *Les quatre ages de la durée du monde dont les Indiens ſe vantent, ne ſont que des periodes aſtronomiqués, qu'on peut faire remonter a l'infini. car ſi tot que les Brabmes ſuppoſent la préceſſion des equinoxes de* 54. *ſecondes par an, la revolution du ciel entier ſera de* 24. *mille ans. Or les ages raportées ſont diviſibles par* 24000., *d'ou il ſuit, que ce ſont autant de periodes du mouvement des etoiles en longitude*. De hac periodo 60. annorum, ac de anno lunari Brahmanico confer R P. *Beſchi* grammaticam Tamulicam Tranquanbariae typis miſſionis Danicae *cap.* 5. §. 4. *pag.* 158 Waltheri Miſſionarii Dani, *Doctrinam Indicam de tempore* pag. 153. in *hiſtoria regni Bactriani* Petropoli 1732. Haec omnia indicant, *Magos* & *Samanaeos* Indicos diligentes aſtrorum obſervatores fuiſſe, ac proinde potiorem Indicae religionis partem ab *aſtronomia* ac *rebus naturalibus* deſcendere.

Digitized by Google

Bactriani edit. Petropol. 1732. *pag.* 180. 181. Sonnerat, *tom.* 1. *pag.* 216. *& seq.* Fourmont, *Reflexions critiques ſur les hiſtoires des anciens peuples*, tom. 1. praef. pag. VI. et ſeq. *Remarques generales ſur les characteres de Chronologiſtes*. Syſtema Brahmanicum *pag.* 209. Ceterum, opinio Indorum, quam ſupra attulimus *pag.* 107. 108. 109. 112. favere videtur illi eruditorum virorum ſententiae, quae non levibus de cauſſis docet, arcam *Noe* in *Carduchiis* montibus, aut certe aliis monti Tauro cohaerentibus ſubſtitiſſe. *Taurum* montem Scythae, *Himalam*, *Pàrvada*, ſeu *Caucaſum* Indicum in ſua ſummitate a diluvii aquis merſum non fuiſſe Indi opinantur; quod ſubobſcure indicare videtur, ab uno ex illis montibus genus humanum poſt diluvium deſcendiſſe, ac inde in alias orbis partes propagatum fuiſſe. Vide indicem geographicum pag. 586. ad *Xenophontis de Cyri expeditione libros ſeptem* cum notis *Stephani*, *Leunclavii*, *Portii & Mureti*, Oxonii *edit. ſec.* anno 1745.

III. Prima igitur poſt diluvium hiſtoriae & religionis Indicae epocha hiſtorica, quam ex Indicis libris elicere & ſtabilire licet, eſt ipſum *Pandavarum* & *Kauravarum* regnum & bellum. Quamvis enim hoc bellum, regeſque illi ſub quibus geſta fuiſſe traduntur, commentitii eſſe videantur, antiqui tamen illius temporis memoriam excitant, figunt, eiuſque epocham definiunt. *Pandiones* Graecos Athenienſes reges in ſeriem chronologicam poſt *Cecropem* collocat ad annum circiter 1550. ante Chriſtum natum eruditus auctor operis inſcripti, *Voyage du jeune Anacharſis en Grèce dans le milieu du quatrieme ſiecle avant l'Ere vulgaire*, ſeconde edition a Paris 1789. *tom.* 1. *pag.* 13. *& ſeq.*, ibique ex Herodoto, Platone, Pauſania, Diodoro, Demoſthene, Lucano, & Bocharto primam tunc cum *Phoenicibus* aliiſque *Orientalibus* communicationem, rude commercium; Agriculturae initium, litterarum ac ſcripturae cognitionem ab *Orientalibus* acceptam Graecis ſub *Pandione* rege aſſignat. *Pandiones* graecos in ſeriem Athenienſium regum etiam refert Apollodorus *lib.* 3. Herodotus, Pauſanias Atticae *pag.* 31. *edit. Lugd.* Clemens Alex., S. Hieronymus, & poſt eos Calmet, *Chronologiae ſeu rationarii temporum*. Venet. 1737. *pag.* 4. ubi *Pandionis* re-

gnum

Digitized by Google

gnum eo ipſe collocat ad annum circiter 1510., quod Erichtonio *Pandionis* ſucceſſori annum 1508. ante Chr. natum aſſignet. Verum ita obſcura eſt & intricata Graecorum *Pandionum* hiſtoria, ut inde luculentum, idque robuſtum argumentum deſumi poſſit, eam ex remotis orientis partibus in *Graeciam* illapſam, ac graeca iactantia ſimul ac primaeva illa ignorantia corruptam fuiſſe; praeſertim ſi *Apollodori*, *Pauſaniae*, *Strabonis*, *Sophoclis* & *Zezis* diverſos Graecos *Pandiones*, numerum eorum ſibi parum conſtantem, opinioneſque ſcriptorum Graecorum inter ſe pugnantes rite expendas. Tota Graecorum fabula Indicorum librorum praeſidio munita & illuſtrata, ad unum *Pandionem* & *Tereum*, atque ad Pandionis filios *Aegeum*, *Lycum*, *Pallantem* & *Niſum* facile reduci poteſt. Vide *Natalis Comitis* Mythol. lib. IX. cap. X, *pag.* 932. Ovid. *Metamorph.* lib. 2. fab. 7. 8. 9. *Cecrops* & *Pandion* primi Graecorum Athenienſes reges, fatentibus ipſis ſcriptoribus Graecis a *Nili* littoribus ex Aegypto in Graeciam commigrarunt, & *Athenas* condiderunt. Vide ſcriptores allatos *locis cit.* Kauravae, & Pandavae Indici ab avis deſcendunt, qui per *fluctuans lignum* a diluvio univerſali ſervati ſunt, atque ex eorum ſemine & proſapia Krshna Indicus Apollo, qui quinque fratribus *Pandavis* apparuit, incarnatus fuiſſe fingitur. Vide in grammatica Samſcrdamica *pag.* 172. *&* *ſeq.* libri Indici *Bhagavada* ſtroph. V. & VI., codicem Borgianum ſupra §. IV. num. III. *pag.* 119. 120. *&* *ſeq.* Lib. Indicum *Yudhishdiravigea* cap. 4. 5. 6. codicem bibl. regiae Pariſ. *fol.* 434. num. 260. *Poema de quinque fratribus Pandaw*. Hi Indici *Pandiones* ſeu *Pandavae* a diluvio ſervati, ac per *fluctuans lignum* in Indiam delati, gentis Indicae progenitores, reges, & duces ſunt. Huius rei hodiedum luculenta veſtigia in India exſtant. *Pandavarum* regio & provincia ſita erat inter *Hydaſpem*, qui ſecundum D. D'Anville eſt fluvius *Shantrov*, & inter amnem *Yamuna* ſub gradu *lat. bor.* 30., ubi ad fluvium *Chaul*, vel *Shaul*, hodiedum exſtant veſtigia urbis ജനെകപുരി *Genégapuri*, quam D. *De l'Ile* aliique corrupte ſcribunt *Iengpor*,

 aut

aut *Genegpur*. ജനഃ gena, *homo*, *vir*, *perſona*. ഏകഃ ega, *unus*, *primus*, *ſolitarius*, unde exſurgit dictio: *Genégapuri*, *primi hominis urbs*, qui primus homo *Pandavarum* avus per fluctuans lignum a diluvio ſervatus hanc urbem condidit. Tota illa provincia quae inter *Hydaſpem* ſeu *Shantrov*, & fluvium *Tamuna* interiacet, hodiedum inſcribitur *Bando*, quod vocabulum corruptum eſſe perſpicis a voce *Pandu*, *Pando*, & in plurali *Pandava*, *Pandavi*, *Pandiones*. Vide mappam geogr. *D. De l' Ile* ſub gradu 25. Urbes *Pandavarum* erant *Lahur*, *Delly*, *Genégapuri*, *Agra* & *Madura*. Lahur Ptolemaeus corrupit in *Labaca*, Dakshina Arrianus & Strabo in *Taxilla*, Madura Plinius in *Methora*. Vide Anquetilii, *Recherches hiſtoriques & géographiques* 1. part. pag. 32. 33. Plinium *hiſt. nat. lib.6. cap.* 20. Arrianum *hiſt. Ind. cap.* 8. *pag.* 564. Expedit Alex. M. *pag.* 555. *edit. Amſtel.* Ptolemaeum *Geogr. lib. 6. tab.* 5. *pag.* 94. *edit. Argent.* ubi ait: *Circa Bedaſpum* (Hydaſpum hodie Shantrov) *Pandavarum regio in qua civitates hae*: Labaca &c. In urbe *Madura*, quam Ptolemaeus inſcribit: *Modura quae* θεῶν, *id eſt deorum dicitur*, natus fuiſſe & quinque afflictis miſeriſque fratribus *Pandavis Krshna* deus Indicus *Apollo* apparuiſſe fingitur, atque duce & bellatore ipſo extorres *Pandavae* ſuo regno reſtituti ſunt. Vide ſupra codicem Borgianum §. IV. *num.* III. *pag.* 119. *& ſeq.* Collocata igitur belli *Pandavarum* epocha ad annum 1550. ante aeram vulgarem, quo Graeci collocant ſuum *Pandionem*, tempus Indorum Heroicum, quo primus vates hesychaſta *Krshna* Indicus Apollo, omnium legum conditor, & poematum auctor prima vice apparuit, incipit circa annum 1550. ante aeram vulgarem. Hoc tempore *Mercurius* planeta Oſiridis & Iſidis ſeu *Shivae* & *Párvadi* deae *conſiliarius*, mens ſeu *Budha*, legum humanarum & inſtitutionum *auctor*, primus Solis dei *contemplator*, rerum naturalium & moralium *ſator*, Godoma ſeu *paſtorum deus*, viatorum dux & rector ſeu *Terminus*, Mercatorum & nundinarum *praeſes*, ephemeridum baiulus & *nuncius*, *alipes* & *cenſor*, belli paciſque amicus, *caducetum* portans, magi-

Digitized by Google

giſter ſeu praeceptor philoſophorum ac *Cabiriorum* poetarum, aſtronomicum denique illud poetarum fictionibus obvolutum numen in mundo apparuit. Vide ſupra cod. Borgianos §. I. num. I. II. III. §. III. *pag.* 59. *&* *ſeq.* §.III. num.V. VII. & VIII. (1). Hoc tempore *Cabiriorum* ſeu poetarum ſchola & prima inſtitutio eſt collocanda (2), hoc leges Indicae ſeu *Véda*, poemata, & heroica bella afflante *Védavyáſa* vate ſeu Apolline compoſita & cantillata (3), hoc characterum ſeu ſcripturae inventio (4), hoc veterum *Patriarchalium* traditionum involucra & transformatio, cultus aſtronomici & religionis naturalis in fabulas, in ſymbola, & metaphoras tranſmigratio. Vide & expende ſymbola et ritus de quibus egimus ſupra *pag.* 98. *&* *ſeq.* ac cumprimis ſymbolum ſeu ſtatuam *Oſiridis* creatoris cui a tergo latens adhaeret *Iſis* ſen *domina* et *natura* omnium deorum et rerum mater *pag.* 103. *&* *ſeq.* Herodotus *lib.* 1. *pag.* 27. edit.Col. de veteribus *Perſis* diſſerens ait: *Perſis neque ſtatuas, neque templa, neque aras exſtruendi conſuetudo eſt, quinimo hoc facientibus inſaniae tribuunt. Ob id, ut mea fert opinio, quod non quemadmodum Graeci* (N.B.) *ſentiunt deos ex hominibus eſſe ortos. Moris habent in montibus Iovi hoſtias immolare, omnem gyrum caeli Iovem appellantes. Soli, Lunaeque ſacrificant, & Telluri; Igni, aquae atque ventis, hiſque ſolis ſacra faciunt iam inde ab initio. Uraniae* (Veneri quae dea B*haváni* eſt ſeu natura) *quoque ſacrificant, ſic nimirum ab Aſſyriis Arabibuſque edocti.* Addit Origenes *lib.* 7.

 cont.

(1) Bergier *Origine des dieux du Paganiſme* tom. 1. pag. 38. *Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quae eſt in caelo deſuper, & quae in terra deorſum, nec eorum quae ſunt in aquis ſub terra.* Exod. *cap.* 20. *verſ.* 3. 4. 5. Daniel Bechius, *commentatio de ſenſu critico maxime excitando*, Lipſ. 1791. *pag* XXXI. Herod. *lib.* 8. *cap.* 55. Cicer. *de nat. deor* *l.* 3. *cap.* 19. Pauſanias *lib.* 1. *cap.* 26.

(2) Sanchoniaton apud Euſeb. *praep. Evang.* ſecund. frag. *lib.* 1. *cap.* 10. Ταῦλα δὲ &c. Vide codicem Borgianum *Mulpanci* §.V. num. IV.

(3) De Baccho Indico vide cod. Borgianum *Rámáyana* inter cod. Indoſtanos §.V. *num.* V. de Apolline ſeu *Krshna* confer ſupra §.V. *num.* 1. librum *Bálagapurána*, & ſyſtema Brahmanicum *p.* 146. 147.

(4) Herod. *lib.* 5. *cap.* 58. Bochart, *geogr. ſacr.* *l.* 1. *cap.* 20. Examen hiſtorico criticum codicum Indicorum *p.* 35. 36 ſyſtema Brahmanicum *pag.* 184. 215. Codex Malab. *num.* III. §. IV.

Digitized by Google

cont. Celſum pag. 517. edit. Paris. *Perſae ſtatuas non dedicant . . . ut equidem opinor , quia deos non credunt humana ſpecie , quae Graecorum eſt opinio*. Aſſyrii itaque , Arabes et Perſae *Solem*, *Lunam* , *ignem*, *aquam*, *naturam* adorabant, non autem homines, quod noſter perperam iactat cenſor , et quia Indi deos humanam ſpeciem et formam ſaepe induiſſe credebant , quemadmodum etiam Aegyptii: inde apud Indos primo quidem Sabaiſmus ſeu aſtrorum et naturae cultus , deinde etiam idololatria et ſymbolorum veneratio exorta eſt . Ne autem exiſtimes Perſas ab hoc ſymbolorum cultu plane immunes fuiſſe . Vide quae de *Perſis* dicat *Xenophon de Cyri inſtit.* edit. Lond. 1738. *pag.* 464. *Cum ad delubra* (N.B.) *perveniſſent ſacrum Iovi fecere* (caelo): *deinde Soli combuſtis equis integris . Deinde Telluri mactatis hoſtiis id facere quod Magi docuerant*. Delubra ergo, ſtatuae, et ſpecus *Mithriacae* quemadmodum in India, ita et in Perſide exſtabant, quia apud rudem populum aſtrorum et naturae cultus cum ſymbolis et ſtatuis quaſi ſemper pari paſſu incedebant. *Non facies tibi ſculptile* ait Moſes ad Iſraelitas, et iterum Exodi cap. 20. v. 3. 4. 5. *Non facies tibi ſculptile*, *neque omnem ſimilitudinem*, *quae eſt in caelo deſuper*, *& quae in terra deorſum*, *neque eorum quae ſunt in aquis ſub terra* . Et Ierem. c. 44. v. 17. *Sacrificemus reginae caeli* , *& libemus ei libamina*. Libant vero *Lunae* hodiedum Indi, dum ei herbarum ſacrificium സോമയാഗം *ſomayága* dictum offerunt , ac deae *Párvadi* , quae eadem eſt *Luna* ſymbolica , gallorum ſanguinem libant . Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 7. 14. 15. 99. *& ſeq.* Rudium itaque ſtatuarum uſus antiquiſſimus eſt, ac merito ad *Pandavarum* tempus reiici poteſt, quo et Indicae gentis cultus incepit; cum *Pandavae* equis , elephantis , curribus , gladiis , ſagittis manus conſeruiſſe , ac ut ſtrenui et exercitati bellatores proelia geſſiſſe dicantur in lib. *Yudhiſhdira* cap. 4. *Shloga* 3. 4. 5. et ſeq. Paullo poſt hoc tempus *Ceres* fictitia dea Athenas venit, *Ianus* aſtronomicum numen *Solis* et *Lunae* filius (1) in Italiam ſe-

(1) Syſtema Brahmanicum *pag.* 170. *& ſeq.*

ſeceſſit, *Saturnus* Latium occupavit (1), Bacchus iunior ſeu *Shriráma* Indiam expolivit, *Krsbna* deus ſeu Apollo vaccas pavit, *Hercules* denique duodecim ſolis domos luſtrans varia caeleſtia animalia proſtravit. Ad haec quoque tempora reiicienda eſt fundatio urbis Indicae *Nyſae*, quae eadem eſt ac *Shrinagari*, *Nisbadabur*, et Ptolemaei *Nagara* ſeu *Dionyſopolis*. Vide S. Hieronymum *oper. tom.* 8. *edit. Venet. pag.* 210. Strab. *lib.* 15. ex Sophocle de *Nyſa* Indica differentem. ശ്രീ Shri *beatus*, *celebris*, *potens*: unde ശ്രീമാൻ Shrimán, *vir opulentus*, *locuples*, *celebris*, *potens*. നഗരി nagari vel nagara, *urbs*, unde exſurgit dictio *Shrinagari*, potentis, beati, celebris dei, nempe B*acchi iuvenis urbs*. Hanc revera urbem Indi et Graeci a Baccho conditam fabulantur. Plinius hiſt. nat. lib. 6. cap. 20. *Nyſam urbem pleriquae Indiae adſcribunt*, *montemque Meru Libero patri ſacrum*, *unde origo fabulae*, *Iovis ſemine editum*. Ptolemaeus Geog. lib. 7. cap. 1. tab. x. pag. 117. 118. edit. Lugd. ait: *Nagara*, *quae & Dionyſopolis ſub fontibus Gangis*. Photius de *Apollonii Tyanaei* itinere bibl. pag. 998 edit. Roth. *Bacchus Nyſeus a Nyſa quae in India eſt*, *nuncupatur*. D'Anville, Geograp. ancienne tom. 2. pag. 339. *Les traditions Indiennes ſont mention de Nyſadabur*, *c'eſt à dire*, *ville de Nyſa*, *& d'un Heros*, *qui en eſt ſorti*. *Ptolemée nous en donne la poſition ſous le nom de Nagara*, *en ajoutant*, *que ſon nom eſt auſſi Dionyſopolis*. Sita eſt inter *gradum* 32 *&* 33. ſed in recentiſſima mappa geographica R. P. *Tiefentaller* Miſſionarii Indici ſub gradu *lat.* 31. haud procul a *Gange* ad fluvium *Allaknandara*, qui eam in duas partes ſecat, ac placido murmure demulcet, collocata eſt. Vide *Cours du Gange & du Gagra* a Paris 1784. Haec urbs a *Baccho*, ut apud Diodorum Sic. *Pallimbothra* (Pallipatur) ab *Hercule*, et *Madura* a *Madhu* gigante condita fuiſſe fertur, quia Indi aeque ac Aegyptii urbes ſuas a diis & deabus conditas fuiſſe fabulantur. Vide ſupra cod. *Argiunguita* §. V. num. II. Haec igitur omnia, quamvis fabulis in-

(1) Macrobius *Saturn. lib.* 1. *cap* 7. 8. 9. Calmet, *Chronologiae ſeu rationarii temporis* pag. 6.

intermixta palam et aperte commonſtrant, gentis Indicae religioſum & civilem cultum antiquiſſimum eſſe, neque iam de hoc argumento aliquod dubium ſupereſſe. Quamvis igitur Indi ſive ab *Elam*, ſive a *Chus* (1) deſcendentes ab initio paſtores fuerint, ut ait Arrianus *Hiſt. Ind.* lib.1. cap. 1. pag. 321., attamen circa annum 1560. ante aeram vulgarem artibus, militia, ſcriptura, ſymbolis, urbibus & legibus inſtructi fuiſſe videntur (2). Non igitur erant Barbari, quod Graecorum aliqui opinabantur (3).

IV. Conſtituta *Pandavarum* belli epocha, ulterior ad hiſtoriam Indicam patet acceſſus. Diod. Sic. *lib.*2.*pag.*129. edit. Amſtel. ait: *Audiens* (Semiramis) *Indorum gentem inter ceteras toto orbe maximam eſſe & ampliſſimam, pulcherrimamque obtinere terram, bellum Indiae inferre conſtituit*. Et *pag.* 134. poſtquam bellum *Semiramidis* iam uberrime deſcripſit, toti hiſtoriae finem imponit his verbis: *Semiramis* (ex Indico bello redux) *per-*

mu-

(1) *Armeniam Otrus tenuit, Getheris Bactrianos*. Ioſeph. ant. Iud. *lib.*1. *c.*7. *pag.*15. Conf. etiam lib.1. cap.6 *Illo ex tempore* (poſt linguarum confuſionem) *diſperſi ſunt paſſim coloniis nuſquam non ductis*.

(2) *Herodotus* ex indigeſtis Graecorum, aliorumque mercatorum fabulis & relationibus omnino rudem & fabuloſam de Indis tradit notionem. Cauſſa huius rei eſt: quod mercatores littora legant, maritimas urbes oberrent, numquam vero interiora locorum petant. Congerunt, quae a viliſſimis Indis audiunt, illis ſua ſomnia addunt. Herodotus tamen *lib.*3. & 4. Indos in *paſtores*, *piſcatores*, *milites*, & *gymnoſophiſtas* ſatis aperte diſtinguit. Quatuor hae hominum claſſes hodiedum in India exſtant. Paſtores *Idayagiádi*, id eſt, *paſtorum tribus* dicti, hoedos & capras paſcunt. Piſcatores pluviae tempore *veſtem* cucullatam e *tegete*, id eſt ex foliis palmarum *Coco* contextam *in modum ſtoreae* tamquam *thoracem* vel palliolum defluens induunt. Gymnoſophiſtae *nullum animal interimunt*, *atque herba victitant*. Vide *Herodotum* ipſum, Strab. lib.15. Arrianum *in hiſt. Ind. cap.* 13. *pag.*574. *c.*10. *pag.* 571. Syſt. Brachmanicum *pag.*213.

(3) *Satius eſſe inquit* (Eratoſthenes) *virtute & malitia haec dividi. Complures enim Graecos malos eſſe, & Barbaros urbanos, ſicut Indos, & Arianos, Romanos etiam & Carthaginenſes Reſpublicas permirifice tractantes*. Strabo *l.*2. En inter quos populos *Eratoſthenes* Indos numerat. Confer Ioſeph. *cont. Apionem* lib.1. edit. Francof. pag. 877. 873. 884. *Gentium occidentalium ignorantiam condemnat* (Anacharſis), *nec fere ullum apud eas* (tempore Anacharſis) *liberales artes caluiſſe contendit, praeter admodum paucos*. Cyrilli Alex. & Iuliani Imperat. Opera Lipſ. 1696. *tom.*2. *lib.*4 *pag.*133. *Sextum genus eſt Epiſcoporum* (in India), *ſive inquiſitorum: hi quid in urbibus, quid in agris agatur inquirunt, eaque regibus, ſi per reges gubernentur, aut magiſtratibus, ſi liberae civitates ſunt, denuntiant. His fas non eſt falſa pro veris denuntiare*. Arrianus *hiſt. Ind.* cap.13. item cap.15. & 16.

Digitized by Google

mutatis captivis in Bactra vix tertia exercitus parte ſalva remeavit. Plinius *lib.* 6. *cap.*16. Hircaniae, Parthiae, Bactrianae, & Sogdianae gentes deſcribens, dum Indiae oppidum *Panda*, atque *Alexandriam* (Barygazam ſeu *Baroche* in ſinu *Cambayae* ſitum) attingit, ait: *Ultra* (Bactrum hodie *Balk*) *Sogdiani, oppidum Panda*, *in ultimis eorum finibus Alexandria, ab Alexandro M. conditum. Arae ibi ſunt ab Hercule ac Libero patre conſtitutae, item Cyro & Semiramide atque Alexandro* (in ſuo nempe per amnem *Indum* ex bello cum *Poro* geſto reditu). Et *cap.* 17. ex Varrone addit: *Adiicit idem* (Varro) *Pompei ductu exploratum, in Bactros ſeptem diebus* (pedeſtri, & militari itinere) *ex India perveniri ad Icarum flumen, quod in Oxum influat*. Denique *cap.* 23. dum de *Carmania* & *Capiſſena* diſſerit, ait: *A proximis Indo gentibus montana Capiſſenae habent Capiſſam urbem quam diruit Cyrus. Arachoſia cum oppido & flumine eiuſdem nominis, quod quidam Cophen* (hodie *Cow*) *dixere, a Semiramide conditum*. Quamvis igitur *Cteſias* nugator ſit, ac multa fabuloſa de India referat (1), attamen *Cteſias* ex quo Diodorus *Semiramidis* in Indiam invaſionem prodidit, plus exageratione, quam mala fide peccaſſe videtur. Is circa annum 400. ante aeram vulgarem in *Perſide* multo tempore verſatus eſt, ac proinde Aſſyriacas, Medicas, Perſicas aliquas traditiones aut libros obtinuit, auxit, exaggeravit. Nec obeſt Strabo *lib* 15., qui *Megaſthenem* objicit ex Indorum ſententia dicentem: *Neminem ante Bacchum & Alexandrum M. Indos ſubegiſſe*; aliud enim (2) eſt gentem Indicam ſuo imperio ſubiicere, aliud Indiam invadere, manus conſerere, vinci, & terga vertere. Profecto *Semiramidis* in Indiam invaſionem ex *Nearcho* potius confirmat Strabo *lib.*15., ait enim ex Nearchi ſententia ideo Alexandrum per *Gedroſiam* in Indiam contendiſſe, quia *intellexerat*: *Semiramim ac Cyrum* (qui per *Bactrianam* duxiſſe videntur) *exercitum in Indiam duxiſſe, & illam cum viginti hominibus, & Cyrum cum ſeptem aufugiſſe*. Confer Arrianum Hiſt. Ind. *lib.*1. *cap.* 1. Adde, non eſſe in

(1) *Cteſiae Cnidii* Indicorum liber apud *Photium* bibl. *pag.*144 *& ſeq.* Strabo *lib.*2.

(2) Singulares ſunt aliqui critici, Nullam veteribus fidem adhibendam eſſe cenſet, omnem ſibi. Vide *Ioannis Clerici* artis criticae *part.* 2. *ſect.*1. *cap.*13. *reg.*12.

in hac re audiendum *Megaſthenem*, quia ipſe Indorum tantum traditionem refert, non autem Perſarum & Aſſyriorum; tum quia ipſe ad *Gangem* in urbe *Pallibothra* apud regem *Ciandracotta* (Graecis *Sandracottum*) verſatus eſt, ac ab *Indo* fluvio, ad quem *Semiramis* duxit, quam longiſſime diſtans, traditionem gentis *Gangeticae* refert, quae gens re vera uſque ad *Alexandri* & *Seleuci Nicatoris* tempus nullius exteri regis arma perſenſit. Adde, *Megaſthenem* ſcriptorem Graecum eſſe, ac proinde Alexandri M. hiſtoriae exaggeratorem, qui plus Graecis, quam Perſis & Aſſyriis perlubenter tribuat. Neque hac in re Indorum ſententia et auctoritas, qua cauſſam ſuam tuetur *Megaſthenes*, plus ponderis habere debet, quam exterorum ſcriptorum, a quibus una cum Indorum traditionibus Indicae hiſtoriae fides & veritas eſt dimetienda.

Adde his argumentum intrinſecum, nam Diodori *Strabrobates*, qui *Semiramidi* Indiam invadenti obſtitit, eiuſque exercitum accepta clade tandem ſuperavit, ex ſua nominis etymologia, verus Indiae rex fuiſſe videtur. Primae nominis partis ſignificationem ignoro, at terminatio eius in *bates* ſatis indicat, nomen compoſitum eſſe ex பதி *badi* vel *bati* cum littera *t.* leni, *vir*, *maritus*, *dux*, *rex*, unde dimanat *Stabrobadi*, quod Graeci corruperunt in *Stabrobates*, ut *Ganga* in *Ganges*, *Yamuna* in *Imanes* et *Diamuna*, *Meru* in *Meros*, *Dakshina* in *Taxilla* et *Delly*, *Pandu* in *Pandion*, *Sindhu* in *Sandus* et *Indus*, *Ciandracotta* Indici regis nomen, qui Graecos ex India expulit, in *Sandracottus* (1). Adde his omnibus navium et elephantorum apparatum, *Indum* amnem in *Diodoro* rite deſcriptum, ex *Herodoto* Indicae gentis iam inde a remotiſſimis temporibus ingentem multitudinem, pugnae modum et circumſtantias, *Semiramidis* per *Bactrianam* receſſum. His omnibus rite

(1) *Eorum* (locorum) *quae ſecus Indum ſunt*, *partem habent Indi*, *cum prius eſſent* Perſarum. *Ea Alexander Arianis ademit*, *& per ſeſe conſtituit*. *Poſtea Seleucus Nicator ea dedit Sandracotto contracta cum eo affinitate*, *ac pro iis quingentos elephantes accepit*. Strabo *lib.* 15. & *lib.* 2. *Miſſi fuerunt* (a Seleuco) *ad Palimbotta* (*Palimpatur* ad fluvium *Yamuna* ſitum ſub *grad. lat.* 26. ubi reſidebat Sandracottus) *legati*: *Megaſthenes quidem ad Sandracottum*, *Deimachus vero ad Allitrocbaden eius filium*. Confer Plinium & Arrianum.

te penſitatis, de *Semiramidis* ambitione et dominandi cupidine inflatae feminae in Indiam invaſione vix aliquis datur dubitandi locus. (1) Confer de *Semiramide* et *Nino* etiam Iuſtinum *lib.* 1. Quod eam in *columbam* poſt obitum mutatam fuiſſe, aliaque his ſimilia fabulentur, meminerit lector, *Magos* Medos, Perſas, et Indos animae tranſmigrationem in homines et animalia docuiſſe, id quod ex Platone de *Zeroaſtri* animae regreſſu inſinuat Clemens Alex. (2), et Peguanus Philoſophus *Dhermarágia guru* ſupra §. I. num. III. in *compendio legis Barmanorum*. Haec igitur *Semiramidis* in Indiam invaſio praecedentem *Pandavarum* epocham confirmat, ſimulque Indicae gentis civilem ac religioſum cultum perantiquum perſpicue commonſtrat. Non igitur Baccho alicui extero, non *Seſoſtridi* Aegyptio Indici civilis cultus initia ſunt adſcribenda, nam Bacchus et Apollo fabuloſi heroes ſunt et Seſoſtris *Pandavis*, *Semiramide*, ipſo *Moſe* et *Salomone* iunior eſt. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 305. 306. 307. et ſupra §. V. num. V. codicem *Ràmàyàna* inſcriptum. Adiunge his, *Magos* Indicos primos fuiſſe, qui animae immortalitatem (3) eiuſ-

 que

(1) *Semiramidis* ejuſdem apud *Aſſyrios* geſtorum meminit Herodotus *lib.* 1. *pag.* 36. *edit. Col.* Diod. Sic. *lib.* 2. *edit. Amſt.* cum notis *Rhodom.* & *Weſſelingii*, Strabo, Plinius & Iuſtinus *locis citat.* Tabulae chronologicae ſacrae ad S.Bibl. *edit. Venet.* 1723. Boſſuet, *Discorso sopra la ſtoria universale pag.* 389. *edit. Venet.* Raynal, *Storia generale dell' Aſia &c.* tom. III. in Firenze 1780. *pag.* 151. 152. 153. ubi pauca illa argumenta, quae huic *Semiramidis* in Indiam invaſioni obſtare videntur, diluit. Incredibile eſt, Semiramidis hiſtoriam omnes ſcriptores ab Herodoto deſcripſiſſe. Nam *Cteſias* ea refert, quae de illa tacet *Herodotus*, & hic in Graecia, alter in Perſide ſcripſit. Adde his teſtimonia Arabum, Perſarum, et Medorum de Semiramide.

(2) *Zoroaſtrem* (*Ceratbuſt*, Arabibus *Zerdeſet*) *Plato, die ab interitu duodecimo, iam rogo impoſitum revixiſſe memorat. Quibus forte reſurrectionem* (potius tranſmigrationem ſeu regreſſum animae in novum corpus), *forte alterum illud ſubobſcure ſignificat, animos cum recipiuntur in caelum, per ſigna Zodiaci duodecim viam inire: per quae ſimiliter, eoſdem ait, cum hic generatio ſit, deſcendere ſolitos. Nec aliter accipiendum eſt, duodecim* Herculem *certamina confeciſſe, quibus exhauſtis, ab univerſi huius mundi anguſtiis animus liberetur.* Clem. Alex. *Strom. lib.* 5. *to.* 2. *pag.* 711. *edit. Venet.* Haec Clementis verba cenſor noſter, cui de *Hercule Indico* diſputare placet, menti ſuae & memoriae bene imprimat. Vetus heic quoque de tranſmigrandi modo *Magorum* doctrina eſt animadvertenda.

(3) *Primos omnium Chaldaeos & Indorum Magos memoriae prodidiſſe novi, eſſe hominum animos immortales. Aſſenſi deinde ſunt eis tum alii Graecorum, tum Ariſtonis filius Plato.* Pauſanias *lib.* 4. *pag.* 512. Theopompus *e Magorum ſententia in vitam redituros homines dicit*, im-

que tranſmigrationem docuerint (1), ab ipſis Graecis ſcriptoribus perhiberi; Indos plurimas urbes iam inde ab antiquiſſimo tempore poſſediſſe (2), primos philoſophiam docuiſſe, antiquiſſimarum Aſiae nationum Hebraeorum, Aegyptiorum, Arabumque naves in ſuis portubus recepiſſe, ac cum iis commercia exercuiſſe (3); Cyro, Dario, Alexandro, cultu ſuo, legationibus, militia, artibus et commercio notos fuiſſe, ac a remotiſſimis temporibus cum aliis Aſiae nationibus communicaſſe. Quae cum ipſi bonarum artium aemuli, et gloriae ſuae iactatores fateantur et perhibeant *Graeci*, ea nos credamus, iiſque aſſentiamur eſt neceſſe. Vide Herod. *lib.* 1. *pag.* 36. de *Semiramide* ac de *Medis*, qui ab Aſſyrico imperio primi defecerant. Hos *Medos* tandem ſubiecere *Perſae*, et hi iterum *Maſſagetas* et *Indos* uſque ad urbem Indicam *Caſpiram* ſeu *Cashemir*. Quo-

immortaleſque futuros; & univerſa illorum precationibus permanſura. Diog. Laert. *in prooemio num.* VI. *pag.* 7. *edit. Lipſ.* Confer §. I. n. III. *compendium legis Barmanorum* pag. 25. 26. Strabo *lib.* 15.

(1) Philoſtratus apud Photium *cod.* 241. Compendium legis Barmanorum *loc. cit.* Clemens Alex. *Strom. lib.* 5. *tom.* 2. *pag.* 711.

(2) Plinius hiſt. nat. *lib.* 6. *cap.* 19. 20. Strabo *lib.* 15.

(3) Frid. Sam. de Schmid., *Opuſcula quibus Aegyptiorum res antiquae explanantur*, Carolſruhae 1765. *Diſſertatio* IV. *de commerciis & navigationibus Ptolemaeorum* pag. 170. 175. 182. Arrianus, seu auctor *Peripli maris Erythraei*, inter geographos minores *vol.* I. Oxoniae *p.* 5. *& ſeq.* Plinius *hiſt. nat.* lib. 6. cap. 22. *Sed de Taprobane, quamvis extra orbem* (a Romanis tunc cognitum) *a natura relegata, noſtris vitiis caret. Aurum argentumque & ibi in pretio. Marmor teſtudini ſimile, gemmae, margaritaeque in bonore multo praeſtantiores, & totius luxuriae noſtrae cumulus*. Taprobanae, Paleſimundi, & *Salica*, eadem quae *Ceylan* ſeu *Sailan* per oram Malabaricam ab antiquiſſimo tempore naves recipiebat, quia in urbe *Nigama* hodie *Negapatnam*, in *Covalam* olim *Colon* ſeu promontorio *Comorino*, & in *Arampulli*, olim *Argaropolis*, oppido in ora *Parava* ſito, Malabarenſes, Gangaridae, Peguani commeantes ebur, lignum *Teka*, sindones, gemmas, margaritaſque Ceylanenſes vendebant. Huc refluebat Romanum aurum argentumque, de quo *Plinius* queritur. Ex longitudine itineris, ex littoribus, ex directione navium *Salomonis*, ex *gemmis*, ex *ebore*, ex *pavonibus*, ex *ſimiis*, ex *auro* Gangetico & Peguano *obryzo*, ex *lignis thyinis* ſeu ligno *Teka* dicto, quae omnia *Salomonis* naves in *Aſiongaber* revehebant, res certa eſt, naves *Salomonis* per oram Malabaricam uſque ad inſulam *Ceylan* navigaſſe. Vide Reg. 3. *cap.* 10. *v.* 22. *cap.* 9. *v.* 26. 27. 28. Reg. 3. *cap.* 10. *v.* 11. Paral. 2. *cap.* 9. *v.* 21. Vix credibile eſt, quantum geographiae & commercii imperiti expoſitores hos ſcripturae locos intricaverint. Confer Renaudot, *Anciennes relations des Indes* pag. 133. *De l'Ile de Ceylan*. De eadem Plinium *hiſt. nat. lib.* 6. *cap.* 22. D'Anville *lib. cit. t.* 2. *pag.* 359. Cellarii, *Notitiae orbis antiqui lib.* 3. *cap.* 22. §. 28. 29. *pag.* 728. *& ſeq.*

Digitized by Google

Quocirco idem Herodotus *lib.* 1. *pag.* 40. *edit. Colon.* Cyrum Cambyſis filium in *Maſſagetas*, montes *Himala* ſeu *Imeyos* incolentes duxiſſe, atque a *Tomiri* regina victum fuiſſe prodidit. Confer d' Anville *géograph. ancienne* tom. 2. pag. 346. ubi ait: *On voit dans l' expédition de Timur un reſte nombreux d'un peuple du nom de Getés, ſubſiſtant au centre de l'Inde entre l' Indus & le Gange*. Et quamvis *D' Anville* hos Getas ſeu *Maſſagetas* ſtabilito in *Bactriana* Graecorum imperio in Indiam devolutos fuiſſe exiſtimet, ex itinere tamen *Apollonii Tyanaei* apud Photium *cod.* 241., S. Hieronymum *ep. ad Paulinum*, et Ptolemaeum *geogr. lib.* 7. *tab. x. edit. Lugd.* palam et aperte conſtat: ad montes Indicos *Parvada*, *Himala*, ſeu Graecorum *Imaeyam* Maſſagetarum aliquas ſedes fuiſſe, ac proinde non ſolum Indicam Samanaeorum philoſophiam ad Perſas et Graecos perferri potuiſſe, ſed Maſſagetas, quos *Timur* in India invenerat, gentem fuiſſe, quae fortaſſis non a Graecorum in *Bactriana* imperio, ſed ab ipſo Cyri in *Maſſagetas* expeditionis tempore in India delituerat. Profecto Cyri cum Indis communicationem non improbat, quin imo confirmat Xenophon *de Cyri inſtit. edit. Lugd.* 1738. *pag.* 115. 116. 117. 118. *pag.* 4. *pag.* 333. & *pag.* 157. ubi ait: *Cyrus cum audiſſet Chaldaeos ad Indum ſaepe proficiſci, recordatus ab hoc* (fluvio Indo) *veniſſe quoſdam ad Medos, qui quid rerum apud ipſos gereretur, explorarent &c.* et pag. 333. rex *Indiae* a Cyro requiſitus, Cyro ſcribit et pecunias mittit: *Gratum mihi eſt, Cyre, te mihi ſignificaſſe, quibus tibi rebus opus eſſet &c.* Confer Herod. *lib.* 1. *pag.* 27. 23. 20. *lib.* 3. *pag.* 92. 99. Xenoph. *pag.* 277. 278. & *ſeq.* de gente *Carduchia* et montibus *Carduchiis*, qui inter Hircaniam Indiae proximam et Tygrim fluvium collocandi ſunt, non autem ad *Tigrim* in *Armenia* aut *Aſſyria*, quo eos transfert Bochart *in phaleg.* ſeu *geogr. ſacrae l.4.c.*19. Vide Cellar. Geogr. antiq. de *campo Hircanio*, Indicem geogr. *ad Cyri exped.* Oxonii 1745. *p.* 586. 598. D'Anville *tom.*2. *l.cit.* Plinium *hiſt. nat. lib.* 6. *cap.* 15. qui gentes circa *Hircanum* mare deſcribens, *Carduchos* quidem ad *Tigrim* collocat, ſed *Parthiae*, hodie *Kordiſtan*, et *Hircaniae* conjungit, ac deinde *Parthiae* deſertorum ac *Citheni jugorum* meminit. Confer de *Hircania* Ariae

Aa 2 In-

Digitized by Google

Indicae provinciae proxima Strab. *lib.* 2. S. Hieronymum epiſt. *ad Paulinum*, Philoſtratum apud Photium *loc. cit.* Clem. Alex. *ſtrom. lib.* 1. *p.* 359. edit. Venet. Cyrill. Alex. *tom.* 2. *p.* 133. edit Lips. Strab. *lib.* 15. *Abi reddito mihi filio ex hac regione, ferens impune, quod tertiam Maſſagetarum partem profligaſti. Quae niſi feceris, per ſolem juro Maſſagetarum dominum, fore ut ego te ſatiem.* Et Paullo infra; *Tomyris autem contractis ſuis copiis ita conflixit cum Cyro, ut hanc pugnam ex omnibus quae inter barbaros exſtiterunt, acerrimam cenſeam exſtitiſſe: quamque ita geſtam fuiſſe accipio.* Herod. *lib.* 2. *pag.* 42. *edit. Colon.* De Darii et Alexandri in Indos expeditione loqui ſuperſedeo, nam haec Indicae hiſtoriae pars jam facilior eſt et magis pervia; tum quia noſtrum non eſt ex Graecis auctoribus Indicam hiſtoriam texere. Vide ſupra de *Parthia* ſeu K*ordiſtan* (veteribus *Carduchia*) *pag.* 131. 132. Tomyri Maſſagetarum regina ad *Araxem* fluvium regnante in Bactriana ad *Bactrum*, hodie *Balk*, floruiſſe videtur *Zoroaſter*, *Cerathuſt*, ſeu *Zerdeſet* rex et ſapiens Bactrianus, cui Indicorum S*amanaeorum* et *Magorum* libri adſcribuntur. Per hunc Indica religio, libri, lingua Samſcrdamica, aſtronomia ad Perſas, Medos, et Parthos translata fuiſſe videtur. Talis certe de hoc *Zoroaſtro* eſt traditio Arabum. Vide librum inſcriptum: *Catalogo de codici manoſcritti orientali della bibliotheca Naniana compilato dall' Abate Simone Aſſemani*, *Profeſſore delle lingue orientali*, Padova 1792. pag. 99. 100. ubi Zoroaſtri ſeu *Zerdeſeti*, doctrinam a *Cyro* receptam fuiſſe Arabes ſcribunt. Xenophon de Cyri inſtit. edit. Lond. pag. 436. *Cultus divini magis hoc tempore* (Perſici imperii reſtaurationis) *ſe ſtudioſum declarabat* (Cyrus), *quia felicior evaſiſſet. Atque tunc primum Magi conſtituti ſunt, qui ſemper cum prima luce deos hymnis celebrarent, & quotidie ſacrificarent diis illis, quibus ipſi ſacrificandum dicerent. Ita quidem id temporis conſtituta, nunc permanent apud eum regem, qui quovis tempore rerum potitur.* Vide ſupra §. I. *de Zoroaſtro pag.* 41. 42. 43. 44.

V. Ab hoc igitur tempore propagatio doctrinae, & Samanaeorum, Magorum ac gymnoſophiſtarum ſectae coepit. καὶ 'εκ Βάκτρων τῶν περσικῶν Σαμαναῖοι. Cyrill. Alex. *tom.* 2. *p.* 133.

Cle-

Digitized by Google

Clemens Alex. *Strom. lib.* 1. *pag.* 359. καὶ Σαμαναῖοι Βακτρων. Euſeb. praep. Evang. lib. 6. pag. 275. edit. Colon. *Apud Indos & Bactros multa ſunt eorum millia quos Brachmanas vocant &c.* Strabo l. 15. *Brachmanis Pramnas* (fortaſſis *Praſtas* ſeu Brahmanes ſtoicos) *philoſophos opponunt argutos ſane homines & contentioſos. Brachmanas phyſiologiam & aſtronomiam exercere, & ab illis ut ſtultos & oſtentatores derideri* (quia nempe duae ſectae erant diverſae, una quae *ignem*, altera quae *aquam* adorabat, una quae corpora poſt obitum humabat, aut aquis Gangis ſuffocabat, altera quae *igne* exurebat ut hodiedum exurit). *Atque horum alios montanos* (*Vanapraſtas* ſolitudinem incolentes): *alios gymnetas* (nudos yògui ſeu Samanaeos): *alios civiles ac domeſticos* (qui uxorem ducunt) *appellari*. Vide etiam reliqua. Cicero Tuſculan. quaeſt. *lib.* 5. *pag.* 189. *edit. Lugd. Quae barbaria India vaſtior, aut agreſtior?* (quod non concordat cum Eratoſthene, Plinio & Arriano). *In ea tamen gente primum ii, qui ſapientes habentur, nudi aetatem agunt* (gymnoſophiſtae *yògui* dicti), *& Caucaſi* (nempe montis *Himala* Caucaſi Indici, non Scythici) *nives, hiemalemque vim perferunt ſine dolore: cumque ad flammam ſe applicuerint, ſine gemitu aduruntur*. En quomodo *Cicero*, quemadmodum & *Plinius* Yoguis *Samanaeos* ſeu Stoicos philoſophos Indicos ad *Caucaſum* Indicum ſeu ad montes *Himala* dictos, qui *Bactrianam* ab India ſeparant, collocat! Vide ſupra *pag.* 44. 45. in textu & *notis*, & *pag.* 101. 102. Sive igitur *Cyrus* ille inſignis bellator, *Cambyſis* & *Mandanae* filiu, ſive *Cyrus* eius avunculus, quod autumat *P. Tourneminius* in diario Trevoltienſi, *Menſ. Novembr.* anni 1703., ut Xenophontem cum Herodoto conciliet, in *Maſſagetas* duxerit, id tamen certum exploratumque eſſe videtur: *Magos* ſeu ſapientes Indicos, circa annum 560, nempe ante Cyri obitum per *Bactrianam* in Perſidem delapſos fuiſſe, neque ante primi illius Cyri tempora, *Magos*, quicumque illi ſint, in Perſide ſacra curaſſe, ac philoſophiam docuiſſe. Profecto ante *Cyri* tempora Perſicorum Magorum nec *Herodotus*, nec *Xenophon* meminit, & *Pythagorae* ac *Democriti* itinera ad *Magos Perſas* philoſophiae cauſſa facta, epocham a nobis allatam ſubſequuntur. Magos quidem inter Medorum gentem numerat Herodotus *lib.* 1. *pag.* 21. *edit. Col.*,

Col., ſed ſubactis iam à *Cyro* Medis; ac tunc *Magos Perſicos ſacrificio adſtantes & particulis diviſis theogoniam accinentes* deſcribit idem *lib.* 1. *pag.* 27. Magos *nullius animantis occiſione ſe polluere, praeter ea duntaxat, quae diis immolant*, narrat *lib.* 1. *pag.* 28. 29. Perſis turpiſſimum eſſe mentiri, aes alienum debere, Perſas lepra infectum valde fugere, eos in flumen nec ſpuere, nec mingere, nec in eo manus abluere, *quia flumina inter omnia religioſiſſime colant*, idem Herodotus docet *lib.* 1. *p.* 28. 29., cui accinit etiam Strabo *lib.* 15. Hi ipſi ſcriptores aſſerunt, *Perſas Iovi hoſtias immolare, omnem gyrum Caeli Iovem appellantes. Soli, Lunae, Telluri, igni, aquae atque ventis ſacrificare*. Addit Strabo lib. 15. *Cum Magus, qui ſacrificio praeeſt, membratim carnes in quemque diviſerit, abeunt*, (Magi) *nulla parte diis relicta: dicunt enim, Deum* (nempe ſupremum Parabrahma) *nihil velle praeter hoſtiae animam. Nonnulli ut fertur, precordiorum partem igni imponunt: praecipue igni & aquae ſacrificant: igni arida ligna imponentes, adempto cortice, & arulna ſuper iniecta, deinde infuſo oleo ſuccendunt non inſpirantes, ſed ventilantes &c.*

Candidus lector nunc iam *Syſtema Brahmanicum* inſpiciat, videatque Brahmanicum ſacrificium *Yàga* Mitrae ſeu *Soli* ab Indis Brahmanibus offerri ſolitum *pag.* 1. *& ſeq.* Videat ſacrificium *ignis* pag. 9. tab. II. Venerationem Indorum in fluvium *Indum*, *Yamuna*, *Calini* & *Gangem* pag. 35. Duas ſectas philoſophorum Indicorum *aquam* & *ignem* colentium pag. 218. & ſeq. Philoſophorum Indicorum & Peguanorum quinque praecepta, quae ſunt: *non mentiri*, *nihil alieni detinere*, *non moechari*, *nullum animal occidere &c.* ſupra pag. 20. 85. 84., & ſic conſequenter expendat alia puncta ab *Herodoto* & *Strabone* adducta. His omnibus inſpectis & collatis, aequus lector dicat: an vetus Perſica religio ab hodierna Brahmanica differat, an *Magorum* Indicorum doctrina ſubſtantialis diverſa fuerit in Perſide & India, dicat inquam, an ea ex India non fuerit in *Perſidem* illata, quemadmodum eadem per hos *Magos* ſeu Samanaeos in regnum *Ava*, & *Pegu* penetravit. Vide ſupra *pag.* 39. 40. 41. ad quam epocham doctrinae Indicae migrationem in alias orbis partes referat

Digitized by Google

ferat *Dhermarágiaguru*: nempe ad annum 540. ante aeram vulgarem, id eſt ad *Cyri* tempora. *Primos omnium Chaldaeos*, *& Indorum Magos memoriae prodidiſſe novi*, *eſſe hominum animos immortales*. *Aſſenſi deinde ſunt eis tum alii Graecorum*, *tum Ariſtonis filius Plato*. Pauſanias in Meſſenicis *libro* 4. *pag*. 512. *Aegyptiis antiquiores eſſe Magos Ariſtoteles auctor eſt*, *in primo de philoſophia libro*: *duoque ex illorum ſententia eſſe principia*; *bonum daemonem & malum*. *Alterum ex his Iovem & Oromaſden*, *alterum*: *Plutonem & Arimanium dici*. *Quod Hermippus quoque in primo de Magis ait*, *atque Eudoxus in Periodo*; *& Theopompus octavo Philipicorum libro*. *Qui e Magorum ſententia in vitam quoque redituros homines dicit*; *immortaleſque futuros*; *& univerſa illorum precationibus permanſura*. *Iſta Eudemus quoque Rhodius tradit*. *Porro Hecathaeus deos quoque ex eorum ſententia eſſe genitos* (nempe ex natura, ſeu *Bhaváni* dea ſeu Urania) *ait*. *Clearchus vero Solenſis in libro de diſciplina gymnoſophiſtas Magorum proſapiam eſſe aſſeverat*. Καὶ τὲρ Γυμνοσοφίςας ἀπογόνυς ἶναι τῶν Μάγων φησίν. Et infra: *Magos deorum vacare cultui ſacrificiiſque ac precibus*, *quaſi ſoli ab his exaudiantur*; *praeterea de deorum ſubſtantia & ortu ſententias proferre*; *quos ignem*, *terramque & aquam eſſe arbitrentur* . . . *Sibi deos apparere aſſerentes*, *ſed & plenum eſſe aerem ſimulacrorum*, *quae cum e corporibus effluant*, *cum vaporum elevatione oculis acute cernentium inferantur*. Diog. Laertius *de vitis & dogmatibus clarorum Philoſoph.* Lipſiae 1759. in *Prooemio* num. VI. *pag*. 6. 7. Plato in *Axiocho*, ſeu de contemnenda morte *pag* 959. edit. Baſil. animae immortalitatem oſtendere volens Socratis perſonam indutus ait: *Si vis autem aliam etiam rationem cape* (nempe credendi animam eſſe immortalem), *quam retulit mihi Gobrias* (forte *Gaur* unde *Gobrias* corruptum eſt) *Magus*. *Is dicebat ſecundum Xerxis in Graeciam tranſitum avum ſuum ſibi cognominem miſſum eſſe in Delum*, *quo eam tueretur inſulam*, *in qua bina ſunt numina prognata*. *Ibi illum ex aeneis quibuſdam tabulis quas attuliſſent ab Hyperboreis Opis & Hecaergus*, *didiciſſe animam*, *poſtquam a corpore ſit exoluta*, *in ignotum quemdam locum ſubterraneo diſcedere receſſu in quo Plutonis ſit regia nihil o minor quam aula Iovis*. *Terra etenim mundi medium tenente*, *ambitum eius eſſe globoſum*,

cuius

Digitized by Google

cuius alterum quidem ſemiorbem dii ſuperi acceperint: inferi alterum. En ergo Indicae doctrinae per *Magos* in *Graeciam* tranſmigrationem. Fictitia illa ſimulacra, quae in aere volitare creduntur, ſunt genii leviſſimi corporis aerei, quae Indi in caelo gentilico സ്വർഗ്ഗ *Svargga* dicto exſiſtere autumant, & hos deos Peguani *Nat* & *Bramas* vocant. Vide compendium legis Barmanorum *pag.* 14. Hos Indici Samanaei പ്രേത *predá* defunctorum, aut ad informanda corpora deſtinatas animas; നാഥ *nátha* dominos, & bonos genios, ac അസുര *aſura* vel *dévada* ſeu malos genios eſſe dicunt. Vide *Amaraſinha* ſect. 1. Sorggavargga. *Quid ergo, quae Magi Cyro illi principi interpretati ſunt, ex Dionyſii Perſici libris proferam? Nam cum dormienti ei Sol ad pedes viſus eſſet, ter eum ſcribit fruſtra appetiviſſe manibus, cum ſe convolvens Sol elaberetur & abiret: ei Magos dixiſſe, quod genus ſapientum & doctorum habebatur in Perſis, ex triplici appetitione Solis* XXX. *annos Cyrum regnaturum eſſe portendi. Haec de Indis & Magis.* Cicero lib. 1. de *Divinatione* pag. 263. *edit. Lugd.* En ergo ex ſententia Ciceronis *Magos* ſomniorum interpretes, quales hodie ſunt. Iidem aſtrorum obſervatores erant, quales fuiſſe deſcribit Evangelium *Math. cap.* 2. *v.* 2. Confer Plutarchum *de Iſide*, ubi plura ex *Magorum* theologia affert. Ne vero lectori vana eruditionis farragine, ac veterum auctoritate illudere videamur, lector aequo animo nobiſcum aliquas veteris linguae *Perſicae* etymologias ſecundum Brahmanicum librum *Amaraſinha* expendat, iiſque rite examinatis fateatur, cum Brahmanica philoſophia & gente ipſam linguam *Samſcrdamicam* in Perſidem perlatam fuiſſe.

മഹാ *mahà*, magnus; *mahima* magnitudo, *mahatua* magnitudo, *mahí* magna, *mahátmyam* magnanimitas, *mohòdaram* magnus venter, hydrops. Philoſophiae, & religionis magiſtri Brahmanici vocantur *Mahá* ſeu *magni*, quia ipſi ſacris & doctrinae praeſunt. Quocirco Peguanus *Dhermarágiaguru* ſupra p. 2. & 3.

Digitized by Google

& 3. ſcribit *Mahátabaſſi Dhermarágiaguru* magnus contemplator *Dherma regis* magiſter, magnus ſapiens, magnus magiſter. Graeci cum Heſychio, Perſae, Latini nobis huius vocabuli *Magus Magi* radicem, etymon, & ſignificationem oſtendant, derivata huius vocabuli nobis promant, dicant unde, & ex quanam radice deſcendat *magus*, & cur apud Graecos & apud Ciceronem haec vox ſignificet *ſapientem* & *doctum*, cur non potius augurem, magum divinatorem & nugatorem? Herodotus, Plato, Xenophon, Cicero, Laertius, Pauſanias hoc vocabulo *ſapientem* & *ſacrorum curatorem* intelligunt; eccur Graeci ſuos antiſtites, & philoſophos hoc vocabulo non inſigniverunt, cum ipſi philoſophis & ſacrorum antiſtitibus gaviſi ſint? *Mahá* ergo, quod a Perſis & Graecis corruptum fuit in *Magus*, vox eſt aliunde allata, adventitia, & peregrina, ex India, & *Samſcrdamica* lingua deſcendens. Nec mirum, ſi antiqui *Magà*, vel *Magus* pro Mahà *magnus* ſcripſerunt, cum multi Europaei corrupte *Magà* pro *Mahá* hodiedum ſcribant, & *Tamulenſes* Indi ita exarare compelluntur, quia littera *h* carent, cui ſubſtituere coguntur litteram *g.*, unde exoritur *Magà* pro *Mahá*, *Magulma* pro *Mahìma &c.* Vide grammat. Tamulicam R. P. Beſchi §. *VI. pag.* 30. At in lingua Samſcrdamica littera *h* valorem ſuum conſervat, unde fit *Mahàguru* magnus magiſter, *mahámuni* magnus ſilentiarius, magnus contemplator, *Mahà Méru* magnus *Meru* mons, *Mahàbhàrada* magna hiſtoria, *Mahà Tabaſſi* magnus poenitens &c. Vide dictionarium *P. Hanxleden*, Ptolemaeum Geogr. *lib.* 6. *tab.* X. edit. Argent., ubi ad *Pallimbotra* ſeu *Pallipatur*, ad *Tamuna* & *Gangem* Brahmanes *Magos* collocat, *Magnos* nempe *Brahmanes* ſeu *magnos magiſtros*, qui lingua Samſcrdamica മഹാബ്രാഹ്മണഃ *Maha Brahmana* vocantur. Quocirco etiam apud Pauſaniam *loco citato*, non *Magos* ſed *Magnos* ſcribitur: *Primos omnium Chaldaeos & Indorum Magnos &c.* Vide edit. Lugd. anno 1559. *Septuaginta duae iniucundae philoſophiae ſpecies in Indorum ſodalitio habentur, & gymnoſophiſtarum, &* Brachmanorum, *ſolis his laudatis: & pſeudo brachmanorum, & necyophagorum qui mortua edunt, & eorum qui turpia operantur, & eorum qui velut ſtupidi non ſentiunt.*

tiunt. Epiphanius *lib.* 3. *contra haereſes*, tom. 2. pag. 485. edit. Baſ. & infra: *Sunt porro rurſus etiam alia multa myſteria, & haereſiarchae ac ſectarii, quorum participes apud* Perſas *Maguſaei, apud Aegyptios prophetae appellati, adytorum ac ſacrorum & Magorum duces. Apud* Babylonios *qui vocantur Gazareni* (forte Guzareni), *ſapienteſque ac incantatores. Apud Indos qui vocantur Euili &* Barama . . . *Maguzaei itaque apud Perſas ſimulacra quidem abominantur, & tamen ſimulacra adorant, ignem, & Lunam & Solem*.

മിത്രഃ Mitra, praecipuum Perſicum numen, quod *Solem* ſonat. *Perſae colunt Solem, quem Mithra vocant*. Strabo. *lib.* 15. Mitra, *Sol*, vocabulum eſt Samſcrdamicum. Vide *Solis* epitheta ſeu nomina in *Syſtemate Brahmanico* pag. 1. *Amaraſinha* ſect. 1. *P. Hanxleden* ſub voce *Mitra*. Perſae nobis huius dictionis ſignificatum & radicem oſtendant.

സൂൎയ്യഃ ſurya vel സൂരഃ ſura *Sol*, in *Amaraſinha* ſect. 1. *Svarggavargga*. Hoc idem vocabulum *Sura* vel *Surya* Perſae corrupte ſcribunt *Shir*, *Shur*.

ശാസ്ത്രഃ ſháſtra *liber*, & *ſcientia*. Vide Amaraſinha ſect. *nannarthavargga* ſub *rabanda*. Perſae corrupte ſcribunt *Sadder*, quod librum ſeu ſyntagma praeceptorum & canonum *Magorum* eſſe aiunt. V. Thomam Hyde, *cap.* 9. *pag.* 167.

ഗൌരഃ gaur, & ഗൌരി gauri *albus* & *alba*, unde dea *Pàrvadì luna* dicitur *Gaurí* ſeu *alba*. Vide Amaraſinha ſect. de *coloribus*, & ſect. 1. nomina deae *Pàrvadi* ſeu *lunae* ſymbolicae. Perſae corrupte ſcribunt *Ghabr*, *Guebr*, *Guabre*, *Ghebr*, ac per hoc *ignicolam* ſignificant, cum tamen in India primi omnium ignicolae ſint collocandi in provincia *Gor* ſeu *Gaur* ſub gradu 30. *lat.*, quo eos collocat *De l' Ile*, qui eam ditionem inſcribit *Gor* pro *Gaur*, provincia hominum *alborum*, quia revera reliquis Indis albiores ſunt, quod montes incolant, neque tam vehementer ut alii Solis radiis perurantur. *Gaura* ſignificat etiam colorem *flaveſcentem* & *flammeum*, ex qua cauſſa vetuſtiſſimi ignicolae Indi, & Samanaei hodiedum flavis & flammeis ſindonibus induuntur.

Digitized by Google

ഭഗവാൻ Bhagavan *felix*, *beatus*, item deus *Shiva*, ſeu Mahêshvara, *Vishnu*, *Budha*, epithetum maiorum Indiae deorum. Veteres Perſae ſcribunt *Babacan*, atque eo ipſo indicant linguae Samſcrdamicae vocabula ab ipſis corrupta fuiſſe.

കിടാ Kidà *proſtratio*, *caſus*, res quae iacet, *actio iacendi aut proſternendi*. Thomas Hyde ex *Medica* & *Hebraica* lingua ſcribit *Kidda*, *inclinatio capitis*, atque veteribus Perſis linguam attribuit *Medorum* cum ea revera fuerit *Samſcrdamica*, ſeu *Pehlavica* Samſcrdamicae filia.

ഹൃദവീരനാമം hrda vîra nâma *pectus corroborans nomen*, vel *pectus confortans oratio*, liber ſuppoſititius *Zoroaſtri*. Thomas Hyde ſcribit ex veteri lingua Perſica: *Erda virap nâma*, & hunc codicis titulum, *Zoroaſtri* librum fuiſſe dicit.

ബ്രഹ്മം വിശ്വം Brahma vishva, id eſt, *Brahma univerſalis*, *Brahmae dei*, quem terram aetheri coniunctam eſſe docuimus, *univerſa extenſio*. Thomas Hyde ſcribit *Abraham Pishvâ*, atque ex hoc, aliiſque Samſcrdamicis vocabulis non intellectis, *Abraham* Patriarcham extrudit, Perſas denique veteres ex his terminis immediate ab *Abraham* deſcendiſſe docet. Innumeras tales alucinationes Hydii & Anquetilii heic afferre poſſem, quas brevitatis cauſſa omitto. Una tamen reliquis inſignior omnino heic eſt adducenda.

ഒരുമാ orumá, *unio*, *concordia*, ഒരുമിക്കുന്നു orumikunu, Malabarice, *unire*, *coniungere*, *commiſcere*, *concordem reddere*, ഒരുമിച്ചു orumicia, *unitim*, *ſimul*, *concorditer*, അരി ari, *inimicus*, അരിമാ arimá *inimicitia*, *diſcordia*, *difficultas ad coaleſcendum*, *ad concordandum*, അരിക്കുന്നു arikunu *miſcere*, unde *arimà* cum ultima *a* vocali longa, *miſcendi*, *coaleſcendi difficultas*, *diſcordia*. Vide nunc quam inſigniter haec verba, ſenſuſque eorum corruptus fuerit apud veteres Perſas. *Orumà* ipſi foe-

Digitized by Google

ſi foede ſcribunt *Oromazen* apud Plutarchum *de Iſide*, *Hermùzd* apud Thomam Hyde, *Religionis veterum Perſarum hiſtoriae*, cap. 35. pag. 437., *Ormuzd* apud Anquetilium du Perron, *Zend Aveſta ouvrage de Zoroaſtre*, tom. 1. 2. part. pag. 82.

അരിമാ *arimà*, inimicitia, diſcordia, concordandi difficultas. Hoc Indicum vocabulum Perſae veteres corruperunt in *Abarima*, *Arimanius*. Vide Thomam Hyde *cap.* 35. *pag.* 437. Plutarchum *de Iſide*.

Orumá, & *Arìmà* concordia & diſcordia, ſeu *concordia diſcors* omnis generationis principium, & Indicorum philoſophorum placitum eſt, de quo etiam Ovidius *Metamorph. lib.* 1. *fab.* 8. & Cicero *lib.* 2. *de nat. deor.*

> *Quippe ubi temperiem ſumpſere humorque calorque*
> *Concipiunt, & ab his oriuntur cuncta duobus*
> *Cumque ſit ignis aquae pugnax, vapor humidus omnes*
> *Res creat; & diſcors concordia faetibus apta eſt.*

Orumae ſeu *concordiae* Indici Philoſophi *ignem*, *lucemque* ſymbolum poſuerunt, atque *bonum genium* praepoſuerunt. Hunc *Perſae* veteres *Ormuzd* vocabulo ab *Oruma* corrupto vocant, eumque *deum*, id eſt genium caeleſtem; *igni* & *luci* praefectum eſſe dicunt. *Arimae* ſeu *diſcordiae*, coaleſcendi difficultati Indi *aquam*, *tenebras* & *Plutonem*, malum genium, *Dévada*, *Dew*, vel corrupte *Deoda*, *Tevat* ſymbolum & praefectum tribuunt. Horum geniorum primus ille bonus *Malabarenſibus* vocatur *Satyen*, id eſt veridicus, iuſtus, aequus: alter *Aſſatyen*, id eſt, falſus, iniquus, malus. Ille ad bona, hic ad mala eos opera provocare, urgere, & incitare creditur, id quod etiam docuit Pythagoras & Plato. Vide de his duobus *Malabarenſibus* geniis ſupra *pag.* 32. 51. 90. 99. Confer Thom. Hyde *cap.* 9 *pag.* 159. 160. 161. Lux & tenebrae, aqua & ignis, bonus genius & malus, ſibi mutuo oppoſiti & diſcordes ſunt, ex aqua tamen & igne, ex humido & calido omnia naſcuntur et coaleſcunt. Hinc hodiedum in India duae celeberrimae ſectae *Viſhnuvitarum* Brahmanum, qui *aquae* principium ſeu deum *Viſhnu*: & *Shivanitarum*, qui *ignem*, ſeu deum *Shiva* colunt. *Aegyptiis antiquiores* *eſſe*

eſſe Magos Ariſtoteles auctor eſt, *in primo de philoſophia libro*: *duoque ex illorum ſententia eſſe principia* (N. B. non ſuprema, ſed generationis principia) *bonum daemonem & malum*. *Alterum ex his Iovem* (lucem, aetherem igneum, candentem, vide Ciceronem *lib.* 2. *de nat. deor.* pag. 223. & ſupra pag. 93.) *& Oromaſden* (Plutarcho Oromazan), *alterum Plutonem* (tenebras) *& Arimanium dici*. Diog. Laert. in *Prooemio* num. VI. pag. 7. edit. Lipſ. *Exiſtimant alii duos eſſe deos* (genios, non ſupremos, nam Indis unus ſolus Deus eſt ſupremus Parabrahma) *quaſi contrariis deditos artibus*, *ut bona alter*, *alter mala opera conficiat* (ut unus lucem, alter tenebras). *Alii eum*, *qui eſt melior deum* (*Déva* deus, Samſcrdamice genius bonus, *Dévada* genius malus), *qui deterior eſt daemonem dicunt*. *In qua ſententia fuit Zoroaſter Magus*, *quem narrant* IↃↃ. *annis antiquiorem bello Troiano exſtitiſſe*. *Is ergo Zoroaſtres melioris nomen Oromazan*, *peioris Aremanium perhibuit*. *Addiditque hoc enunciatum de rebus ſub ſenſum cadentibus* (non de duobus ſummis principiis), *illum maxime ſimilem eſſe luci*, *hunc tenebris & ignorationi*. *Medium horum eſſe Mitram* (Solem) *&c.* Heic ſaltem victas det manus noſter cenſor. *Manes* impoſtor, cui cenſor totam Indicam religionem adſcribit, Samſcrdamicae linguae imperitus, philoſophiam Brahmanicam non intellexit, eaque prorſus diverſa eſt ab ea, quam cenſor Indis affingit. Ubinam hic duo ſumma principia? Quomodo ea in Indiam intulit *Manes*, quando tam planum & perſpicuum eſt duo haec principia, *concordiam* & *diſcordiam* in rebus naturalibus & moralibus longe ante *Manetem* inter Brahmanicae doctrinae placita obtinuiſſe? *Cicero*, *Ovidius*, *Clemens Alex.* *Diogenes Laertius*, *Plutarchus*, qui haec de Perſis & Indis referunt, longe ante *Manetis* praedicationem ſcripſerunt, nam *Manes* ex meliorum criticorum opinione circa *annum* 280. aerae vulgaris ſub *Probo* Imperatore ſuam doctrinam ex corruptis Perſicis libris hauſtam praedicare incepit, eamque a Philoſophis male intellectam accepit, non autem eis dedit. *Scythianus*, quem auctor Alphab. Tibet. *pag.* 364. 289. alibique paſſim Buddam & Manetem eſſe docuit, *mercator* erat Arabs, qui non *concordiam diſcordem*, ſed quaedam *ex lege ac prophetis*, *Evangeliiſque & Apoſtolis*

ſtolis male intellecta, aut ſuo vitio corrupta praedicaverat. Vide S. Epiph. *lib.* 1. *item* 2. *pag.* 278. *& ſeq.* contra haereſes. *Empedocles Metonis Agrigentinus ignem & terram, & aquam & aerem, quatuor primogenita introduxit elementa, & dixit, inimicitiam eſſe primum elementum. Separata enim erant prius*, inquit, *nunc autem counita ſunt, velut ait, contracta mutua amicitia. Duo igitur ſunt ſecundum ipſum principia & virtutes, inimicitia & amicitia, quarum altera unit, altera diducit.* Idem S. Epiph. *cont. haereſes* lib. 3. 1. 2. *pag:* 484. Cenſor, qui *S. Epiphanii* auctoritate innixus *a Scythiano* Manichaeiſmum ad *Brahmanes* Indos perlatum fuiſſe contendit, nobis dicat, an *Empedoclis* & *Brahmanum* de duobus principiis doctrina, *Manichaeiſmus* ſit, an *amicitia* & *inimicitia*, *concordia diſcors* in elementis, Manetis principia ſint? Scivitne *Manes*, quid *Orumá* & *Arimá* ſit? Scivitne quis *Ormuzd* & *Arimanius* fuerit? Vide ſupra in hoc opere de *Devada* ſeu *Arimanio* ex fide Indorum *Budhae* bono genio & ſatori oppoſito *p.* 51. 84. 90. Anquetil, Zend Aveſta, *ouvrage de Zoroaſtre*, tom. 1. ſecunda part. *pag.* 3. 8. 77. 81. 82. Thomam Hyde, *Hiſtor. relig. vet. Perſarum* cap. 35. *pag.* 437. cap. 1. *pag.* 4. 5. 31. cap. 35. *pag.* 429. ubi veterem Perſarum linguam *Pehlavi* dictam olim in Indica urbe *Neishabur*, id eſt in *Neishadadur*, *Shrinagari*, *Nyſa* ſeu *Dionyſopoli* in uſu fuiſſe aperte docet, & *pag.* 432. veteris linguae Perſicae lexica ſeu *Pharhang* ex India & in India quaerenda & comparanda eſſe affirmat. Nec mirum, quod *Thomas Hyde* antiquam Perſarum linguam *Medicam* eſſe putaverit, cum *Samſcrdamicae* imperitus fuerit, & Indicos libros, ac philoſophiam Brahmanicam ignoraverit. *Perſicae religionis monumenta*, ait ipſe, *a Zoroaſtre* (ſub finem Monarchiae *Medicae* vivente) *ſcripto conſignata ſunt ſola lingua Perſica veteri*. Hyde in praef. *pag.* 1. Confer *Aſiatick reſearches* tom. 1. pag. 349. ubi Angli Calcuttenſes ita diſſerunt: *Mohſani Fani the very candid and ingenious author of the* Dabiſtán, *deſcribes in his firſt chap. a race of old Perſian Sages, Who appear from the Whole of his account; to have been Hindus* (id eſt Indicos); *and We cannot doubt, that the book of* Mahabarada, *which was written he ſays, in a celeſtial dialect, means the* Véda; *ſo that Zeratuſt* (Zoroaſter) *was only a Reformer;*

mer; *We find in India the true ſource of the ancient Perſian religion*. Itaque ex auctoritate veterum Graecorum, ex libris *Indicis* cum veteri *Perſarum* doctrina collatis, ex etymologia veterum *Perſicarum* dictionum, ex lingua *Samſcrdamica* veteris *Pehlavicae* Perſarum linguae matre, ex confeſſione ipſorumet Perſarum; ex doctorum virorum Europeorum ſententia iam liquido conſtat: linguam & veterem Perſarum religionem ex India in Perſidem delatam fuiſſe, ac proinde *Pythagoram*, *Democritum*, *Apollonium Tyanaeum*, *Hieroclem* alioſque Philoſophos Graecos, per *Magos* Perſas ex India deſcendentes, doctrinam ſuam philoſophicam ex India accepiſſe. *Cur ipſe Pythagoras & Aegyptum luſtravit, & Perſarum Magos adiit? Cur tantas regiones barbarorum obiit? tot maria tranſmiſit? Cur haec eadem Democritus?... Quid quaeris aliud, niſi vitam beatam &c.* Cicero *lib.* 5. *de finib. bon. & mal.* pag. 113. edit. Lugd. (1). Haec pauca de Indicae religionis ac linguae Samſcrdamicae emigratione dicere oportuit, ut deſiderio ſatisfacerem clari viri *Iohannis Walker* Angli, qui

(1) *Alexander in libro de ſymbolis Pythagoricis refert, Pythagoram fuiſſe diſcipulum Nazareti Aſſyrii, & vult praeterea Pythagoram Gallos* (Aegyptios) *audiiſſe & Brachmanas* (Indos). Clem. Alex. *ſtrom. lib.* 1. *pag.* 357. *Pythagoras apud Chaldaeos converſatus eſt & Magos*. Diog. Laert. *de vitis Philoſ. lib* 8 *cap.* 1. *pag.* 522. Inficetus ergo eſt ipſe *Bayerus*, dum fabulam eſſe inficetam dicit *Pythagorae* ad *Magos* iter & cum iis communicationem. Nullus ait ille, hoc *coaevus* prodidit ſcriptor. Sed numquid hoc *coaevus* aliquis negavit ſcriptor? Ternarium, ſeptenarium, nonumque magni myſterii numerum eſſe docent Brahmanes, triangulum in circulo collocant myſterii plenum, ex quo tamquam ex matrice *Bhavani* deae, hoc eſt *naturae* omnia procreata fuiſſe dicunt. Animae immortalitatem & tranſmigrationem *Magi* & *Brahmanes* docent, vino, carne, fabis abſtinent, animal nullum interimunt, diſcipuli eorum quinque & plurium annorum ſilentium obſervant. Magi & Brahmanes *Solem* & *Lunam* colunt, 7. caelos, 7. maria, 7. terras, 7. montis Meru colles, 7. deas mundi matres, 7. inferorum loca eſſe comminiſcuntur. Numquid *Magi* & *Brahmanes* in Graeciam delapſi haec omnia a *Pythagora* didicerunt? Videat *Bayerus* & cum eo auctor anouymus *obſervationum praelim.*: in ſpurium lib. *Ezourvedam* Pythagorae vitam & doctrinam apud Diog. Laert. *lib* 8. *cap* 1. *num* II. III. & *ſeq.* item l. 1 *num.* III. edit. Lipſ. Plutarchum *de Iſide*. Conferat Laertii prooem *num.* 1. *pag.* 3. de philoſophiae a Barbaris ortu & propagine. Clem. Alex. *Strom. lib* 1. paſſim, Porphyrium *lib.* 4. *de abſtin.* Caeſpitat & caecultat, quando vult *Bayerus*. Confer Syſt. Brahmanicum *pag.* 45. 50. & *ſeq.* Philoſophia Indica quemadmodum ex India in regna Pegu, Ava, Siam, Tibetum, & in Sinas penetravit, ita ex India in *Perſidem*, & inde in *Graeciam* perlata fuit. Darius, Cyrus, Alexander, Parthi, Perſae, Graeci eam in India invenerunt, atque inde extulerant. Vide ſupra codices Borgianos §. 1. *num.* I. II. III. IV. & §. 3. *pag.* 59. & *ſeq. num.* V. VI. VII.

Digitized by Google

qui hoc anno 1792. decima Auguſti ad Ampliſſimum Card. *Borgia* ſcribens, ex me linguae Samſcrdamicae ex India in Perſidem migrationem, eiuſque deinde in Indias regreſſum per Perſas ignicolas *Guebres* dictos, ſcire peroptabat. Ex hac noſtra diſquiſitione iam perſpicue & aperte patet, veterem linguam *Samſcrdamicam* ſacram, ex qua nos omnes praedictas vocum etymologias attulimus, veterum *Magorum* linguam eſſe, quae ad hanc uſque diem in veteribus Indicis libris, ac cumprimis in vocabulario *Amaraſinha* ſancte, accurate, & diligenter conſervata fuit. Etymologiae enim *Perſicarum* dictionum, quae ante aeram vulgarem in *Perſide* & *India* in uſu erant, ex hoc Indico libro facile & tuto depromuntur. Lingua ergo & vocabularium ex quo *Orumá* & *Arima*, *Ormuzd* & *Aharima*, *Sháſtra* & *Sadder*, *Gaur & Guabre*, *Mitra* & *Mithra*, *Maha* & *Maga* ſeu *magnus*, *Sura* & *Shur* aliaque vocabula in Perſide & India ante aeram vulgarem uſurpata deprompſimus, inter *Magos* Perſas & Indos longe ante aeram vulgarem exſtiterint eſt neceſſe. Adde, inſcriptionem *Mitrae* ſeu Tauri Burgheſii in villa *Pinciana* Samſcrdamicam eſſe; adde inquam, aliam inſcriptionem tabulae cupreae regis *Gopàla*, quae ad 23. annum ante aeram vulgarem refertur, quamque Angli Calcuttenſes in libro *Aſiatick reſearches* tom. 1. pag. 123. & ſeq. illuſtrant, pariter lingua *Samſcrdamica* exaratam eſſe. Vide grammat. Samſcrdamicam *pag.* 28. Lingua itaque Samſcrdamica a *Cyri* tempore, id eſt ab anno circiter 540. ante aeram vulgarem, quo *Magi* iubente *Cyro* ſacrorum curandorum munus ſuſceperant, in Perſide & India obtinuit, atque ea ab origine ſua non *Medica*, non *Perſica*, ſed *Indica* fuit: nam liber *Amaraſinha* ex quo ſupra allatae dictiones & etymologiae deſumtae ſunt, non Medicus, non Perſicus, ſed Indicus eſt liber, qui ſacram, litteralem, ac liturgicam linguam Samſcrdamicam docet. Vide *Examen hiſtorico criticum codicum Indicorum* bibl. S. Congr. de Prop. Fide pag. 9. 10. 11. 21. 37. ubi de Indicorum codicum aetate egimus. Vide etiam *pag.* 38. ubi ex D. *D'Herbelot* Indicos libros ſub *Huſchenk* ſecundo Perſidis rege primae dynaſtiae in *Perſidem* illatos fuiſſe iam docuimus. Secundum, quod ex diſquiſitionibus noſtris ſequitur, eſt luci-

da illa

Digitized by Google

da illa iam nunc & diſtincta veritas & traditio, videlicet: religionis & philoſophiae ſtudium a barbaris *Indis* & *Perſis* incoepiſſe. *Fateantur philoſophi ſe Perſas, vel Sauromatas, vel Magos magiſtros habuiſſe: a quibus didicerunt rerum principiis divinum cultum impie decernere*. Clem. Alex. *Protr.* pag. 57. edit. Venet. Hoc fatetur *Plato* apud Clement. Alexandrin. *Stromat. lib.* 1., *Ariſtoteles* apud Diog. Laertium in *Prooemio* num. VI. pag. 7. edit. Lipſ., ipſe *Laertius* num. 1. pag. 3. ubi ait: *Philoſophiam a Barbaris initia ſumſiſſe quidam autumant*, & iterum de *Pythagora* de vitis Philoſ. lib. 8. cap. 1. num. II. III. *Cunctis fere Graecis Barbariſque myſteriis initiatus eſt*. Cicero de Platone lib. 5. de finib. bon. & mal. *Quid de Platone aut Democrito loquar, a quibus propter diſcendi cupiditatem videmus ultimas terras eſſe peragratas, quae qui non vident, nihil umquam magna cognitione dignum amaverunt*. Clem. Alex. Strom. lib. 1. *Philoſophiae munus nonnulli dicunt coepiſſe a Barbaris, fuiſſe enim apud Perſas quidem* Magos, *apud Aſſyrios Chaldaeos, & Gymnoſophiſtas apud Indos*. Confer Diod. Sic. *l.* 1. & Pauſaniam *loco ſup. cit.*, Herodotum *lib.* 1. *pag.* 25. 29. Xenoph. *de Cyri inſtit.* pag. 464. & 436. qui duo poſtremi auctores cum ante annum 360. aeram vulgarem excedentem de M*agorum* religione & ſtudio diſſeruerint, philoſophiae & religionis ſtudium inter eos viguerit eſt neceſſe. Profecto M*ercurii* ſeu *Budhae* epitheta, lucida, ſana, integra, quae ſupra attulimus, perſpicue demonſtrant, philoſophiam ſacram ac theogoniam a remotiſſimis temporibus apud Indos incoepiſſe, ac proinde multos Indicos codices antiquiſſimos, ac maximi faciendos eſſe. Haec ſunt, quae de Indicis libris animadvertenda habuimus.

EPITOME

OMNIUM MONUMENTORUM INDICORUM IN MUSEO BORGIANO VELITRIS EXSTANTIUM

Sacellum Indicum num. I. ex ligno.

Sacrarium hoc gentilicum miro artificio & colorum varietate ad mythicas regulas diſtinctum, alicuius nobilis Indicae familiae domeſticae devotioni dicatum fuiſſe videtur. Sectae *Vishnuviticae*, ſeu illius, quae *aquam* mundi principium & finem colit, peculiare eſt. Latum, palmos duos, longum palmos duos cum dimidio.

In ipſo interno ſacrarii ultimo penetrali falſum quidem, ſed ſummae maieſtatis, Indis venerabile, ac tremendum ſtat numen, *Vishnu* deus mundi ex aqua creator, eius in diluvio ſervator, ac tandem in ſua decima incarnatione futurus deſtructor (1). Genius hic ex opinione *Vishnuvitarum* aquarum rector & praeſes, idem creator & ſervator, ob caeruleum aut ſubviridem aquae colorem, & ipſe ſemper aut caeruleus, aut ſubviridis, aut denique fuſco-caeruleus pingitur, & talis etiam in

(1) *Exiſtimant etiam Homerum itidem ut Thaletem ab Ægyptiis doctum, principium & ortum omnium rerum poſuiſſe aquam etc.* Plutarchus de *Iſide*, *& Oſiride pag*. 355. *edit Paris.*, Cicero *lib.* 2. *de nat. deor*. Plato apud Clem. Alex. ſtrom. lib. 5. §. 235. *Multi ſæpe fuerunt hominum interitus, et erunt igne quidem, & aqua maximi*. Clem. Alex. *Cohort. ad gentes* pag. 56. edit. Venet. *Quid Perſas, & Medos, & Magos. Hos enim ſub dio* (quale eſt ſacrificium *Hòma*, & *Yaga* Indicum) *rem divinam facere, eo quod exiſtiment ignem, & aquam ſola deorum eſſe ſimulacra, ex Dinone cognoſcimus*. Et intra pag. 57. *Etſi neque cum Graecis ligna, & lapides, neque cum Ægyptiis ibidas, et ichneumonas, tamen cum Philoſophis ignem et aquam eſſe deorum ſimulacra putaverunt. Quin & aliquot poſtea ſeculis eos coluiſſe ſimulacra humana ſpecie praedita, oſtendit in tertio Chaldaicorum Beroſus: cumque morem ab Artaxerxe, Darii filio, Ochi vero patre introductum fuiſſe: etenim is primum ſtatuam Veneris Tanaidis, quam Babylone, & Suſis, & Ecbatanis poſuiſſet*, Perſis, *et Bactris, & Damaſco, & Sardis exemplo ſuo praemonſtravit colendam. Fateantur igitur philoſophi ſe Perſas* (a Magis Indicis inſtitutos) *vel Sauromatas, vel Magos magiſtros habuiſſe: a quibus didicerunt rerum principiis divinum cultum impie decernere*. Confer notas in hunc Clementis locum, quae adſtruunt, hanc ſtatuam *Dianae* ſeu *lunae* ſimulacrum fuiſſe. Vide *ſyſtema Brahmanicum* pag. 79. & ſeq. pag. 218. & ſeq. pag. 284. & ſeq. & de *Vishnu* Deo creatore & deſtructore *pag*. 162. *& ſeq.*

Digitized by Google

in hoc ſacrario exhibetur (1). Numinis oculi albicantes ſunt, pupilla nigra, frons ſacro *Bhaváni* deae ſigno diſtincta. Haec dea, *natura* cum ſit, perſonam femineam induta (2), ſanguine menſtruo, id eſt ſemine, vi, & potentia ſua frontem *Shivae* ac reliquorum deorum infeciſſe fingitur, ut gens Indica ex philoſophorum ſententia agnoſcat, deos *naturae* elementa eſſe (3), ac ab una natura matre, rerum omnium artifice prodiviſſe (4). Quocirco dii Indici omnes, ac ipſi Indi hoc plerumque rubei coloris ſigno K*url* dicto hodiedum in fronte inſigniuntur (5). Numen *Vishnu* in capite mitram gerit unionibus diſtinctam ac in tutulum aſcendentem, in cuius antica parte, quae frontem tegit, promicat adamas ſpurius, qui genuini vices ſuſtinet, quem eo loco geſtaſſe deum *Vishnu* narrant Indi, dum numen hoc Indis contemplatoribus poenitentibus, Magis, & Samanaeis *Sanyáſi* dictis apparuit. Aures dei more Indico pertuſae ſunt & penſiles in humeros, quibus innexae haerent inaures ex variis unionibus compoſitae. Ad poteſtatem dei, mundique ab eo gubernati notionem rite exprimendam, quatuor eidem aſſictae extant manus, & duabus quidem ſuperioribus tenet *Clacra*, quae rotula eſt gemmis diſtincta: ſceptrum, ſine dubio rotundum & mobile, gubernationis ſymbolum, & veterum Indiae regum auctoritatis inſigne: nam in vocabulario *Amaraſinha* ſect. Kshetriavargga, ſeu *cap. de regia claſſe* totius mundi gubernatori & domino nomen ചക്രവര്ത്തി *ciacravarti*, id eſt *ſceptrum*

(1) *Oſirin autem nigro colore fuiſſe fabulantur* (Aegyptii), *quia aqua omnem terram, omnem veſtem, et nubes etiam nigras reddit admixta*. Plutarch. *de Iſide*. Apud Indos *Vishnu* aut fuſcus, aut viridis, aut caeruleus eſt, quia hi ſunt aquae colores. Vide Ioannis Clerici *artem critic*. vol. 1. part. 2. ſect. 2. pag. 402. edit. Amſt. *Veteres ſane caeruleum nigrum accipiebant*. Ita etiam pro viridi. Confer ſupra in hoc noſtro opere *p*. 63. 64.

(2) Vide *Examen hiſtorico criticum codicum Indicorum bibl. S. Cong. de P. F.* pag. 9. & ſeq.

(3) *Notizie Laconiche di alcuni uſi, ſacrifizi ed idoli nel regno di Nepal*. Auctore P. Conſtantino ab Aſculo ad *fig*. 58. & 34. Vide pleraque idola ab Indo Nepalenſi coloribus expreſſa, quae hoc *Bhavani* deae ſigno diſtincta ſunt. Confer P. Ildephonſi a Praeſent. cod. mſſ. *num*. XXXI. inter cod. bibl. S. Cong. *lib*. 2. *cap*. 4. de dea *Párvadi*, *Maheshvari* ſeu *Bhaváni*, quae una eademque eſt. Ciceron. *de nat. deor. lib*. 2. *pag*. 226. edit. Lugd. ubi de *natura* egregie diſſerit. Plutarch. *de Iſide*.

(4) Vide ſupra *pag*, 82.

(5) Vide duo ſacraria Indica muſei Borgiani, librum P. Conſtantini ab Aſculo, *Syſtema Brahmanicum pag*. 53.

portantis ac regentis attribuitur. Quo quidem ſceptro ſeu *Clacra* rotundo & mobili, baculo impoſito, dum evibratur, hoſtes occidere, malos punire, bonoſque protegere regibus ſolitum fuiſſe Indi perhibent (1). Inferiores duas manus ſupernis annexas *Vishnu* deus geſtat, a caeca illa gentilitate eidem affictas, ad maiorem gubernationis mundi conatum ac virtutem ſignificandam, atque his quatuor manibus numini attributis *Magi* Indici ſane indicant, deum illum non hominem, non heroem, ſed caeleſtem genium ac numen allegoricum eſſe. Ex his duabus unam penſilem, quietam ac femori applicatam habet, alteram penſilem quidem, ſed palma ſpectatori obverſa e medio manus adamantem oſtendit, fortaſſis *opulentiae* & *firmitatis* ſymbolum, quo terram aquae miniſterio fecundam reddit, & ſuo ambitu ac humore conſervat. Serta florum ex utroque brachio filo innexa defluunt, quae idem fertilitatis donum ſignificare videntur. Pectus numinis nudum eſt, ſed in antica ſui parte torquibus, monilibus, unionibuſque exornatum, inter quos eminet adamas ad dextrum pectoris latus ſitus, in quo & veteres Indiae reges *Kshetrla* dicti adamantem geſtare ſolebant, ut ex aliquibus picturis apparet. Ad ſiniſtram pectoris fulget *ciacra*, & in medio *triangulus* ex rubeis et micantibus unionibus cumpoſitus, qui pariter generationis principium et ſymbolum eſſe videtur (2). Umbilicus ad formam *tamaràe* ſeu *Padma* id eſt *loti* conſtructus eſt, atque ex hoc umbilico nymphaeae floris formam exhibente, totiuſque humoris et caloris principio et ſymbolo creatum fuiſſe *Brahma* ſeu *terram* perhibent Indi, unde etiam deum *Brahma* in *loto* ſedentem collocant (3), atque ex hoc deo omnia reliqua praeter aquam creata fuiſſe per longas fabularum ambages tradunt. *Vishnu* heic deſcriptus Samſcrdamice vocatnr *Padmanábha*, id eſt *loti floris umbilicum gerens*, nam *Padma* lotus ſeu *nymphea* eſt, *nàbba* autem *umbilicum* ſonat

(1) R.P. Marcus a Tumba in *cod.mſſ. in fol.* in muſeo Borgiano *pag.* 140. qui ſceptrum ſeu *Ciacra* vocat: *baſtone di commando*.

(2) Plutarcus *in Iſide* pag. 362. edit. Pariſ. Vide de *triangulo* Syſtema Brahmanicum *pag* 242. *&* *ſeq* 207. 219. 126. 31. 32. 33.

(3) Syſtema Brahmanicum *pag.* 120. 32 *&* *ſeq.* 219. 102. *&* *ſeq.*

Digitized by Google

nat, atque ab hoc vocabulo urbs et arx *Padmanàbhapuri* in Malabaria regia ſedes hodiedum nuncupatur : *Vishnu dei loti floris* ad inſtar *umbilicum geſtantis urbs*. Porro numen periſomata gerit, quibus femora et tibiae contectae ſunt, lumbos cingulo gemmis diſtincto praecingitur. Totum dei ſimulacrum ambit ornatus, qui in ſuprema ſui parte *Shivae* dei vindicis ſeu genii *ignis* praeſidis faciem horridam praeſefert; quae Vishnu dei capiti immediate ſupereminet, quo Indici *Magi* ſine dubio indicare volunt: ignem aqua potentiorem eſſe, aut fortaſſe per ignem aquae exſiccatione univerſum hoc creatum fuiſſe, et iterum aquae exſiccatione totum hoc per ignem deſtruendum fore, id quod poſt eos etiam Graeci docuere philoſophi (1). Vera itaque eſt ea ſapientis ſententia, quae docuit veteres gentes aut *ignem*, aut *nimiam aquam*, aut *citatum aerem*, aut *gyrum ſtellarum*, aut *ſolem & lunam rectores orbis terrarum putaviſſe*, atque his cultum ſuum tribuiſſe. Vide ſupra *pag.* 35. et de *elementis* etiam a Perſis cultis Thomae Hyde *Hiſtor. relig. vet. Perſarum* pag. 3. 4. 5. 13. Herod. *locis ſupra cit.* alioſque.

In eodem interiori ſacro penetrali ad latus ſiniſtrum dei *Vishnu* ſub throno unionibus rutilante in ſerpente Vaſughi vitae et mortis ſymbolo, quinque capitibus inſigni, quieſcens exhibetur idem *Vishnu* deus facie caerulea, duabus tantum manibus inſtructus, quarum unam capiti ſuppoſitam, alteram verſus genua protenſam habet. Ad hanc ſiniſtram deo aſſidet *Laekshmí* uxor, quae eſt *Tellus*, *Ops*, vel *Ceres* Indica, et dea *Bhaváni* ſeu *natura*, quam exigua quaedam figura matricem referens adumbrare videtur. Has duas deas Vishnu dei pedes demulcere et perfricare fabulantur Indi, non aliam ſane ob cauſſam, niſi quia *aqua telluris* et *naturae* amica eſt, et ab his viciſſim diligitur, ut ambae aquae miniſterio humidae et fertiles reddantur, ac eius virtute germinando et pubeſcendo vitalia germina, et res vegetabiles producant. (2)

In-

(1) Plutarchus *de ignis & aquae comparatione*, & de Philoſoph. placitis *lib.* 1.

(2) Plures alias explicationes allegoricas *Vishnu* deo ſuo tribuunt *Vishnuvitae* pro ſententiarum & opinionum ſuarum diverſitate. Verum quiſquis eas rite expenderit ac cum his contulerit, illas recentes eſſe, neque cum antiquo dogmate Indico convenire facile deprehendet.

Digitized by Google

Inferius in eodem penetrali ad latus dextrum ſtat *Ráma* deus ſeu Indicus Bacchus, facie viridi, lanceam et ſagittam manibus geſtans. Ad eius ſiniſtram cernitur deus *Krshna* Indicus Apollo facie caerulea, una manu butyrum ut videtur, alteram penſilem et vacuam femori applicatam gerens. Quatuor praedictae figurae rubro *Bhavání* deae ſigno in fronte inſigniuntur, quod iterum denotat: Cererem, Vishnu deum, Bacchum Rama, et Apollinem Krshna naturae filios eſſe, atque ad res phyſicas referri debere. Ráma et Krshna *Dévagul* deae filii et fratres ſunt. Ille facie viridi aut caerulea, hic facie fuſca aut caerulea in omnibus monumentis Indicis exhibetur. Uterque iuvenis eſt, et ille quidem *Rávana* Plutonem in inſula *Ceylan* occidiſſe, homineſque perpoliviſſe fingitur, hic fiſtula ſua animantia cicuravit, atque ut *Orpheus* inferos inviſit. De utroque vide Plutarchum *In Iſide*, et Macrobium *l.* 1. *Saturn. cap.* 17. Orphei *hymnos* in *Bacchum* et *Appollinem*. Intimum hoc penetrale clauditur duabus valvulis, multis feneſtris perexiguis, quae ex lapidibus ſpecularibus conſtant, inſtructis, inter quas in valva dextera exſtat feneſtra maior, quae intus exſiſtentem dei Vishnu vultum conſpiciendum praebet, eique ſoli correſpondet. Occluſis his valvulis ſequuntur aliae valvae ligneae duae, quae in ſua interna facie ſequentia exhibent ſimulacra.

Valva I. figura I. dea *Laekshmî* dei Vishnu uxor. Ea ſedet in loto pedibus decuſſatis quod Indicae deae *Laekshmî*, ſeu *Cereri* aut *Telluri* proprium eſt (1). Rubeam mitram et crines decuſſatos, inaures largas, duas manus, pectus ſertis, floribuſque exornatum gerit.

Figura II. in eadem valva deorſum vergendo ſedet deus *Krshna* facie caerulea aut ſubfuſca in medio ſuarum duarum praecipuarum uxorum, quarum pectus vellicat eas amplexando, ut Graecus *Apollo* ſuam *Daphnem* (2). Mulieres hae exhibentur ſeminudae, facie flava, more Indico pedibus decuſſatis ſedentes.

Fi-

(1) Syſtema Brahmanicum *pag.* 93. *& ſeq.*

(2) Cartari, *Imagini degli dei delli antichi*. Padova 1626. *pag.* 53. Ovidius, *Metamorph.* lib. 1.

Figura III. deus *Vishnu* facie caerulea, qui uno pede terram calcat, altero itinerantis inſtar a ſolo elevato paſſum metitur. Pictura haec incarnationem dei *Vishnu* in *Vamana* ſeu nanum exhibet, in qua *Vishnu* nanus factus a rege *Bali* tantum terrae poſtulavit, quantum ipſe uno paſſu includere poſſet. Creſcente deinde in immenſum ſpatium Brahmanis *Vamana* ſeu parvi dei, pede et paſſu, crevit in immenſum etiam ſpatium terrae, quod dato iureiurando a rege *Bali Vamanae* ſeu deo *nano* concedendum erat. Fictio haec denotare videtur, immenſam eſſe aquae potentiam, quae ſive diluvii univerſalis initio, ſive alias in ſua ſcaturigine et in exordio parvae molis eſſe ſolet, ſed poſtea in immenſum excreſcit, augetur, diffunditur, ac immenſa ſpatia occupat. Adſtat regi *Bali* ipſe deus *Vishnu* in nanum incarnatus umbellam more Brahmanum portans, atque aquam, quam rex *Bali* eius manibus infundit, vola manus excipiens. Ubi animadvertas, aquae infuſionem in manus ſolemnem iuriſiurandi inter Indos ritum eſſe, quo ſe obſtringunt et promittunt, verbo et promiſſis ſtare velle. Rex *Bali* facie caerulea, naſo recurvo, mitra regia inſtructus exhibetur, vas aquae manibus tenens. Supra ſtat deus *Brahma* ex vaſe deo Vishnu *Nano* aquam pedibus infundens. Quod iterum indicat: aquas a terra ſeu *Brahma* deo augeri, namque fabulantur Indi fluvium *Gangem* e caelo, a Sole et Luna, ſeu a deo *Shiva* & *Pàrvadi* originem ducere, atque eius aquas ſanctiſſimas eſſe (1). Ad ſiniſtrum dei nani latus ſtat Indus decolor Nani Brahmanis ſervus & comes.

Valva ſiniſtra I. figura I. deus *Budha* facie caeruleo fuſca, ſigno deae *Bhavàni* ſeu naturae in fronte, mitra et ornamento rubei coloris in capite inſignitus. Manus duas ante pectus habet paullo elevatas & compoſitas, quarum palmam oculis obverſam inſpicit, & collecto ſpiritu, intenta mente meditatur.

Id

(1) Syſtema Brahmanicum *pag.* 102. 109. 110 129 88. 89. 44. 99. Strabo lib. 15. *Indi Iovem pluvialem* (deum Indra) *& Gangem flumen, & indigetes genios colunt*. Non *homines*, non *Manetem*, quod vult noſter cenſor. Ceterum *Bali* rex limbi eſt, quod indicat: aquas a *Bali* rege *Vishnu* deo affuſas, ex ſubterraneis quoque ſcaturire. *Bali* idem eſt qui *Mahabali*, ſeu *magnus Bali*.

Id quod eius contemplationem, mentem abſorptam; ac in ſcientias & artes indaginem denotat. Vide ſupra *pag.* 25. *& ſeq. pag.* 61. *& ſeq.* Decuſſatis pedibus in vaſe ad loti formam conſtructo ſedet, & dextero brachio vexillum rubei coloris geſtat belli & pacis, vitae & mortis ſymbolum loco *caducei* graeci, quod communiter *Mercurio* affingitur. In hac pictura utriuſque *Mercurii* iuvenis & ſenioris epitheta confuſa eſſe videntur, ut in pleriſque graecis *Mercurii* ſimulacris.

Figura II. in eadem valva deus *Krshna* facie caeruleo fuſca aſſidet ſuae uxori, cuius pectus vellicat. Haec exhibetur facie flava, corpore ſeminudo, ſedens pedibus decuſſatis.

Figura III. in eadem valva, tres Indi iunctis & elevatis manibus deum *Krshna* in penetrali ſtantem adorantes.

Valva eadem in ſua facie externa tela obducta. I. exhibet dei *Vishnu* incarnationem in *aprum*. II. incarnationem eius in *Naraſinha* ſeu hominem & leonem ſimul. III. eius incarnationem in *Vamana* ſeu Brahmanem *nanum*, qui una manu vas cupreum aqua refertum portat, altera vero umbellam, qua ſolem & pluviam arcet, geſtat. IV. *Ráma* deus Bacchus iuvenis, qui ſiniſtra vel ſagittam vel gladium, dextera arcum gerere videtur. V. *Sida* eius uxor corpore flavo. Eminet thronus, qui *Ràma* deum cooperit, ad cuius latera duae figurae parvae *Viſhnu* deum exhibentes.

Valva ſiniſtra praedictae correſpondens tela obducta. I. exhibet *Vishnu* dei ſimulacrum perexiguum, quo *Vishnu* manu ſecurrim aut clavam ad occidendos Titanes, & ad puniendos perverſos homines idoneum inſtrumentum portans repraeſentatur. II. figura *Ràma* ſeu *Paraſuràma* (Vishnu dei incarnatio) ſagittam, arcumque manibus, humero dextro pharetram geſtans. III. *Ràma* fuſtem aduncum quo elephantes ad curſum incitantur manu tenens. Hae tres figurae ob lituras paullo obſcuriores ſunt. IV. *Naraſinha*, ſeu *Vishnu* in leonem & hominem incarnatus facie flava horrida, oris rictu, dentibus, oculis, crinibus ſeu iubis arrectis terribilis, vindex, deſtructor. Excepto capite reliquum corpus humanam formam praeſefert colore albicante, quatuor manibus inſigne, quae itidem *Vishnu*

dei

Digitized by Google

dei poteſtatem, ac ad puniendos malos virtutem indicant. Chimaera haec perſpicue demonſtrat: Indos *Viſhnuvitas* Vishnu deo aquarum praeſidi praemii et poenae, conſervationis & deſtructionis rerum & hominum, vim & poteſtatem adſcribere. Vide ſyſtema Brahmanicum pag. 160. In hoc ſimulacro *Naraſinha* deus una manu tenet *ciacra*, ſeu ſceptrum, altera deam, ut videtur, uxorem ſuam *Laekshmi* ſibi aſſidentem amplexatur, duas vero reliquas manus vacuas & protenſas gerit. Pedibus ſedet decuſſatis, & ſupra maieſtatis ergo throno cooperitur. V. figura, ad ſuperiorem illius throni partem ſtat idem Vishnu capite *equino* inſtructus, quod incarnationem eius decimam in *equum* futuram indicat. Manus gerit quatuor, in quarum una ſceptrum ſeu *ciacra*, in altera *ciangu* ſeu *buccinum*, quo rerum ſemina ad productionem evocat, eidem affingitur. Ad latus ſiniſtrum throni adſtare videtur *Krshna* deus manibus et pedibus throno incumbens.

Valva plicatilis ſubſequens dextera totam templi ſeu ſacrarii faciem tegens & tela carens, in ſua interna facie in cella unionibus adornata exhibet deum *Ràma*, qui *Viſhnu* dei incarnatio eſt. Numen gerit faciem caeruleam aut fuſco-viridem, oculos albicantes, pupillas nigras, frontem rubro B*havàni* deae ſigno diſtinctam, in auribus protenſis inaures, caput tutulatum ac mitra praealta gemmis rutilante inſtructum, quae gemmae in medio mitrae *ciacram* exhibent. Numen quatuor manibus gaudet, quarum duae altiores *ciacra* gerunt, aliae duae penſiles ſunt. Harum una ſpectatori vola, altera palma, obverſa proſtat. Ad femora gladius Indicus pendet. Corpus dei totum ſindone alba floſculis albis intexta induitur, & huius formae veſtis ex ipſis albis floribus confici ſolet. Veterum Indiae regum ex tribu *Kshetria* deſcendentium peculiare indumentum eſt, quod indicat, Indos perſuaſos eſſe: *Ràma* deum ſeu iuvenem *Bacchum* non a *Scythis*, non a *Graecis*, non ab *Aegyptiis* deſcendiſſe, ſed ſuorum regum progeniem, caput & apicem eſſe. In pectore dei praeter monilia ex collo in ſinum defluentia, ad latera duo micant uniones, quos ad exemplum *Bacchi* hodiedum gentiles Indi *kshetria* reges ſindoni ſuae, & veſti ex

 byſſo

byſſo confectae innectere ſolent. Ex his monumentis arguitur, Bacchum ab Indis ſub pluribus formis repraeſentari.

Figura II. in eadem valva ſub eadem forma idem exhibetur *Ràma*, ſed corpore & veſte caerulea, ſtolis & monilibus cinctus. Mitram gerit unionibus inſignem ſed decuſſatam, quatuor manus, in quarum una ciacra, in alia quadrangulus unionibus diſtinctus, in alia unio *Màni* dictus, in quarta clava ad Titanes & perverſos homines puniendos, rutilat. Ad pedes numinis in pulvinari pedibus more Indico decuſſatis ſedet *Ramae* dei vxor formoſa illa *Sida*, fictitia regis *Genègapuri*, nomine *Yedo* filia, quam *Ràma* fracto immenſo arcu, aut emiſſa ex eo ingenti ſagitta ſibi ſponſam promeruit. Color *Sidae* eſt flaveſcens, mitra in conum aſſurgens.

Valva tertia plicatilis ex charta rudi et denſa, ex utraque parte tela obducta, valvae ſecundae praecedenti ligneae annexa cohaeret. Figura I. triumphus *Ràmae* et feſtiva pompa, qua *Sidam* ſponſam ſuam ex urbe *Genègapuri* ad fluvium *Shantrov* ſita, in patriam ſuam & urbem *Ayodya* hodie *Aoud* ad flumen *Dèva* cis *Gangem* exſiſtentem traducit. Vide ſupra lib. *Ràmàyana* §. V. num. V. Haec traductio & ſponſalitium ad annum circiter 1600. ante aeram vulgarem referendum eſt, nam *Krshna* & *Ràma* fictitii fratres a rege *Yedo* regis *Pandu* patre ac *Pandavarum* ſtipite deſcendunt, iique ante bellum *Pandavarum* exſtitiſſe, ſeu incarnati fuiſſe creduntur. Vide *Conſectaria ex libris Indicis*, Bhagavada lib. Ind. *ſtropha* 1. 2. 3. *& ſeq.* Non tamen liquet: an bella *Pandavarum*, bella *Ramae* ſeu Bacchi iunioris praeceſſerint, an vero ſubſecuta ſint. Haec Pandavico bello anteriora eſſe videntur, quia incarnatio dei *Vishnu* in *Ráma* ſeu *Bacchum* in ordine incarnationum eſt ſexta, *Krshnae* vero dei ſeu *Apollinis* incarnatio eſt ordine octava. In hac ſacrarii pictura *Ráma* deus exhibetur facie viridi, fronte *Bhaváni* deae ſigno diſtincta, monilibus ex collo pendentibus, ſedens pedibus decuſſatis, una manu ad latus aſſidentis *Sidae* ſponſae ſuae manui implicata ac eam ſtringente. *Sida* rutilat facie & corpore flavo, ſponſumque ſuum reſpicit *Ráma* deum. *Ram Ram* communis eſt omnium fere Indorum oratio, qua deum hunc

Rá-

Râma invocant & colunt. Eadem matutinae ſalutationis ergo ab Indis uſurpatur. A tergo *Sidae* ſtant tres genii *dévaguel* dicti, quorum unus manibus complicatis *Rámam* & *Sîdam* adorat arcu & pharetra ad humeros affixo, quod indicium eſt belli, & ſervitutis deorum geniorum in bello Bacchico. *Ramae* & *Sîdae* ſtatuae ſeu ſimulacra reperiuntur in antiquiſſimo templo in inſula *Elepbanta* ad *Bombayn*, quod indicat hanc *Râmae* dei fabulam inter Indos vetuſtiſſimam eſſe. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 135. Ad latus dexterum dei *Râma* decuſſatis pedibus ſedent 7. Magi, Yogui, Samanaei, ſeu Sanyáſi aut Maha Tabaſſi Indici, qui tales eſſe ex capillamento alto, ex modo ſedendi, & ex colore corporis agnoſcuntur. Hos iure tamquam 7. planetas, contemplatores & conſiliarios conſideraveris. Duo facie rubea ſubfuſca, duo flava, unus caerulea, unus alba, unus viridi exhibetur. Hi colores ex Indorum theogonia in planetas cadunt, at cadere nequeunt in veros homines unius praeſertim regionis, unius climatis, unius nationis et inſtituti.

Hi iidem Indici *Magi* indicant: *Ráma* deum ſeu Bacchum iuvenem non eſſe *Seſoſtridem*, non eſſe *Scytham* a monte *Tauro* in *Indiam* delapſum, non eſſe *Manetem*, ſed eſſe numen Indicum, gentilitium, allegoricum in India natum. Omnes hi 7. *Magi* crines plicatos & per multos circuitus ad capitis verticem in conum aſcendentes ac cinere conſperſos gerunt, quales ſunt crines ſeu capillamentum hodiernorum Samanaeorum *Sanyàſi* vel *Yogui* dictorum, quod ipſi *ciáda* vel *gladà* vocant, et in honorem dei *Shiva* ſeu *Solis* & *ignis* deferunt cinere conſperſi. In vertice capillamenti deam *Pàrvadi* lunam conſidere hi Philoſophi ſibi imaginantur, ac cinere conſperſi caput vagantur, vitam, ut ipſi aiunt, Shivae ſeu *Solis* errabundam, poenitentem, ac caeleſtem imitando, qui *Sol* ſeu *ignis* mundi initium, mundi ſervator, et futurus eſt deſtructor. Quam quidem deſtructionem cineribus illis capillamento inſperſis anunciant & docent. In vertice *ciadà* ſeu capillamenti uniuſcuiuſque Magi *Râmae* deo aſſidentis promicat unio. Haec capitis forma, hi cincinni, haec turris capillaris nec in Perſicis, nec in Scythicis antiquis monumentis occurrit. Hic igitur mos, haec monumenta, haec Bacchi fabula ex Perſide, Media, aut Scy-

thia in Indias non fuit illata. *Râmae* deo proximus Magus dextera manu *Ramae* deo florem, ut mihi videtur, lotum ſeu nymphaeam porrigit, omnis generationis ex humido & calido per *Solem* Bacchum faciendae ſymbolum & principium. Infra ad lătus dextrum quatuor adſtant ſimiae recurvos gladios manibus geſtantes. Scutum praeterea unum ſimia alba manu ſiniſtra tenet. Facies ſimiarum ſunt, una flava, una rubea, altera caerulea, alia alba. In medio ſub *Râma* deo, cuius dexterum pedem ſuſtentat, ſtat ſimius *Sugriva* celebris bellator, qui in bello Bacchico *Râma* deum per aerem portabat. *Sugriva* et *Bali* duo ſimii *Solis* et *Lunae* ſilii, id eſt venti ſunt, in aere pro *Râma* contra *Râvana* Plutonem aut Typhonem regem inſulae *Ceylan* certantes. Vide librum *Râmayena*, et P. Marcum a Tumba in *cod. mſſ. in fol.* pag. 140. 141. 142. ubi de loto, de ciacra, de ſtellis, et de pugnis deorum, et gigantum bellis agit. Confer P. Ildephonſum in *cod. mſſ.* de *Shrirâma*. Syſtema Bráhmanicum *pag.* 299. & 300. Simiis coniuncti et permixti adſtant in hoc monumento milites Indi enſibus inſtructi, qui Bacchicum hoc bellum ſatis aperte exprimunt.

Valva plicatilis lignea ſiniſtra totam faciem ſacrarii tegens et válvae tertiae praedictae annexa fig. I. exhibet deum *Vishnu* colore caeruleo, quatuor manibus inſtructum, quarum una *ciacram*, alia *quadrangulum* gerit. Inferiori dextera volam et in ea unionem oſtendit, aliam femori applicatam et quieſcentem tenet. Veſtis caerulea ſtolis diſtincta. Promicat in pectore unio, et in umbilico *loti* floris caerulea imago, ex humido omnis generationis et corruptionis ſymbolum et principium. Figura III. ad ſiniſtram in cella contigua ſtat idem *Vishnu* colore rubeo, iiſdem quibus ſupra attributis inſignis. Quae quidem rubedo in hoc ſimulacro indicare videtur, humida a ſole et igne accendi, etenim *Shivae* dei ignis caput horridum *Vishnu* dei capiti inſidens exhibetur.

Valva ſequens plicatilis praedictae annexa, atque ex rudi charta confecta, in tela qua obducta eſt, fig. I. exhibet deum *Vishnu* ſub ſerpente Pythone quinque capitibus inſigni *Ananda* dicto ſedentem. Qui ſerpens vitae & mortis ſymbolum indicat

deum

deum *Viſhnu* vitae & mortis dominum eſſe, ſerpens enim morſu enecat, & ipſe in partes diſectus longo temporis ſpatio animales vitaleſque ſuos ſpiritus retinet. Hunc circuitu ſuo totum mundum ambitu quodam vitali in ſe recluſum continere fabulantur Indici *Magi*, & poſt eos *Plato* Grayae philoſophiae princeps, qui fatetur, philoſophiam ſuam a Barbaris ſe accepiſſe. (1) Mundus itaque hic viſibilis vitae & mortis, generationis & corruptionis ambitu & principio totus continetur. Vishnu deus gerit corpus & faciem caeruleam, quatuor manus ſolitis attributis praeditas, ſedet in ſcabello pedibus decuſſatis, monilibus aureis undique lucens. Aſſidet uxor eius *Laekshmi* duabus manibus inſtructa. Haec unum pedem ſuſtinet elevatum manumque dextram pubi ſuae applicatam, quo motu indicat ſe *terram* eſſe a *Viſhnu* ſeu *aqua* irrigandam & colendam. Ad ſiniſtram numinis ſedet alia dea vulgari vocabulo *Bhumidévi* id eſt *telluris dea* dicta, quae deo marito ſuo *Viſhnu* folium *Betila* aromaticum manducandum praebet, tamquam productionem aquae & Opis ſeu deae Cereris aut Telluris, quam etiam illa prima adumbrat. Actus pedum & manuum iidem ſunt utriuſque mulieris. Tertia aſſidet femina Vishnu dei, ut aiunt, concubina, quae quam exhibeat deam ignoro. Sub dea *Laekshmi* ſtat ciacra, ſub dea *Bhumidévi* quadrangulus, quae duo inſignia ad *Viſhnu* deum referuntur. In medio ſub throno ac praedicto dei Vishnu ſimulacro aliud eiuſdem dei exhibetur, in forma exigua, colore caeruleo, duabus manibus, ut mihi videtur clavam geſtantibus.

Valva plicatilis dextera, tela obducta, in ſua externa facie, dum interior complicatur, primo ſupremo ordine fig I. Vishnu ſeu *Ráma* genii humeris inſidens, qui genius alis, naſo adun-

(1) Huius ſerpentis qui totum mundum ambitu ſuo continet, nomen eſt *Ananda*. And finis, *res circumſcripta*, Ananda *infinitus*, *res non circumſcripta*. Ananda itaque ſerpens in quo ſedet *Viſhnu*. ſerpens eſt infinitus, ſymbolum *aetheris* qui aquam, mare, terras totumque mundum ambit. Hic aether *vita & mors* eſt, vita quam reſpiramus, mors quando eo deſtituimur. Hic idem ſerpens Samſcrdamice vocatur *Váſughi*. Vá *os*, ſugha *voluptas*, unde exoritur dictio: *oris voluptas*, nempe aether vel aer ſubtilis *reſpirationis* & *oris voluptas*. Váſughi ſerpens *oris*, *reſpirationis voluptas*. Huic aetheri deus *Viſhnu* ſeu aqua inſidet.

Digitized by Google

adunco, miſtace & colore flavo diſtinguitur. Hic *Rámam* deum per aerem portat. Periſomata ſeu femoralia arcta & anguſta more baiulorum Indicorum indutus exhibetur. Vishnu ſeu *Ráma* heic colore rubeo pingitur. Figura II. ſimulacrum dei *Vishnu* currui impoſitum, quo in ſolemni pompa vehitur. Figura III. Vishnu ſeu *Ráma* humeris ſimii *Hanumàn* ſeu *Panis* dei inſidens. *Pan* deus Solis & Lunae filius ventus eſt, qui *Ràmam* ſeu *Bacchum* per aerem portat, dum *Ràma* contra Plutonem *Ràvana* dimicat. Figura IV. incarnatio dei Vishnu in *aprum*, ut in diluvio univerſali in mare prolapſum mundum dente ſuo aprino educat & attollat. *Vishnu* deus ſedès capite aprino, reliquo corpore humano, pedibus decuſſatis. Infra appicti exſtant duo piſces & tabernaculum vacuum turris inſtar aſſurgens, quod terrae ſymbolum eſt per Vishnu deum in *piſcem* incarnatum a diluvio ſervatae.

Secundo ordine in eadem valva figura I. *Vishnu* deus equo albo generoſo inſidens. Manibus gerit ciacra. Haec eſt incarnatio eius ultima in equum *Callgui* ſeu *Pegaſum*, futura quando ad deſtruendum veniet mundum. (1) Alii incarnandum eſſe dicunt in regem equi huius conductorem. In hoc monumento ipſe deus Vishnu regiis inſignibus diſtinctus inſidet equo. Fig. III. *Vishnu* deus inſidens elephanto facie rubea, 4. manibus, monilibus multis adornatus. Simulacrum hoc repraeſentat deum *Vishnu* incarnatione ſexta, in *Ràma* deum ſeu Bacchum humidae naturae dominum incarnatum, qui elephanto inſidebat, dum Indiam oberrabat, dimicabat, & *Ràvana* regem ad ſui deditionem cogebat. Bacchus manu tenet baculum aduncum, quo elephantes ad greſſum incitantur. Figura III. ſimulacrum famulae ex numero earum, quae *Dévadàſi* ſeu *famulae deorum* dicuntur, & templis inſerviunt. Una manu aes campanum ſeu nolam, altera candelabrum gerit, inſtrumenta Indica quae in ex-

(1) *Multa & varia hominum exitia fuerunt, eruntque. Maxima quidem aut ignis conflagratione, aut aquae inundationibus provenire neceſſe eſt, minora vero aliis calamitatibus fieri*. Verba Aegyptii Sacerdotis ad *Solonem* apud Platon. in *Timaeo* pag. 1043.

Digitized by Google

expeditione Bacchi ſonabantur, nempe crotala, campanulae, tympana, tubae, quae hodiedum in delubris Indicis obtinent. Candelabra, quibus Graeci faces ſubſtituerunt, & campanulae ac crotala a viris & feminis portabantur, ſed in India candelabra cumprimis a feminis *Baſſaridibus*, quarum propago & ſecta ſunt hodiernae *Dèvadàſi* ſeu deorum famulae, *Nrtagui* ſaltatrices, Luſitanice *Balhadeirae* dictae, quae hodiedum in India in pompis ſolemnibus, feſtis diebus, in publicis proceſſionibus, in traductione ſponſae ad domum ſponſi immiſſo in os digito more Bacchico ululare ſolent. Graeca & Romana aliqua monumenta *Bacchum* iuvenem affictis eidem tigridibus, elephantis, ac ululantibus his feminis dimicantem exhibent. Haec vero palam & aperte indicant, *Bacchi* cultum ab initio ex India dimanaſſe, nam ante *Alexandri M.* & *Seleuci Nicatoris* tempora nec Aegyptus, nec Graecia elephantes poſſidebat, eoſque a *Ptolemaeis* primum ex India in Aegyptum advectos fuiſſe ſcriptores memoriae prodiderunt. Elephantibus inſignes *Bacchi* triumphum ducentis veteres urnae exſtant *Romae* in hortis Ludoviſianis. Infra dei Ramae figuram ſupra deſcriptam ſtagnum lapidibus quadratis cinctum exſtat, in quo piſces natare videntur.

Tertio ordine in eadem valva fig. I. occurrit *Viſhnu* caerulea facie, ſtans, clava inſtructus, qua elephantes, piſces, crocodilos aliaque terrigena & fluviatilia animalia domat, & cicuria reddit. Cocodili dorſo inſiſtens viſitur dei Vishnu ſeu dei Ráma ctacra, omnipotentiae inſigne, quod indicat, crocodilum inter fluviatilia animalia principem eſſe, ac *Ràma* deum crocodili formam aſſumpſiſſe, in qua elephantem a malo genio obſeſſum & omnipotentiae ſuae recalcitrantem, neque eius divinitatem agnoſcere volentem momordit, vicit, cicurem et placabilem reddidit. Hinc fortaſſis apud Indos, & Aegyptios in crocodilos veneratio. Itaque tabula haec, incarnationis dei *Viſhnu* in *Rà nam* ſeu Bacchum eam partem exhibet, quae docet, a Baccho non ſolum homines, ſed & animalia domita fuiſſe. Denotat praeterea id, quod in *Iſide* docet *Plutarchus*: Bacchum videlicet & humidae naturae dominum ſoli ſeu igni con-

coniunctum eſſe, ac elementorum accurata mixtione & temperie omnia perdomare, inſtruere, conciliare. *Ràmae* adſtat S*ida* eius uxor flavo colore fulgens. Sequuntur in alia cella ad dextrum latus tres figurae ſine attributis, quae genios exiguis alis inſtructos exhibere videntur.

Valva plicatilis chartacea ſiniſtra in ſua facie externa ordine primo, qui eſt ſupremus, primo exhibet deum *Viſhnu* facie & corpore rubeo, quatuor manibus inſtructum. Duabus ſupernis geſtat quadrangulum aureum, inferiori dextra gladium, ſiniſtra ſcutum. Secunda figura repraeſentat deum *Viſhnu* dormientem in curru rotis ſine radiis inſtructo, ac ſuperna ſua parte ad loti formam efformato, in cuius ſuperficie jacet *Viſhnu* facie caerulea, cui ſuppoſitam habet manum dextram, ſiniſtra arcum geſtans. Tertia figura exhibet eumdem deum *Viſhnu* iacentem in complicato ſerpente *Ananda* ſeu *Vaſughi* dicto, cuius quinque capita numini ſupereminent, ac quieſcentis caput contegunt. Adiacet deo arcus infra, & ſuperius appicta exſtat lotos. *Viſhnu* pingitur facie et corpore caeruleo quatuor manibus inſignis. Unam appoſitam habet arcui, alteram ſuppoſitam capiti, tertia *ciacram* gerit, quarta vellicat adſtantis ad eius pedes *Laeksmi* uxoris ſuae pectus, quae manu una iacentis *Viſhnu* perfricat tibias. Infra in eadem cellula ſtant duo quadranguli, et unus quidem in rota ſeu ciacra deſcriptus, alter alteri aureo quadrangulo inſitus. In medio ſtat vas aureum ſive lacte, ſive caeleſti ambroſia plenum.

Secundo ordine prima occurrit Vishnu dei in *aprum* incarnati imago. *Viſhnu* exhibetur capite aprino, dente ex ore proſtante, a collo reliquum corpus humana forma inſtructum gerens. Facie, manibus, & pectore eſt albus, duas tantum manus poſſidens. Caput aprinum corona redimitum eſt in apicem aſcendente. Haec incarnatio facta fuiſſe fingitur, ut Vishnu deus terram ab *Iranya* daemone ad abyſſum detruſam reduceret. Secunda figura repraeſentat deum *Viſhnu* dimidia ſui corporis parte in teſtudine ſtantis, hoc eſt in teſtudinem transformati. Teſtudinis ac dei facies et corpus flavo colore pictum eſt. Quatuor manibus inſignitur, quarum duae ſuperiores ciacram geſtant.

Ter-

Digitized by Google

Tertia figura exhibet deum *Viſhnu* ſub arbore iacentem, colore fuſco caeruleo, duabus manibus inſignem. Infra ſtat *Hanuman* ſimius iunctis manibus eum adorans, et ad caput numinis Indus appingitur arcum geſtans ac ambabus manibus elevatis deo adorationem praeſtans. Hic *Viſhnu* capillamentum nudum *Ciadá* dictum gerit, in cuius apice ſignum B*havàni* deae aureum prominet.

Tertio ordine figura prima exhibetur *Viſhnu* deus ſtans una manu ciacram, altera quadrangulum, tertia clavam geſtans. Quarta, quae eſt dextra inferior, aquam a Brahma deo ex alto ſibi infuſam excipit, et ex hac aqua aliqui Indi flumen Gangem, ut Aegyptii ex luna Nilum, exortum fuiſſe fabulantur. Brahma deus heic non viſitur appictus, in aliis tamen monumentis ex vaſe in Vishnu dei manus pedeſque aquam caeleſtem infundens cernitur. Vishnu deus exhibetur colore caeruleo. Haec itaque figura eius incarnationem in *Vamana* nanum exhibet. Vide ſupradicta. Secunda figura repraeſentat deum *Viſhnu* ſedentem in *loto*, quae *lotos* in ſtagno creſcens, aliiſque minoribus floſculis circumſtantibus amicta exſtat. Numen ſub arbore ſtagno proxima in *loto* ſedet., una manu ciacram ſeu ſceptrum gerit, altera pollice et indice compreſſo atque paullo extenſa adſtantis atque aliquid ab eo petentis Indi precibus annuit, qui Indus arcu et pharetra inſtructus eſt. Vishnu corpore caeruleo, duabus manibus, Indus colore flavo exhibetur. Tertia figura repraeſentat deum Vishnu in *Krſhna* ſeu Apollinem *Nomium* incarnatum. Hic Krshna exhibetur facie et corpore ſubcaeruleo, duabus manibus, quarum utraque tibiam ori appoſitam tenet, eaque ludit digitis tibiae foramina prementibus et modulantibus. Ex utraque tibiae parte pendet ornamentum linoſtinum, et viride ex pavonum pennis compoſitum, maioris elegantiae cauſſa appendi ſolitum. Ad pedes dei retro ſtat vacca rubra ſonum fiſtulae excipiens. Numen in capite gerit coronam ſeu ſertum ex pavonis pennis compoſitum, et in altum aſſurgens, quo Indi, ut ventilabro, ad pellendos calores uti ſolent.

In eiuſdem valvae facie externa, quae eſt lignea dum char-

Digitized by Google

tacea illa complicatur, primo ordine ſuperno figura prima exhibetur deus *Krshna* ſerpentem *Calenga* calcans, cui adſtat a dextris dea *Laekshmi* uxor *Vishnu* iunctis manibus deum adorans, quod ſerpentem illum veneno ſuo aquas et terras inficientem interimat. Dea colore flavo, Krshna colore caeruleo corpus pictum gerit. Ad latus ſiniſtrum dea B*humidèvi* verſa ad *Krshnam* facie iunctis manibus numen adorat. Secunda figura repraeſentat eumdem deum K*rshna* facie et corpore caeruleo in medio ſex vaccarum ſtantem, quae vaccae elevatis capitibus deum reſpiciunt, eique obſequuntur. Ad latus dextrum colore albo pictus exhibetur fluvius *Tamuna*, qui tamen colorem album amiſit. Krshna manu una arcum tenere, et pedibus alterum arcum premere videtur. Adſtant ſupra duo Indi deum adorantes, & elephantis proboſcis, qui a *Krshna* domitus fuit. Appinguntur arbores, quae dei vitam paſtoralem & ſilveſtrem indicant. Tertia figura exhibet deum *Krshna* facie & corpore caeruleo arbori inſidentem atque veſtes feminarum in arbore ſuſpenſas retinentem. Eas deus ille ſurripuit, dum illae in ſtagno ſe luſtrabant, atque reſtituere noluit, niſi nudae iunctis elevatiſque manibus eum adorarent. In hac igitur forma arbori adſtant quinque mulieres, tres colore flavo, duae rubeo corpus pictum gerentes. Vide ſupra librum B*àlagapuràna* §. v. n. 1.

Secundo ordine prima figura exhibet deum *Krshna* ſcalas ſcandentem, atque ex appenſis ollis lacte refertis lac ſurripientem atque ebibentem. Lac, ne cito aceſcat, in India in ollis, quae tribus funiculis complicatis appendi ſolent, aeri exponitur, ut is eas pervadat, atque frigore ſuo lac conſervet. Infra appictae adſtant duae mulieres furto ſurreptum lac bibentem deum atque in ſcala conſtitutum verberantes, & una quidem mulier deum fuſte agreditur, altera eum lapide impetit. Secunda figura exhibet deum *Vishnu* in folio loti, quod aquis innatat, iacentem, ac uno pede ad faciem converſo pollicem pedis ſugentem (1). Numen pictum gerit corpus, faciemque caeru-

(1) De hoc dei *Vishnu* ſimulacro iam ſupra in conſectariis ex codicibus Indicis diſſeruimus, ubi deum hunc folio *loti* incubantem exhibuimus. Teſtimonia quam plurima quae adduximus, atque allegorica haec dei *Vishnu* aquae innatantis figu-

Digitized by Google

ruleam. Manibus tantum duabus inſtructum eſt, quarum unam natibus appoſitam habet. Caput ſine mitra gemmis & margaritis exornatum eſt. Tertia figura repraeſentat deum *Krshna* puerum veſtem mulieris ollam lacte refertam appendere geſtientis elevantem. Ioci, & inſolentiae hae in libro Indico *Bàlagapuràna* ſunt deſcriptae.

Tertio ordine figura prima exhibetur *Krshna* ſerpentem cucullatum manibus tenens, atque unum virum Indum unamque mulierem perterrefaciens. Utraque haec perſona facie ad deum puerum converſa, elevatiſque manibus deum ac ſerpentem adorat. Secunda figura exhibet deum *Vishnu* caerulea facie, duabus manibus inſtar *Krshnae* inſtructum & ſedentem. Ex adverſo ei aſſident quinque Indi, quorum primus porrigit deo epiſtolam ſupplicem. Reliqui manus habent elevatas & iunctas inſtar ſupplicantium. Adſtat infra exigua mulier ſine mitra more Indico veſtes induta communi, facie ad eumdem deum converſa. Haec flavo, aliqui viri caeruleo, alii rubeo, unus flavo, alter viridi pictus exhibetur. Mitras in capite geſtant. Videntur eſſe *Rishi* ſeu *Magi* Vishnu deum orantes, ut Rákshaſas ſeu Titanes occidat.

Valva a penetrali ſacro ultima, atque ad acceſſum in ſacellum omnium prima, ſeu illa, quae totum ſacellum foris claudit,

gura a P. Marco a Tumba, atque ab Anglis Calcuttenſibus ad fidem Indorum mundi ex aqua creati relata, iam nullum de hac Indorum opinione dubitandi dat locum. *Vishnu* deus genius aquarum rector *loti* floris folio aquis innatanti incubans, & aquis vectus demonſtrat, ex Indorum opinione aquam mundi creati principium eſſe, eoſque ſub hoc shemate & allegoria aquam mundi principium colere. Hoc *Herodotus* de Perſis, hoc *Theopompus*, *Eudemus* & *Hecataeus* de *gymnoſophiſtis* Indicis, a quibus *Perſas Magos* deſcendiſſe narrant, perhibent apud Diog. Laert. in *prooemio* num. VI. pag. 7. *edit. Lipſ.* Aquam mundi eſſe principium diſtinctis verbis docuit *S. Petrus* epiſt. 2. cap. 3. v. 5. *Ubi eſt promiſſio, aut adventus eius? ex quo enim patres dormierunt, omnia ſic perſeverant ab initio creaturae* (verba ſunt incredulorum). *Latet enim eos hoc volentes, quod coeli erant prius, & terra, de aqua, & per aquam conſiſtens Dei verbo*. Et gen. c. 1. v. 2. *Tenebrae erant ſuper faciem abyſſi: & ſpiritus Dei ferebatur ſuper aquas*. In his igitur Indicis allegoriis & imaginibus non ſolum latent multa veteris philoſophiae capita, ſed etiam pleraeque primi & ſecundi *geneſeos* capitis veritates ab *Indis* & *Perſis* ſub figuris symbolicis creditae, obvolutae, & corruptae. Confer Thomae Hyde *Veterum Perſarum & Parthorum religionis hiſtoriam*. Edit. ſec. Oxonii 1760. *pag.* 13. & *cap.* 6. *pag.* 307.

dit, in ſua externa facie primo ordine figura prima exhibet deum *Krshna* ſub arbore repentem. Facies & corpus viride eſt floribus, ſertis, armillis adornatum. Ad latus ſiniſtrum appenſam gerit ſecurrim, quae vitam *Krshnae* ſilveſtrem ac inter flores exactam indicant. Adſtat a tergo mulier funem, ut videtur, manibus trahens, aut aquam ſitula ex ſtagno hauriens. In arbore exiguus currus, quo idola vehi ſolent, pictus exhibetur. Secunda figura repraeſentat mulierem magam horridam nomine *Putna*, cui deus *Krshna* puer extraditus fuit dolo regis gigantis *Kamſa*, ut lacte ſuo venenoſo puerum deum occideret, dum eius mammas ſugeret. At hic deus argutus, & prudens mammam momordit, lac peſtiferum exſpuit, atque magam illam interfecit. Exinde deus ille *Giagiodae* mulieri educandus traditus fuit, quae ex parte adverſa hunc puerum deum ſinu geſtans exhibetur.

Secundo ordine exhibetur figura prima deus *Vishnu* quieſcens, cui infra appictus eſt Indus quidam in curru corpore ſupino & capite ex curru pendente, qui aut poenitentiae opus deo *Vishnu* oblatum, aut ſacrificium aliquod ſui corporis exhibere videtur. Secunda figura ampliſſima repraeſentat deum Vishnu in ſerpente *Ananda* iacentem, de quo ſupra egimus. *Laekshmi* dea eius uxor dei pedes ſuſtentat et perfricat, et ſupra in *loto* ſedet deus *Brahma* 4. capitum, quorum illud quartum a tergo exſiſtens inviſibile eſt. Tertia figura eſt dei *Krshna* pueri cum alio puero certantis. Infra has ex una parte idem deus repraeſentatur manibus ſuis elephantem domans, ac coercens. Ex alia parte exhibetur eiuſdem dei pugna cum aliquo animali, quod non ſatis diſtinguitur, quia colores evanuerunt.

Tertio ordine prima figura exhibet pugnam dei *Krshna* cum una muliere, quam capillis comprehenſam altera manu percurtit, muliere ſeſe defendente, ac vice verſa deum flagro impetente. Secunda figura repraeſentat deum *Vishnu* ſedentem, ad latera ei aſſidentibus ſuis duabus uxoribus *Laekshmi* & *Bhumidévi*. Tertia figura eſt deus *Krshna* una manu leporem erectum tenens. Ex adverſa parte ſtat arbor, ut videtur, palma, quam lepus ore attingit, atque ex ea edere videtur. Haec vitam *Kr-*

Digitized by Google

Krſhnae Apollinis paſtoralem & ſilveſtrem indicant, quam cum ageret, in ſilvis lepores inſecutus & venatus eſt. Quocirco perdurat hodiedum in *Malabaria* feſtum & ritus venationis leporis in memoriam vitae ſilveſtris *Krſhnae* dei.

Primi ſacrarii latus dextrum externum, quod complicatis omnibus valvis primo ſub oculorum aciem cadit, exhibet unam mulierem *Dévadàſi* ſeu delubri famulam more feminarum regni M*adure*, littoris *Coromandelici* & *Orixae* indutam. Manu gerit facem Indicam, de qua vide *Tavernier*, eaque malum genium facie rubea horrida, pileoque recurvo inſignem ſacrario inſidentem pellit; quod harum famularum munus eſt. Latus ſacrarii extimum ſiniſtrum praefert aliam *Dévadàſi* manu facem ferentem. Supra ſtant duo Indi habitu virorum ſeptemtrionalis Indiae induti, ex qua hoc ſacrarium in muſeum Borgianum longo circuitu illatum fuiſſe coniicimus. Deorum Indicorum ornatus, ut ſcrutanti ac antiquitatis curioſo indagatori facile videri poteſt, cum antiquo *Medico* & ſaepe cum *Aegyptiaco* veſtiendi more valde convenit. Vide Xenoph. *de Cyri inſtit.* edit. Lond. 1738. *pag.* 15. & varia monumenta Aegyptiaca apud *Caylus*, ac in muſeo B*orgiano* Velitris. Indi itaque in deorum ſuorum ornatu cum veteribus *Medis* conveniunt, nam pigmenta oculorum praeſertim femineorum, aſcititiae comae *ciàda* dictae, quas M*agi* geſtant, purpureae tunicae ſeu ſindones, quibus dii hominesque in ſolemnibus pompis veſtiuntur, torques & monilia ad collum, armillae manibus pedibusque inſitae, quas *Medi* geſtabant, etiam Indici dii geſtant. Utra vero gens hunc cultum ab alia acceperit, noſtrum non eſt inquirere.

SA-

Digitized by Google

SACELLUM INDICUM TAMULICUM

num. 2. ex ligno.

Sacrarium hoc ex ligno pluribus valvis ſibi mutuo annexis, ac variis Indicis deorum ſimulacris & imaginibus inſigne, ſive ex regno *Madure*, ſive ex ora *piſcaria*, quam gens *Parava* dicta incolit, in Europam ac muſeum Borgianum longo circuitu commigraſſe, ac gentis Tamulicae *Parava* dictae mythologiam ſuperſtionemque exhibere, demonſtrant numeri *Tamulici* ad valvas & figuras ſacrario inſcripti. Hae notae numerales *Tamulicae* indicant ordinem, quo figurae ſibi invicem ſuccedere debent.

Figura I. & maxima in ipſo intimo penetrali ſacro inter duas alias collocata, eſt ipſe deus *Vishnu* magnum Indiae numen. Iacet convolutus terno quaſi in circulum redeunte circuitu, & a parte poſtica quinque arrectis capitibus conſpicuus ſerpens *Ananda*. Ei inſidet ſcabellum Brahmanibus *pída* dictum, & huic ſcabello ipſe deus *Vishnu*. Serpentis cucullati *Ananda* quinque capita arrecta & reflexa numinis capiti imminent, ac illud ſibillantibus linguis contegunt, temperant, cuſtodiunt, ac defendunt. Vishnu exhibetur facie nigro caerulea, oculis albicantibus, pupillis nigris, fronte rubeo deae *Bhaváni* ſigno diſtincta. Naturae ſemen in res phyſicas prolapſum, deoſque naturae ſeu *Bhavani* deae filios eſſe, per hoc rubeum ſignum deorum fronti appictum ſignificari, iam ſupra diximus. Quare Herodotus *lib.* 1. *pag.* 27. de Perſis ſcribit: *Uraniae quoque ſacrificant* (Veneri). *Aſſyrii Venerem Mylittam vocant, Arabes eamdem Alittam appellant, Perſae Metram. Sacrorum autem rituum circa hoſce deos* (Caelum ſeu Iovem, Solem, Lunam, tellurem, ignem, aquam, ventos, quae ibi enumerat.) *Hamonii quondam inſtituerunt*. Quiſcumque numina haec primus coluerit, ac ſacrorum circa eos ritum inſtituerit, quod non liquet, id tamen certum & exploratum eſt, *Venerem Uraniam*, quam Aſſyrii, Arabes & Perſae olim colebant, eamdem eſſe cum Indica

Bha-

Bhavání dea. ഭവതി *bhavadi* ille eſt, exſiſtit, naſcitur, ഭവസി *bhavaſi* tu es, exiſtis, naſceris, oriris, ഭവാമി *bhavàmi* ego ſum, exſiſto, naſcor, orior, മേഘഭവഃ *meghabhava*, quod in nube eſt, naſcitur, oritur, ഭവാനി Bhavani, *dea genitrix*, *ortum dans*, *exſiſtere faciens*, *natura* omnium deorum mater, eadem quae *Venus Urania*, rerum & mulierum partui apud Indos praeſes. Vide *Examen Hiſtorico Criticum codicum Indicorum* pag. 9. & ſeq. ubi huius deae attributa accurate & ſollicite expendimus. Hodierni itaque Indi cultu ſuo religioſo cum vetuſtiſſimis Aſiae nationibus conveniunt, atque dii eorum *Bhavani deae* ſeu naturae ſignum rubeum, quod ſanguinem menſtruum, & periodicum huius deae, ſeu naturae ſemen, vim ac procreandi virtutem ſignificat, fronti appictum gerunt. Concordat & accinit his Diog. Laertius in *prooemio* num. VI. pag. 7. qui *Magos* (a *Gymnoſophiſtis* Indicis deſcendentes), *de deorum ſubſtantia & ortu ſententias proferre*, *quos ignem*, *terram & aquam eſſe arbitrentur*, ſcribit. Caput Indici dei *Viſhnu* in hoc Borgiano Indico ſacrario exſtantis mitra in conum aſcendente rutilat. Quatuor manibus inſtructus eſt, quarum una ſuperiori *ciacra* ſeu ſceptrum, ſiniſtra *buccinum ciangu* dictum gerit. Hoc buccino Indi hodiedum populum ad orationem convocant, eoque *Viſhnu* ſeu *aqua* reliqua elementa, ignem; aerem, tellurem ad rerum procreationem vocat, ac ex buccino aquae ſymbolo & omnium rerum ex aqua creandarum principio res producit. Manus una inferior protenſa in vola quadrangulum, aliud omnis generationis apud *Brahmanes* ſymbolum oſtendit, alia inferior maieſtatis & auctoritatis indicii ergo genui appoſita quieſcit, more quo Indi decuſſatis pedibus ſedentes unam manum genui appoſitam gerere ſolent. Volae manuum rubrae, palmae ſunt caeruleae. Subucula rubea pectus contegit, femora periſomata ſeu Indicae caligae cooperiunt, ex collo monilia pendent, lumbos cingulum *arignàna* dictum cingit.

Haec omnia ſatis indicant, quam merito, & quam bono iure

Digitized by Google

iure nos in ſyſtemate Brahmanico *pag.* 79. *& ſeq.*, & ſupra in hoc opere *pag.* 109. *& ſeq.*, defenderimus, *Vishnu* Indicum deum ſymbolum *aquae* eſſe, quod Indi adorant. Vishnu dei inſignia, quae manibus gerit, color, attributa, fabulae, libri, ſymbola, ritus, feſta, hodierni & veteres *Magi* hoc ſatis aperte docent. Vide Lopes, *Indiae Orientalis partem ſeptimam*, in qua Georgii *Spilbergi*, & Caſpari B*alby* navigationes anno 1579. in Indiam & regnum *Pegu* factas tradit, collectore & editore Iohanne Theodoro & Iohanne Iſraele de *Bry* Francofurti anno 1606. *tab.* XXI., ubi *feſtum aquarum* a Peguanis *Sapan Daiche* dictum in regno *Pegu* celebrari aſſerit, eius ritum deſcribit, ac tabulae aereae inciſum exhibet. Similis illi feſto hodiedum exſtat in *Malabaria* ritus, quo *feſtum aquarum* celebratur, ſolent enim *Malabarenſes* Indi, ſi bene memini, menſe Auguſto inumeras cymbas in unum flumen cogere, iis decertare, flumen percurrere, ſpectacula & ludos in aquis exhibere, in iis luſtrari, aſpergi, & *Vishnu* deum totis animis concelebrare. Quod certe indicat, *Vishnu* deum Indis ab initio deum aquarum rectorem, mundi ex aqua conditorem ac ſervatorem ſignificaſſe, eumdemque hodiedum ſignificare. Quocirco tot, tantae, & tam ſanctae eorum luſtrationes & purificationes in aquis, tanta in Indiae *Gangem*, *Yamuna*, *Calini*, *Déva*, *Krshna*, *Cavéri*, aliaque flumina veneratio, de qua egimus ſupra in hoc opere *pag.* 153. 154. 155. *& pag.* 97. *& ſeq.* Haec Indicorum viatorum nemo adhuc animadvertit, quia dum corpus in India verſatur, mens eorum plerumque omni mythologiae ſtudio deſtituta, in aliis terrae partibus vagatur, & dum ea, quae praeſentia ſunt ac coram circumſtant, negligit, longinqua venatur, colluſtrat, coordinat, ſcrutatur. Numini Indico, quod deſcripſimus, duae adſtant in ſacrario Borgiano uxores capite tutulato, mamillis turgidis, manu dextera *lotum* aquae ſymbolum, foliis non apertis geſtantes, veſtemque Indicam more feminarum orae Piſcariae ſeu *Parava* varicolorem indutae. Venus una eſt, altera Tellus, nempe una *Laekshmi*, quae eadem ac Venus, Ops, Ceres, prima dei *Vishnu* uxor, altera *Bhumidévi* ſeu Telluris dea, nam *bhumi* terra eſt, *Dévi* autem dea. Ad ſolii, in

quo

Digitized by Google

quo ſedet *Viſhnu* deus, latera, in imo pavimento ſtant duae figurae deum adorantes, quarum dextera deum *Hanumàn* ſeu *Panem*, cercophytecum, altera genium alterum, fortaſſis *Sugriva* ſimium alis inſtructum, qui deum *Viſhnu* ſeu *aquam* per aera ferebat, denotat. Et *Hanuman* & *Sugriva* ſimii, venti ſunt, nam primus *Shivae* & *Parvadi* ſeu ſolis & lunae, alter dei *Indrae* ſeu *aeris* filius eſt, & utroque hoc *Ràma*, deus Bacchus Indicus, ſeu *Viſhnu* deus in *Ràma* incarnatus, uſus eſt, dum contra *Ràvana* gigantem ſeu Plutonem inſulae *Ceylan* regem & noctis deum dimicavit. *Panem* deum & veteres ſacerdotes Aegyptii & àntiqui Brahmanes adorabant. Vide Herodotum *lib.* 2. Clem. Alex. *Strom. lib.* 3. §. 194. In parietibus ſacrarii huius Indici ad latera iidem hi appicti duo exſtant dii Hanuman & Sugriva, ille florem & gladium manu geſtat, illique comes additur Indus puer. Simio Sugriva adſtat alter Indicus vir, qui omnes Ramae dei famuli & belli ſocii fuiſſe finguntur.

In parte poſtica ſacelli in pariete ſeu tabula *num.* 4. exhibetur deus Brahma quatuor faciebus, quarum tres tantum ſunt viſibiles, cum quarta ex poſtica parte deliteſcat, neque viſibilis eſſe poſſit. Sedet in loto, una manu gerit *ciacram*, altera vas cupreum, quo utuntur Yogui Samanaei mendicantes ad circumferendam aquàm. Nam *Brahma* ob inceſtum cum ſua ſorore commiſſum ac *Shivae* dei caput abſciſſum, vaſe illo inſtructus mendicando vitam egiſſe, & crimina ſua expiaſſe fertur. Aſſident *Brahmae* duae uxores, una vera vultu rubeo, quae eſt Saraſvadi, altera Bhavani facie flava, quae *Brahmae*, *Viſhnu*, & *Shivae* deo eſt communis. Illa *harmoniam*, haec uxor *naturam* ſignificat.

Num. V. *Viſhnu* deus lotum ad pedes habens ac ſupra ſerpentem *Vaſughi*, ſeu in *Pythone* dormiens, qui ab eo devictus, *Viſhnu* deo famulatur. Numen quatuor manus habet, quarum una *buccinum*, altera *ciacram* gerit. Signo *Bhavàni* deae in fronte inſtructum eſt. Corpore nigro caeruleo exhibetur.

Num. VI. *Viſhnu* in *Shriràma* incarnatus, facie & corpore viridi, quatuor manibus inſtructus, in quarum una *buccinum*, in altera *ciacram*, in tertia *arcum* ſine ſagitta, in quarta *cla-*

Digitized by Google

vam tenet, cui tortuoſo flexu inhaeret *anguis*. Frons Bhavani deae ſigno diſtinguitur. Adſtant duae mulieres deo flores exhibentes. Deſuper duae aves *Talaci* dictae, vulgo aves *Paradiſiacae*. Allegoria haec plana eſt & facilis.

Num. VII. *Brahma* quatuor vultuum, quorum quartus a parte poſtica deliteſcens inviſibilis. Quatuor manibus inſtructus eſt, in quarum una *vas otonicum* ſeu cupreum, in altera *ciacram*, in tertia, quae eſt ſiniſtra inferior, gerit *librum*. *Annan* animal quoddam Indicum ad pedes appingitur. Ad latera duo adſtant Indi umbellas ferentes. Numen in fronte *Bhavani* deae ſignum fert, faciebus exhibetur flavis. Supra flores loti appictae ſunt. De *nymphaea* ſeu *loto* vide ſyſtema Brahmanicum *pag*. 120. 32. 33. 102. 242.

Num. VIII. *Viſhnu* colore viridi, fronte *Bhavani* deae ſigno diſtincta, quatuor manibus inſignis, quarum una *ciacram*, altera *buccinum*, duabus inferioribus angues gerit. Ex ore ad latera duo aprini dentes prominent, qui indicant huius dei incarnationem in aprum. Clava cum ſerpente ei inhaerente ad latus appingitur. Numen ſtat in loto. Ex parte dextra ad imos pedes ſtat leo *Naraſinha*.

Num. IX. *Viſhnu*, qui *num. 6.*

Num. X. *Viſhnu* qui *num. 6.* ſed facie rubea, duabus manibus gerit *buccinum*, aliis duabus *ciacram*, ſedet in loto.

Num. XI. *Viſhnu* in *Ràma* incarnatus exhibetur vultu & corpore viridi ſedens pedibus decuſſatis, duabus manibus inſtructus. Adſtat a dextris *Hanumàn* mandatum dei *Ràmae* ad quaerendam *Sidam* excipiens. Ex ſiniſtris ſtat Indus deum *Rama* adorans. Infra ſimia miles Ceylanenſes *Ràvanae* gigantis milites verberat atque enecat. Vide de *Ràma* ſupra §. V. codicem *num. V.*

Num. XII. *Viſhnu* capite tutulato ad globi formam deſcripto. Exhibetur facie rubea, quatuor manibus, quarum duae vacuae, duae *buccino* & *ciacram* inſtructae. Adſtant duae mulieres deo *lotum* exhibentes.

Num. XIII. *Viſhnu* in *Paraſuràma* incarnatus elephanto inſidet. Facie exhibetur viridi, veſtem oblongam flavam indutus,

4. ma-

4. manibus inſtructus. Una gladium, altera haſtam aut ſagittam, una buccinum, altera ciacram gerit. A tergo aſſidet famulus. Infra, dei huius bellatores ſocii Indici ſcuta & gladios manibus ferentes appicti ſunt.

Num. XIV. *Viſbnu* in *Naraſinha* ſeu in *ſemileonem* & *ſemihominem* incarnatus. Monſtrum horrendum, ingens, dentibus, rictu, oculis terrorem incutiens. Vide ſyſt. Brahmanicum pag. 296.

Num. XV. *Viſbnu* in *Krſbna* incarnatus ſedet in arbore, facie & corpore nigro caeruleo. Mulieres duae ſub arbore, quibus *Krſbna* veſtes ſurripuit, & in arborem ſublatas reſtituere noluit, niſi eum elevatis manibus adorarent.

Num. XVI. *Viſbnu* in *Calighi* incarnatus, inſidet ut rex equo viridi, quatuor manibus inſtructus eſt, quarum una *gladium*, altera *frenum* equi, alia *ciacram*, alia *buccinum* gerit. Aſtat Indus umbellam ferens. Numen facie exhibetur flava. Loti flores ſparſi per aera.

Num. XVII. Ad latera unius arboris *Arekamaram* dictae una figura facie viridi, altera facie rubea, utraque humana virili, & more deorum induta eſt, ſed in capite mitram in cuſpidem vergentem geſtat, quae diis non appingitur. Ambae elevatis manibus dextris & pollice ac indice compreſſo, more Indico loquuntur, ac inter ſe conferunt. Videntur eſſe gigantes a *Kamſa* rege miſſi, inter ſe conferentes, quo pacto deum *Krſbna* occidere poſſint.

Num. XVIII. Aliae duae figurae humanae nudae ſtantes & inter ſe conferentes. Una exhibetur colore rubeo fuſco, altera nigerrimo. Mitras cuſpidatas in capite geſtant, ex collo ſerta & monilia pendent, in fronte ſigno B*havàni* deae exornati ſunt. Zona humerali Brahmanica carent. Sunt duo gigantes ad *Krſbna* occidendum conſilia ineuntes. Ex omni harum figurarum ornatu apparet, monumenta haec orae *Piſcariae* eſſe.

Num. XIX. *Krſbna* ſeu *Viſbnu* in *Krſbna* incarnatus, facie viridi, una manu *buccinum*, altera *ciacram*, una *ciaca* fructum gerit, quarta elephantem domat & inſtruit, cui fructum *ciaca* edendum praebet. Appingitur pratum, in quo verſatus eſt *Krſbna*, ac palus ſeu *Tangue*, in qua piſces & crocodili natantes, quos

 omnes

Digitized by Google

omnes domuit, rexit, nutriit & ſibi obſequentes habuit *Krſhna*, ſeu *Apollo* Indicus.

Num. XX. *Krſhna* viridi facie, ſigno Bhaváni deae inſignis, quatuor manibus inſtructus eſt, quarum una *ciacram*, altera *buccinum*, duabus *tibiam* ori appoſitam tenet, eaque ſonos modulatur. Silvae ex utroque latere appictae, ſubtus ſex *vaccae* eum ludentem audientes & conſpicientes. Ad imos pedes duae loti appictae exſtant. Vide ſupra §. V. num. I. lib. *Bálagapurána*.

Num. XXI. *Hanumán* ſimius deum *Viſhnu* in *Rámam* incarnatum ſuis humeris portans. *Hanumán* exhibetur colore viridi, in capite ſigno deae B*havàni* inſignitus, & longa cauda inſtructus. *Viſhnu* quatuor manus habet. Una *ciacram*, altera *buccinum*, alia *florem* gerit. Hae manus, ac mitra capiti inſidens ſuadere videntur, figuram hanc *Viſhnu* eſſe in *Ràmam* incarnatum, dum in inſulam *Ceylan* pro expeditione bellica contra *Ràvana* gigantem ab *Hanumàn* portatus fuit. Alii in hac figura *Sidam* Rámae uxorem ab eodem *Hanumàn* ex *Ceylan* portatam exhiberi dicent, a quibus ego non diſſentiam, cum figura humeris *Hanumàn* inſidens, non ſatis diſtincta ſit, nec dignoſci facile poſſit, an *Sida* ſit, an vero *Ràma*.

Num. XXII. *Viſhnu* in *Shriràmam* incarnatus incarnatione *ſexta* exhibetur facie viridi, fronte B*havàni* deae ſigno inſtructa, quatuor manibus, quarum una *ciacram*, altera *buccinum*, tertia *florem* geſtat. Quarta vacua eſt. Numen inſidet humeris unius genii, qui ex parvulis alis ei affictis dignoſcitur. Hic genius naſo adunco, dentibus proſtantibus, & duabus manibus, quibus inſidentis *Shriràmae* pedes ſuſtinet, ſerpenteſque cucullatos gerens exhibetur. *Ràma* per genium, aut *Sugriva* ſimium in *Laenga* ſeu *Ceylan* delatus exhiberi videtur.

Num. XXIII. Incarnatio dei *Viſhnu* in teſtudinem. Exhibetur *Viſhnu* facie viridi, quatuor manibus inſtructus, quarum duae vacuae ſunt, aliae vero duae *rotula* ſeu ſceptro *ciacra*, & *buccino* inſtructae. A lumbis totum dei corpus in teſtudinem transformatum exhibetur, teſtudinis pedibus extra teſtam quaſi natantis ſpeciem exhibentibus.

Num. XXIIII. Incarnatio dei *Viſhnu* in piſcem. Exhibetur

Viſh-

Digitized by Google

Viſhnu facie flava, quatuor manibus, quarum duae viduae, aliae *ciacram* & *buccinum* gerentes. A lumbis ad extremam uſque pedum calcem *Viſhnu* piſcem exhibet, ita ut ſui inferiore parte piſcis, ſuperiori humana figura ſit. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 279. *& ſeq.*

Num. XXIV. Incarnatio dei *Viſhnu* in *Ràma*. Hic exhibetur facie viridi duabus manibus inſtructus, in quarum una *arcum*, in altera *ſagittam* geſtat. Frons, ut in reliquis figuris, ſigno *Bhavàni* deae diſtinguitur.

Num. XXIV. Eodem ordine exhibetur incarnatio eiuſdem dei in aprum. Facie repraeſentatur nigra aprina, dentibus proſtantibus, capite mitram gerens. Corpus reliquum hominis eſt, & quatuor manibus inſigne. Duabus ſuperioribus *ciacram* & *buccinum* geſtat, inferiores vacuas habet.

Num. XXV. Duae mulieres facie fuſca decuſſatis pedibus ſedentes. Ornamenta capitis muliebria ſunt, inaures rotundae, quales geſtari ſolent a mulieribus orae *Piſcariae*, ac praeſertim a mulieribus tribus *Parava* dictae. Una ex his mulieribus flabellum muſcarium ex foliis palmarum *panà* dictis confectum manu geſtat. Ambae videntur eſſe uxores dei *Viſhnu*.

Num. XXVI. *Paraſuràma*, ſeu potius *Ràma* cum ſuo fratre *Lekshen*. Hic facie viridi, & gladio inſtructus iunctis manibus exhibetur. *Ràma* faciem rubeam praeſefert, ac una manu gladium vaginae incluſum gerit. Alia manum extenſam ac elevatam tenet indice protenſo more Indico, formam loquentis exhibens. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 302. *& ſeq.*

Num. XXVII. *Viſhnu* facie rubea, veſte viridi, monilibus ex collo pendentibus, & in pectore unione *Manì* dicto munitus. Quatuor habet manus, quarum una *clavam* ſeu *tuditem*, altera *buccinum*, altera *ciacram* gerit. Quarta, quae eſt dextra inferior, femori applicata quieſcit. Adſtant duo Indi; qui una manu flabella ex pavonis pennis confecta, altera nolam geſtant. Haec igitur figura exhibet formam, qua *Viſhnu* deus in publica pompa ab Indis circumfertur. Sub hac forma deum *Viſhnu* ſaepe *Magis* Indicis apparuiſſe, Indi narrant. Quocirca etiam

iam

Digitized by Google

iam Diog. Laert. in *Prooemio* num. VI. p. 7. de *Magis* ait: *Deos ſibi apparere aſſerentes*. Conf. Platonem in *apologia* Socratis.

Num. XXVIII. *Vishnu* deus facie nigro-caerulea, fronte *Bhavàni* deae ſigno diſtinctus, inauribus rotundis, quales ii, qui *Paravae* dicuntur, geſtant. Quatuor manibus inſtructus eſt, quarum duae quieſcunt, duae *ciacram* & *buccinum* geſtant. Numen ſtans & toto corpore veſte albis floſculis diſtincta, atque exornata exhibetur, in pectore tamen unione *maní* dicto promicante. Adſtant duae mulieres Indicae lotum manu ferentes & deo offerentes. Caput numinis mitra oblonga inſignitum eſt, & eidem multi *loti* flores una cum ſuis radicibus impendent.

Num. XXIX. *Laekshmi* dea *Vishnu* dei uxor, facie rubea, tutulo crinium ſuorum ad latus vergente, & decuſſato. Signo B*havàni* deae frons diſtinguitur. Inaures formam exhibent inaurium feminarum tribui *Parava* peculiarium. Dea quatuor manus habet. Una *ciacram*, altera *buccinum*, tertia florem & fructum arboris M*àva* gerit. In quarta ad inſtar ſtili inſtrumentum oblongum appictum viſitur. Adſtant duae mulieres lotum deae offerentes. Vide *ſyſtema* B*rahmanicum* pag. 93. & ſeq.

Num. XXX. *Vishnu* deus facie dimidia viridi, altera dimidia flava, linea ex ſuprema fronte per nares, & medium os uſque ad imum mentum faciem unam in duos colores & duas formas ſecante. Ita reliqui corporis pars una viridis, altera flava eſt. Manus una & pes unus itidem flavus, alter viridis. Numen quatuor manibus gaudet. Una *ciacram*, altera *clavam*, altera *gadga* inſtrumentum, alia florem & malum M*anga* appictum gerit. Adſtant duo Indi ventilabra geſtantes. In hac Vishnu dei facie, ac corpore, flavo ſimulque viridi colore ex aequo diſtincto, *aquam*, quae per colorem *viridem*, & *ignem* qui per colorem *flavum* adumbratur, duo haec elementa mutuo commixta, concordia, ac coniuncta ſignificari, facile ſuaderi poteris, ſi memineris ex *Herodoti*, *Diogenis Laertii*, & *Clementis Alexandrini* ſententia, ac hodiernorum *Brahmanum* doctrina, *aquam* & *ignem*, ut duo praecipua numina ab Indis coli, ac philoſophos Indicos in duas ſectas dividi, quarum una cum

pri-

Digitized by Google

primis *aquam* , id eſt *Viſhnu* deum , altera vero *ignem* , id eſt *Shiva* deum religioſo cultu proſequatur . Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 218. 219. 220. Hos duos deos, deum nempe *Viſhnu* & *Shiva* mutuo coiviſſe, unum in alterum tranſiviſſe, ſaepe formam mutaſſe, cum B*havàni* dea, una eademque ſua matre & uxore concubuiſſe, filios genuiſſe, frequenter mutuo pugnaſſe, tum iterum haec elementa ſeu deos ad concordiam rediiſſe, ac res humanas procreaſſe docuimus in eodem ſyſtemate Brahmanico *pag.* 111. & 112. Haec igitur eſt illa *concordia diſcors*, *Orumà* & *Arimà*, de qua vide ſupra *Conſectaria ex codicibus Indicis*. Viſhnu & Shiva *aqua* & *ignis* in hoc ſymbolo uno corporis trunco & una perſona, tamquam ſimul coaluiſſent, exhibentur, ſed ignis *flavo*, aqua *viridi* colore adumbratur, & dimidia quidem facies ac unius eiuſdemque corporis pars *viridi*, alia *flavo* colore repraeſentatur. Hoc igitur ſymbolum duas ſectas coniungit, ac rerum creationem ſeu productionem aquae & igni, *Viſhnu* & *Shivae* deo ſibi mutuo coniuncto ac concordi tribuit; & hoc ſyſtema iis Indicis philoſophis peculiare eſt, qui ஸ்மார்த்த *Smàrta*, ſeu *contemplatores* ac *ſemper meditantes* dicuntur. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 219. 220. Flos arboris *Mava*, & malum eius *Manga* dictum, quod in hac figura *Viſhnu* deo appictum cernis, fertilitatem & abundantiam; *Ciacra* imperium ſeu rerum gubernium; *Clava* vires & fortitudinem; *Gadga* ſeu gladius caſtigandi, puniendi, & res deſtruendi proprietatem ac poteſtatem ſignificat.

Num. XXXI. *Viſhnu* facie rubea, quatuor manibus inſignis. Harum duae viduae, aliae *ciacram* & *buccinum* gerunt. In fronte ſignum B*havàni* deae exſtat. Adſtant duo Indi umbellas geſtantes.

Num. XXXII. *Viſhnu* ſub baldachino, ut repraeſentari ſolet in templis ariſque ſuis. Faciem gerit viridem, quatuor manus, quarum duae viduae, aliae *ciacram* et *buccinum* tenent. Adſtantes habet duas mulieres *lotum* ei exhibentes.

Num. XXXIII. *Viſhnu* facie equina viridi, quatuor manibus inſtructus, quarum duae viduae, aliae *ciacram* & *buccinum* geſtan-

geſtantes. Reſpicit figuram ad latus eius dextrum ſtantem, quae facie nigro caerulea, capillamento decuſſato ac quaſi muliebri exhibetur. Haec figura una manu lotum apertam & foliis pendentibus tenet, altera malum ſeu fructum aliquem gerere videtur, utraque vero manu haec munera deo equino offerens exhibetur. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 162. *& ſeq.*

Num. XXXIV. *Vishnu* facie rubea *ciacram* & *buccinum* manu gerens. Adſtat eidem, eumque reſpicit a dextris vir niger *Paravia* mitra oblonga ac ornamento comico inſtructus, quo indui ſolent illi, qui deorum geſta in theatris exhibere ſoliti ſunt.

Num. XXXV. Vishnus in *Naraſinha* ſeu in *leonem hominemque* ſimul incarnatus. Facie exhibetur viridi, ore & vultu leonino, hiantibus faucibus, dentibus proſtantibus, auribus arrectis, mitra capiti inſidente. Quatuor habet manus, duas viduas, duas *ciacram* & *buccinum* ferentes. Ibidem exhibetur incarnatio eius in *Vàmana* ſeu in Brahmanem *nanum*, qui umbellam una manu, altera vero ſcipionem geſtat, ac peregrinantis Brahmanis formam exhibet. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 296. *& ſeq.*

Num. XXXVI. Incarnatio *Vishnu* in *Ràma*, una manu arcum, altera gladium tenens, facieque rubea exhibetur. Ibidem incarnatio in *Paraſuràma*, qui pariter una manu arcum, altera gladium geſtat. Facie exhibetur fuſca.

Num. XXXVII. *Vishnu* in aprum incarnatus facie exhibetur humana rubea, duobus aprinis dentibus ex ore proſtantibus. Signum deae *Bhavani* in fronte. Manus quatuor, quarum una clava, altera ſerpente, duae ciacra & buccino inſignes. Ad pedes appictus ſtat *Naraſinha* ſeu hic ipſe *Vishnu* in leonem hominemque incarnatus. Sacrarium hoc meridionalis Indicae gentis, *Vishnu* deum ſeu *aquam* adorantis eſt, idque cum mythologia, ſymbolis, & cultu ſeptemtrionalium Indorum accurate convenire, iam tu ipſe perſpicis. Secta igitur philoſophorum *aquam* adorantium in India frequentior, ſaepe alteri ſectae *ignem* colenti lites movit. Inde emigratio huius ſectae in *Perſidem*, in *Tibetum*, in regnum *Ava*, *Pegu* & *Siam*. Vide ſupra *pag.* 44. 45. Confer Platonem in *Timaeo* pag. 706. *edit. Baſ.*

 COSMO-

COSMOGONIA
INDICO-TIBETANA

Quicumque *Platonis* Timaeum, *Marſiliique Ficini* in Timaeum excellens compendium legit, quicumque *Vincentii Cartari* tabulam mundi caeleſtis *edit. Patavinae* 1626. ad operis eius *pag.* 3. affixam inſpexit, quiſquis inquam ſchema mundi caeleſtis *Dantis Alighierii* in noviſſima eius operum Romana editione tomi, quo infernum deſcribit fronti praefixum, aliaque ex *Pythagoricorum* placitis delecta mundi ſyſtemata in aes inciſa oculis, & mente luſtravit, ei tabula coſmographica *Indico-Tibetana*, quam heic ex autographo *Tibetano* muſei Borgiani Velitris proferimus, nec novitatis ſpeciem, nec admirationis incitamentum adferre poteſt. Tabulam hanc Indico-Tibetanam pinxit *Ion-de la-hu-ri* pictor Tibetanus ex archetypo ſacro in *Lhapranga Lhaſſenſi* aſſervato; eius meminit *Bernoull* in notis ad *pag.* 196. 197. *tom.* 1. ad Anquetilii du Perron opus inſcriptum, *Recherches Hiſtoriques & geographiques ſur l'Inde*; eam vero illuſtravit auctor Alphabeti Tibetani *pag.* 472. *& ſeq.*, apud quem plura in hanc rem reperire, & ipſam tabulam ſyſtematis huius coſmogonici ex linteo *Tibetano* in aes inciſam inſpicere poteris. Nos pauca ex Indica doctrina heic addemus, atque ex iis patebit, non ſolum Tibetanos a Brahmanibus *Magis* hanc coſmogoniam accepiſſe, ſed iam inde a remotiſſimo tempore hoc coſmogonicum ſyſtema per Pythagorae aſſeclas in Graeciam, ac inde in Latium perlatum fuiſſe.

Patefacta armis Alexandri M. India, montis *Meru* in eadem *India* exſtantis meminit Strabo *lib.* 15. Plinius *hiſt. nat. lib.* 6. *cap.* 20. Arrianus *de Alexandri expeditione*, & Q. Curtius *lib.* 8. *cap.* 19. Angli Calcuttenſes in libro *Aſiatick reſearches*, tom. 1. *pag.* 258. R. P Iohannes a Brito in cod. Luſitano mſſ. *Dos erros dos gentios do Concão da India* cap. 4., ubi nomen eius ſcribit corrupte *Magà Meru Parruvadam* pro *Mahà Meru Parvàda*. Heic tu ipſe perſpicis *Magà* vocabulum ex corruptione *Tamulica* pro

Digitized by Google

Maha magnus dictioni Samſcrdamicae ſuppoſitum fuiſſe. *Maha Meru Parvada* enim ſonat, *magnus Meru mons*. Huius montis *Meru* ab India paullo longinquior etiam meminit philoſophus Peguanus *Mahâtabaſſi Dhermarâgiaguru* ſupra in compendio legis Barmanorum *pag.* 31. ubi ait: *Si deve in primo luogo oſſervare come per eccellente mondo attualmente eſiſtente, quello ſpazio poſto nel gran circolo con in mezzo la ſua montagna di Meru, ed i ſuoi freddi mari, con i ſette cerchi di monti, il grand' Oceano con le* 4. *grandi iſole, e la gran maſſa di terra ſottopoſta*. Hunc montem *Meru*, paradiſumque terreſtrem in *India* ſitum deſcribit etiam Sinicus liber *King*, cuius meminimus nos in ſyſtemate Brahmanico *pag.* 293. 294. De eo agit P. Marcus a Tumba in *cod. mſſ. in fol. pag.* 152. P. Ildephonſus a Praeſentatione Carm. Diſc. in *cod. mſſ.* bibl. S. Cong. de Prop. Fide, *De lege Indorum* cap. 6. *de forma & ſitu mundi* ex opinione Brahmanum, liber Indicus *Amaraſinha* ſect. 1. ſeu de *caelo* gentilium Indico.

Non vacat heic omnia Aſiaticae gentis de monte *Meru* referre commenta, neque omnes allatorum ſcriptorum adducere diſputationes. Ex iis omnibus rite expenſis, ac Indicae mythologiae & geographiae praeſidio munitis, I. Statuendum eſt: montem *Meru* eumdem eſſe, qui Indis eſt *Himala*, vel *Hemâdri* mons frigidus, mons *nivoſus*, mons *aureus*.

Is componitur ex 7. montibus, quorum princeps collocari debet ſub gradu *latit. bor.* circiter 35. Vide ſupra in hoc opere *pag.* 44. 45. ſub nota 7. *pag.* 31. ſub nota 2. & *pag.* 131. 132. Syſtema Brahmanicum *pag.* 320. 321. 284. *& ſeq.* ac praeſertim *tab.* XVI., in qua ex autographo Indico muſei Borgiani *Shiva* deum & *Pârvadi* deam, id eſt *Solem* & *Lunam* ſymbolica Indiae numina in aes inciſa & montibus *Meru* ſeu *Himala* inſidentia exhibuimus. Vide pariter ſitum montis *Meru* phyſicum & geographicum ex deſcriptione globi Indici in eodem ſyſtemate Brahmanico *pag.* 135. diſſert. de *Shrirâma* ſeu Baccho iuniori Indico.

Mons iſte terreſtris & phyſicus a remotiſſimo tempore Indorum fictionibus inſignis, cum & Graeci ſuum Bacchum ex *Iovis femore* in monte *Meru* in India natum fuiſſe iactaverint,

ex

Digitized by Google

ex Indorum ſententia in centro mundi conſtitutus, Indis rotundus eſt, Tibetanis quadratus. Illi 7. maribus in circulum eum affluentibus cinctum eſſe opinantur, Tibetani e contra *Labae* philoſophi veteris Indicae philoſophiae novatores expuncto in hoc mundi ſyſtemate *circulo*, & ſubſtituto eidem *quadrangulo*, & montem & eum circumfluentia 7. maria in forma quadrata, ſeu quadrangulari deſcribunt. Et talem eum exhibet typus ex linteo Borgiano a Tibetano pictore expreſſus. Mons iſte apud Indos ſtat in medio mari ac terram & caelum veluti ſcala quaedam conjungit. Innititur teſtudini ſtabilitatis ſymbolo, & teſtudo ſerpenti vitae & mortis, ſeu aeris vel aetheris totum mundum circumplexi ſymbolo. Ex eo, ut 7. alios montes ſibi proximos complectente, quatuor inſignes ſcaturiunt fluvii, *Ganges*, *Gagra*, *Indus* ſeu *Sindhu*, & alter, qui non in Indiam, ſed in regnum *Tibet* divergit. Mons ipſe gradibus diſtinctus eſt, & in his dii deaeque Indicae & Tibetanae, contemplatores *Magi*, Tibetanis *Labae*, id eſt aſtra, planetae, & 5. mundi elementa perſonas induta verſantur, ac boni dii, quos Indi *Dèvaguel* nuncupant, 8. mundi partes cuſtodiunt, quarum nomina, ut 8. horum deorum mundi cuſtodum geſta, Indi recitare ſolent. In monte ipſo domicilia, ſedes, & gloria paradiſiaca eſt dei *Vishnu*, quae *Vaigunda*, gloria dei *Shivae*, quae *Kailâſam*, & glotia dei *Brahma*, quae *mukti* vel *moksha* dicitur. *Shiva* ſeu Sol, *Pàrvadi* ſeu Luna principem locum tenent, atque aſtra haec *horiſontaliter* in ellyptica circa montem revolvuntur, quae comitantur alii planetae ut contemplatores, *Magi*, conſiliarii, & ſatellites ſuum curſum definito ordine perficientes (1). In ipſo montis cacumine reſidet ſupremus Deus *Parabrah-*

(1) Vide *cod. mſſ. in fol.* P. Marci a Tumba *pag.* 146., & de diis ſeu *Devaguel* in monte *Meru* verſantibus, Bayeri, *hiſtoriam regni Bactriani* pag. 4. & 9. Confer *Platonem* in Timaeo *p.* 912. & 713. edit. Baſil. *Horum vero deorum* (Solis, Lunae, Luciferi ſeu Veneris, Mercurii, aliorumque ſiderum) *choreas*, *& inter ipſos concurſiones*, *circulorumque ipſorum revolutiones varias & acceſſus*, *quales praeterea fiant coniuncti ſibi invicem vel oppoſiti*, *ſive ante inter ſe*, *ſive retro*, *quidve ex illorum ſerie nobis proveniat*, *quibus temporibus*, *& quo pacto deliteſcant ſinguli vel emergant*, *quidve portendant quando orientes hominibus horum rerum peritis timorem incutiunt*: *Haec inquam abſque diligenti ſimulacrorum ipſorum inſpectione explicare velle inanis eſt labor*. Et paul-

rabrabma, qui poſt diluvium diſpulſis aquis in eo monte apparuit, atque deum *Brahma*, *Viſhnu* & *Shiva*, id eſt *terram*, *aquam*, *ignem* vel *Solem* vocando, eis praecepit, ut inciperent res perditas reſtaurare, novaſque procreare (1). Quod quidem ipſos hodiedum praeſtare Indi dicunt. Supra montem *Meru* in multis cellulis diſtinctis, quae omnes ſimul aedificium quoddam inſtar obtuſae & inverſae pyramidis conſtituunt, deorum & beatorum ſedes & manſiones ſunt, ad quas beati illi per duodecim ſigna Zodiacalia in ellyptica, quam *Sol* ſeu deus *Shiva* horiſontaliter circa montem *Meru* revolvendo percurrit, a terra per montem *Meru* aſcendendo penetrant, & iterum per eadem Zodiaci ſigna & montem *Meru* redeunt, dum hominibus apparent, aut ad informanda humana corpora in hanc terram (2) delabuntur.

Mons *Meru*, ut iam diximus, ex opinione Indorum ſua ima baſi terrae innititur, & haec teſtudini, teſtudo, ut aliqui volunt, ſerpenti. Vide in ſyſtemate Brahmanico *tab.* IX. c. ſecunda

paullo infra: *Ad eos mundi genitor ita fatur. Dii deorum quorum opifex ego & pater ſum, haec attendite. Quae a me facta ſunt &c.* Confer etiam Platonis *Axiochum*, quamquam eum aliqui *Platoni* abiudicent.

(1) Ex hac veterum *Magorum* de deorum domicilio, in monte *Meru* ſeu *Himala* conſtituto, ſententia, orta eſt ea apud *Aegyptios*, *Scythas*, & *Indos* opinio, montem *Meru* ſeu *Himala*, in quo deus apparuiſſe fingitur, in ſuo ſupremo cacumine a diluvii aquis merſum non fuiſſe. Vide apud *Platon.* Aegyptii ſacerdotis ad *Solonem* loquentis theogoniam in Timaeo *pag.* 706. 707. Iuſtin. *lib.* 2. *pag.* 20. & ſupra in hoc opere *pag.* 107. 108.

(2) Vide ſupra *pag.* 183. in notis Clement. Alex. locum *Strom.*, *lib.* 5. *p.* 711. *edit. Venet.* Alphab. Tibet., & figuram mundi heic in aes inciſam, in qua *Sol* & *Luna* ad latera montis *Meru* appinguntur. His conſentaneae ſunt recentiorum Iudaeorum fabulae de *Paradiſo* terreſtri. Vide opinionem *Rabbi Moſis Bar Nachman*, aliorumque, *cap.* 31. *pag.* 231. *& ſeq.* apud Paullum Medici, *Riti e coſtumi degli Ebrei.* Venezia 1742. Opinio Indorum, qua tenent, Solem, Lunam, & reliqua aſtra circa montem revolvi, communis erat olim etiam Athenienſibus. *Acad. des inſcript.* tom. XVIII. pag. 109. 110. Confer etiam vitam *Pythagorae* apud *Photium* bibl. pag. 1315. ubi ita differit: *Duodecim orbes in caelo eſſe, & primum ac remotiſſimum firmamentum, ubi & ſummus Deus, ceterique intelligentia praediti dii. Deinde 7. planetae ſequuntur, Saturni, Iovis, Martis, Veneris, Mercurii, Solis & Lunae, poſt planetas ignis, mox aer, quem ſequitur aqua, omnibus ultima ſubeſt tellus.* Indis Saturnus eſt deus *Ciani* ſeu *Shani*, Iupiter *Brahaſpadi* deorum magiſter, Mars *Ciova*, Venus *Shucra*, Mercurius *Budha*, Sol *Sura*, Luna *Ciandra*, quorum ſymbola ſunt deus *Shiva* & *Parvadi* dea, ignis *aghni*, aer deus *Indra*, aqua deus *Viſhnu*, terra deus *Brahma*, qui dii montem *Meru* occupant.

Digitized by Google

cunda incarnatio dei *Viſhnu*. Tota vero haec moles, id eſt terra, mons *Meru*, & paradiſus ex mari, ex aqua, ſeu ex humido aſſurgit. *Magi* Indici indicare volunt, terram totamque molem viſibilis huius Mundi ex *aqua* procreatam fuiſſe. Vide ſupra pag.200. initium illuſtrationis primi ſacelli Indici Borgiani. Quocirco, illi philoſophi Indici, qui deum *Visbnu* ſeu *aquae* principium colunt, etiam hunc ipſum deum in ſupremo montis *Meru* cacumine collocant, tamquam omnium deorum principem. Illi vero philoſophi Indici, qui *ignem* adorant, ſeu *Shivae* deo rerum & mundi procreationem attribuunt, illi inquam etiam *Shivam* deum, *Solem* ſeu *ignem* in ſupremo montis *Meru* cacumine collocant, eique *Lunam* ſeu *Parvadi* deam uxorem aſſignant. *Shiva* deum & *Paravadi* deam in monte *Meru* conſidentes, & tigridem, quae ob maculas nigras in ſuo flavo flammeo corpore diſperſas, caelum, ſtellaſque caeli exhibet, mutuo conſpicientes vide in ſyſtemate Brahmanico *tab.* XVI. His duobus Divis in ſyſtemate *Shivanitarum* ſeu *ignem* colentium, origo *Gangis* & *Gagra* fluminum, qui ex *paradiſo* dimanant, attribuitur, quare Deum *Shiva* cum *Gange* ex eius capite proſiliente, aut ex eius ſinu dilabente pingere ſolent. Vide in eodem ſyſt. Brahmanico *tab.* X. *&* *tab.* XVI. *pag.* 320. 321. Hoc idem de *Nilo* docuere Aegyptii, qui *Nilum* ex Luna ortum fuiſſe fabulantur. Tota mundi moles, ſeu Meru, paradiſus, terra, aqua, caelum, infernus uno continentur ovo, ſeu circulo figurae ovalis; quocirco vetuſtiſſima illa gentium philoſophia, omnia ex *ovo* procreata fuiſſe. *Dicono dunque*, ait R. P. Marcus a Tumba ex Indico libro *Bhagavadapuràna*, pag. 152. in *cod. mſſ.* in fol., *dicono, che il globbo terreſtre* (ita & globus mundi) *è come un' ovo, ed è perpendicolare, cioè col polo artico ſopra, in dove pongono il monte Sumeru* (pulchrum *Meru*) *con tutti li Paradiſi, e polo antartico ſotto con una tal qual ſpecie d' Inferno . . . Gli Uomini, in quanto alle anime ſono uſciti da Dio, ſia col di lui fiato, ſia dividendoſi in tante particelle, quante ſono le anime, o tramandate da lui. Sempre ſono uſcite dalla di lui eſſenza; nella quale devono ritornare dopo la fine del mondo. Queſte particelle di Dio percorrono il corſo delle tranſmigrazioni, buone*

o cat-

o cattive , ſecondo che avranno bene o male operato nella transmigrazione precedente ; e così ſi danno le ricompenſe , e li caſtighi delle coſe ordinarie &c. Vide *compendium legis Barmanorum* pag. 8., ubi Peguanus doctor *Mahatabaſſi Dhermaràgia guru* interrogat: *Coſa inſegna la legge dei giuſti? . . . Poichè non v'è altro , che il deſtino del merito , e del demerito in ogni vita , al pari dell' ombra del proprio corpo , che mai da noi ſi ſepara ſeguendoci , e che tra le creature animate altre naſcono cattive , altre buone ; che da Uomo ſi diventa Nat* (dominus ſeu genius) , *oppure bruto ; che da bruto ſi transmigri in uomo , oppure in Nat* (in genium) , *che da Nat ſi naſca bruto , o ſi diventi uomo , e finalmente , che tutti quelli , che non ſono per anche arrivati al merito di paſſar nel Niban* (in gloriam caeleſtem) *montino e diſcendino alternativamente.* En ergo veterem Indicorum philoſophorum doctrinam de animarum tranſmigratione hodiedum in India in ſuo integro vigore exſiſtentem! Animae immortales ſunt , eaeque pro merito , aut demerito tranſmigrant. Dum mundi ovum in prima mundi rerum creatione ruptum fuit , pars ſuprema *ſeptem* conſtituit caelos , media *ſeptem* continentes ſeu inſulas , extima & infima *ſeptem* maria. Vide P. Ildephonſi cod. mſſ. cap. *6.* de *lege Indorum* , P. Marci a Tumba *cod. mſſ.* in ſol. *pag.* 152. ſyſtema Brahmanicum *pag.* 163. 164. *& ſeq.* Hinc repeti debet etiam Tibetani pictoris auctoritas , qui monti *Meru* ſeptem affingit maria. Circa inſulas aut continentes monti Meru adiacentes non eadem eſt ratio, alii enim novem , alii octo, alii tantummodo 7. agnoſcunt. Id quod omnes ore unanimi fatentur , eſt , Indiam ſeu *Gembbudip* ſecundum hoc mundi ſyſtema in medio mundi ſitam eſſe , atque ſtatim ad eius boreale latus montem *Meru* aſſurgere. Hoc fatentur Tibetani *Lahae* , qui in hoc Borgiano Indico-Tibetano monumento in ima parte in medio inſulam *Gembbudip* collocant , atque inde ex *Benares* ſeu veteri *Caſſidia* ſuam originem repetunt. Eam urbem ipſi *Scher-chja-ſgi* , Indi ſeptentrionales कशी *Kasì* nuncupant. Vide Alphab. Tibet. *pag.* 474. In hoc igitur loco , mundi Indici centro conſtituto , atque inde paullo ſupra verſus boream in altum monte *Meru* , in quo *Paradiſus* eſt , aſſurgente , ad imam huius montis partem etiam In-

Infernus exſiſtat eſt neceſſe. Animae enim illae!, quae lethali culpa ſunt infectae, ad inferni deum *Yama* proemii & poenae iudicem delabantur oportet, apud quem in ſua traſmigratione contractas labes expiare compelluntur. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 177. *tab.* XXIII., & Plato in *Axiocho* ex ſententia Magi *Gobriae* ait: *Animam poſtquam a corpore ſit exoluta in ignotum quemdam locum ſubterraneo diſcedere receſſu*, *in quo Plutonis ſit regia nihilominor*, *quam aula Iovis*. *Terra enim mundi medium tenente ambitum eius eſſe globoſum*, *cuius alterum quidem ſemiorbem dii ſuperi acceperint*, *inferi alterum*. Confer etiam Strabonem *lib.* 15. de immortalitate animae a Brahmanibus aſſerta. *Plurimas eorum de morte diſputationes eſſe*. *Texere etiam fabulas quasdam quemadmodum Plato de immortalitate animae*, *&* *de iudiciis quae apud inferos fiunt*. Igitur inferni Indici locus eſt ſub fluvio *Yamuna*, qui a borea ex uno montium, qui monti M*eru* adſtant, effunditur; atque hic fluvius Indis S*tygis* flumen eſt, per quod impiae animae ad infernum devehuntur. Quare ipſe deus *Yàma*, a quo *Yamuna* flumen nomen ſuum accepit, huius *fluminis frater*, id eſt യമുനഭ്രാദ *Yamunabbràda* dicitur. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 177. P. Marcum a Tumba in *cod. mſſ. in fol.* pag. 152. Haec igitur apud gentiles pervetuſta eſt de *Inferno* doctrina, quae ex India in Graeciam perlata fuit. (1) Inferni, poenarum, & dei *Yamae* tribunal ac imagines exhi-

(1.) Scite hoc animadvertit doctiſſimus Abbas *Lantius* in erudita synopſi ſyſtematis Brahmanici. Vide *Giornale de' Letterati*, tom. LXXXVII. Piſa anno 1792. preſſo Gaetano Mugnaini, *art* 1. *pag.* 6. Quod ſi in hac *Indico-Tibetana* cosmogonia, aliiſque Indicis monumentis nulla eſt naturalium, phyſicarum, aſtronomicarum, ac moralium rerum coordinatio; quod ſi inanes ſunt, & ſenſu phyſico & morali vacuae omnes Indorum fabulae; quodſi hae eaedem Brahmanicae fabulae, libri, monumenta unice ad *Manetem*, ad Indiae reges locales, ac ad heroes veros & hiſtoricos gentis Indicae referuntur: profecto inanis & ridicula cenſeri debet tota a veteribus Graecis tam decantata *Brahmanica* philoſophia; inanis & vacua ſupponi debet tota *Magorum* doctrina; vana, inutilis, & ſtulta Graecorum philoſophorum ad *Aegyptios* ſacerdotes & *Magos* doctrinae hauriendae cauſſa peregrinatio, & cum iis communicatio. Vide de *Pythagora* ſupra ex *Codicibus Indicis confectaria*, de *Platone* Ciceronem *oper. tom.* III. edit. Lugd. *de finib. bon. & mal.* lib. 5. pag. 107. & eodem lib. 5. pag. 113. ubi ait: *Cur Plato Aegyptum peragravit*, *ut a ſacerdotibus barbaris numeros*, *& caeleſtia acciperet? cur poſt Tarentum ad Ar-*

Digitized by Google

exhibuimus in ſyſtemate Brahmanico *pag.* 177. *tab.* XXIII. Similis fere huic, quam heic dedimus, eſt deſcriptio montis *Meru*, Paradiſi, & Inferni apud Iaponnenſes. Vide apud Franciſcum Pivatium tom. 8. *dictionari ſcientifici* pag. 209. *tab.* 42. *fig.* 1. ubi Pivatius ex *Kaemphero*, legationum Batavarum ſylloge, ex P. *Guzmano* & theologorum Iapponenſium ſententia mundi ex aquis creati, & aquis expiati imaginem affert. Arbor, ſeu arboris truncus terram, & montem M*eru* exhibens ex aquis attollitur, eiusque apici inſidet Iapponnenſis deus *Canon*, qui idem plane eſt ac Indicus deus *Visbnu* aquarum praeſes, & rector. Stant etiam in eo ſimulacro ad latera montis *Meru* seu arboris truncum, boni malique geni *ſerpentem* vitae, & mortis ſymbolum, monti M*eru* circumplexum motu celeri circumagentes, & perfricantes, ut vita, & morte, generatione, & corruptione rerum mundum conſervent, & bonis quidem hominibus vitam, malis mortem conſtitutam eſſe indicent. Adnatat in ea tabula *Sol* in aquis, ſupremi dei ſymbolum vitae ſervator, & deſtructor, omnis generationis & corruptionis auctor. Itaque montis M*eru* fabula, & allegoria, uti ad Graecos, ita ad Avenſes, Peguanos, Siamenſes, Sinenses, & Iapponenſes iam remotiſſimo tempore penetravit. In hac *Indico-Tibetana* mundi tabula ex muſeo Borgiano prolata, ad partem montis M*eru* auſtralem ſtat celebris illa arbor འཛམ་བུ *Ciamba* origo boni & mali, vitae & mortis, arbor paradyſiaca, arbor iuſtitiae & firmitatis, cauſſa bellorum inter bonos & malos genios, arbor denique immortalitatis, cuius fructus edunt Tibetani *Labae* ſeu dii contemplatores beati, & Indici dei *Devaguel* dicti. Ab ea བདུད་རྩི *amrda* ſeu immortalitatis donum, deſcendit, quod *Sinici* Imperatores commiſſis etiam pelago navibus iam *anno* 200., & *anno* 157. ante aeram vulgarem acri ſtudio quaeſierant. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 289. Haec arbor *Ciamba* in hoc monumento Borgiano extra circulum mun-

Architam? Cur ad ceteros Pythagoreos? Vide Platonem ipſum in *Timaeo* & in *Axiocho*, Strabonem *lib.* 17. & 15. ubi Aegyptiis ſacerdotibus, aeque ac Brahmanibus *philoſophiae ſtudium*, & *rerum caeleſtium ſcientiam* adſcribit.

Digitized by Google

mundi Tibetani ad latus dexterum appingitur, ut liberum relinquat ſpectatori intuitum totius machinae coſmogonicae. Haec pauca de coſmogonia *Indico-Tibetana* dicere libuit; ii, quibus plura de dimenſione, de ſedibus deorum in monte *Meru*, de maribus et inſulis ei adiacentibus ſcire allubeſcit, conferant auctores ſupra citatos, & ſyſtema Brahmanicum *pag.* 279. uſque ad *pag.* 296. Collatis his auctoribus, videant acres rerum indagatores Platonem in *Timaeo*, Pythagorae placita apud Diogenem Laertium & Photium, in muſeo Kircheriano *Sciatericon* totius primi mobilis in lignea tabula parieti affixum, tabulas & icones varias mundi caeleſtis & terreſtris apud mythographos veteres, Euſeb. *praep. Evang. lib.* 12. §. 13. *pag.* 586. de prima hominum vita & paradiſo ex *Platone*, & *lib.* 15. §. 37. ubi ait: *Phyſici abs terra* (ut Indi Brahmanes a tellure ſua Indica & urbe Benares ſeu Kaſi) *velut a centro mundi ortum coepiſſe volunt*, *quod centrum globi principium ſit*. His inquam collatis, videant aequi iudices, an coſmogonia haec Indica ab aſtronomia & veteri Indorum philoſophia non dimanaverit; dicant, an Graecae & noſtrae veteri coſmogoniae originem non dederit.

Ignem, undam, terras, aethram, noctemque diemque
Atque huius caput eximium, vultuſque decoros
Irradians caelum videas, cui pendula circum
Aureaque aſtrorum multo ſe lumine fundit.

Caeſaries. Orpheus apud Euſeb. *praep. Evang. lib.* 3. *pag.* 102.

ELENCHUS MONUMENTORUM.

Illuſtratis duobus Indicis ſacrariis, atque mundi *Indico-Tibetani* ſyſtemate explicato, ordinis ratio poſtulat, ut omnia monumenta Indica muſei Borgiani Velitris ſive iam edita & illuſtrata, ſive inedita, & illuſtranda lectori ſub uno conſpectu exhibeamus. Ex hoc ordine cognoſcet ea, quae ad mythologiam, quae ad liturgiam, ad hiſtoriam, & civilem cultum, ac denique ad artes, & ſcientias Indicas pertinent, quo fiet: ut ſtudioſus rerum Indicarum indagator ipſe eas examini ſuo ſubiicere, eis operam ſuam navare, atque monumenta iam illuſtrata expendere, inedita, & illuſtranda inſpicere poſſit. In his monumentis Indicis recenſendis duo ordines ſunt diſtinguendi: unus, quo haec monumenta, ſuis numeris inſcripta exſiſtunt in muſeo Borgiano Velitris, alter: quo nos hic omnia Borgiana monumenta collocamus maioris perſpicuitatis cauſſa, & quo collocari debent pro iis, qui ea inſpicere, examinare, iiſque ſtudium, operam, & indaginem ſuam impendere volunt. Ad hoc diſtinguendum afferemus monumentorum elenchum ordine mythologico, & ad quodvis monumentum ſive editum, ſive ineditum, apponemus notam ſeu numerum, quo illud in muſeo inſcriptum exſtat, & ſub quo quaeri & videri debet.

MYTHOLOGIA	*Ordo muſei Borgiani Velitris.*
ത്രിമൂർത്തി Trimúrti, Trinitas Indica, *Brahma*, *Vishnu*, *Shiva*, editum ex *pictura*. Item eiuſdem icon in primo ſacello Indico inedita. Vide *Syſtema Brahmanicum* pag. 105. 251.	Num. 12.
ബ്രഹ്മഃ *Brahma* deus natus ex loto, quae nata fuit ex umbilico dei *Vishnu*. Editum *ex pictura*. Vide *ſyſt. Brahmanicum* pag. 74.	Num. 22.
വിഷ്ണു *Vishnu* deus. Tria ſimulacra edita *ex aere*. Monumenta ex aere in muſeo Borgiano nume-	Num. 16. 75.

Digitized by Google

meris carent. Item ineditum *ex aere*, in quo uxorem in genu geſtans exhibetur. Item varia eius ſimulacra in primo & ſecundo ſacello Indico *inedita*. Vide *ſyſt. Brab.* p. 79.

Vishnu folio loti incubans. Editum ex 1. ſacello Indico. Vide ſupra pag. 172.

Prima dei *Vishnu* incarnatio in piſcem. Editum *ex pictura*. Item plures eius icones in ſacellis duobus ineditae. Vide *ſyſt.* Brab. p. 79. Num. *6*.

Secunda incarnatio ſeu apparitio dei *Vishnu* in forma teſtudinis. Editum *ex pictura*, item ineditum in ſacello ſecundo Indico. Num. 7.

Tertia incarnatio ſeu apparitio in forma apri. Ineditum *ex pictura*. Item in primo & ſecundo ſacello Indico. Vide ſupra in hoc opere *Sacellum I. & II.* Num. *9*.

Quarta incarnatio ſeu apparitio dei Vishnu in forma ſemileonis & ſemihominis dicti *Naraſinha*. Ineditum, exſtat in duobus ſacellis. De his *Vishnu* dei apparitionibus *Magis* Indicis familiaribus, ut ſcribit Diog. Laertius ex *Eudemo*, *Hecataeo* & *Clearcho Solenſi* in prooemio *n.* VI. *pag. 6. edit. Lipſ.* & Cicero *lib.* 1. *de Divinat. pag.* 263. *edit. Lugd.*, confer tu ipſe ſupra *p.* 188. 189. 190. & ſyſtema Brahmanicum *pag.* 279. *& ſeq.* Similes deorum apparitiones docuere *Aegyptii* ſacerdotes ex teſtimonio *Homeri* apud Diod. Sic. *lib.* 1. *pag.* 8. *edit. Baſ.*, Homerus ipſe *Odyſſ.* v. 490., Aſtreus poeta apud Origenem in *philoc.* cap. 20. pag. 30. Vide ſupra in hoc opere *pag.* 6. 165. 166., Examen Hiſtorico criticum codicum Indicorum bibl. S. Cong. de Prop. Fide *pag.* 33. Inſulſa itaque & inficeta ea eſt noſtrorum *theoleptorum* cantilena, qua ſive antiquitatis ſupina & intolerabili ignoratione, ſive

obtrectandi animo lepidiſſime canunt : incarnationes Indicorum deorum , ac hanc *Magorum* doctrinam a corrupta chriſtianorum de *incarnatione* doctrina deſcendere ; *Manetis* & *Valentinianorum* haec ſomnia eſſe ; aeram Chriſti non excedere ; vetuſtiſſimam denique de deorum apparitionibus, Homeri , Theopompi , Aſtrei , Aegyptiornm ſacerdotum ac Brahmanum *Magorum* opinionem non niſi ſeculo primo , incarnato iam Sanctiſſimo Servatore noſtro , inter Aegyptios & Magos ſparſam fuiſſe . Indorum doctrina , Homeri , Theopompi , Hecataei , Diodori , Clearchi , aliorumque , qui ante aeram vulgarem ſcripſerunt, teſtimonia , hanc noſtrorum *theoleptorum* opinionem palam & aperte condemnant . Vide ſupra *pag.* 149.

Quinta incarnatio ſeu apparitio dei *Vishnu* in forma *Vamana* ſeu Brahmanis nani . Ineditum *ex pictura*. Item in primo & ſecundo ſacello Indico. Vide ſyſtema Brahmanicum *p.* 296. Num. 8.

Sexta incarnatio dei *Vishnu* in *Ráma* ſeu *Shriráma* , qui eſt Bacchus Indicus iuvenis. Editum *ex aere* & *picturis*. Item alia eius multa ſimulacra inedita in duobus ſacellis . Vide ſyſt. Brah. *pag.* 135. Num. 1. 5. 10. 13. 17.

Septima incarnatio dei *Vishnu* in *Belabhadra Ràma*. Ineditum *ex pictura* in duobus ſacellis . Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 300. Haec & ſequens apparitio dei *Vishnu* , quae facta fuiſſe fingitur , ut *Vishnu* gigantes contereret , ac ſuperbos Indiae reges ad frugem & officium ſuum revocaret , inter ſe conſentaneae & conformes ſunt , ac facile ad unam ſolam apparitionem reduci poſſunt . Sed ordinem incar-

Digitized by Google

carnationum ab Abraham Roger, a P. Iohanne de Brito, a Baldeo, a P. Roth, a P. Ildephonſo a Praeſentatione, a P. Conſtantino ab Aſculo & a P. Marco a Tumba, aliiſque Indicarum rerum peritis traditum ſequi libuit, & ea quae auctor ſpurii libri *Ezourvedam* inſcripti de his incarnationibus ſcribit, ut a communi Indorum doctrina aliena reiicere. Quare hanc apparitionem ordine ſeptimam collocamus cum *D. Sonnerat*, qui eam uberius deſcribit.

Octava apparitio dei *Vishnu* in regem *Paraſurama* incarnati, Ineditum *ex pictura* in duobus ſacellis. Vide ſyſt. Brahm. *pag.* 301.

Nona apparitio dei Vishnu in Krshna ſeu Apollinem Nomium incarnati. Edita duo ſimulacra ex aere. Item eius thronus ex aere, alius ineditus. Vide ſupra in hoc opere pag. 131. & ſeq. ſyſt. Brahmanicum pag. 146. & 310. Plura eius ſimulacra inedita vide ſupra in duobus ſacellis Indicis. Num. 3. 11. 21. 27. 75.

Krshna tibia ori appoſita ſonos modulans. Editum ex 1. ſacello Indico. Vide ſupra p. 140.

Decima apparitio in regem equi conductorem futura in conſummatione mundi per aquam. Editum ex pictura, & plura inedita in duobus ſacellis Indicis. Vide ſyſt. Brahman. *pag.* 162. Num. 28.

Ad nonam & decimam incarnationem refertur dei *Vishnu* incarnatio in *Budha*, quam accidentalem vocant. Eam factam fuiſſe credunt, ut *Budha* ſeu *Mercurius* eorum hominum actiones, quos nunc contemplatur & examinat, in conſummatione mundi diiudicet, ac pro merito aut demerito remuneret, aut puniat. Haec ap- Num. 4. 19.

Digitized by Google

apparitio praecipue creditur & defenditur a Budhiſtis. Editum *ex aere* in duobus ſimulacris Indico & Tibetano; ex *ligno* ſub nomine *Amida Buth* Iapponicus, *&* *picturis*. Vide ſupra in hoc opere *pag*. 66. *&* *ſeq*. ſyſt. Brahm. *p*. 154. *ſeq*. Budha idem, ineditum in ſacello *num*. I. Item in pictura Iapponica habens ſub ſe aſinum & bovem. Item idem ſub nomine *Godama* editum ex plumbo & ex marmore inauratis. Item ſub nomine *Samanae*, editum ex opere doliari.

Budha *ex ligno* in perexiguo ſacello bivalvi Sinico, ſeu ſimulacrum *Fohi*. Item ex ligno inaurato duo ſimulacra, alterum editum, alterum ineditum.

Ad ſextam incarnationem refertur

Sida dei *Ràmae* ſeu Bacchi iuvenis uxor. Editum ex aere, & pictura. Item ineditum in duobus ſacellis. Vide ſyſt. Brahman. *pag*. 135. *&* *ſeq*. Num. 1. 13. 16

Ràvana Typho aut Pluto deus noctis. Editum *ex pictura*, ineditum in aliis picturis. Vide ſyſt. Brahman. *pag*. 238. *&* *ſeq*. Num. 5. 14. 15

ശിപഃ *Shiva* ſeu *Mahéshvara* bonus & maximus Dominus, tertius Trinitatis Indicae deus, ſymbolum Solis & ignis. Editum *ex picturis*. Vide ſyſt. Brahmanicum *pag*. 317. 318. 85. *&* *ſeq*. 123. 231. 32. Item ineditum in aliis picturis. Num. 2. 12. 16. 28.

Lingam Shivae dei phallus. Editum *ex pictura*. Vide ſyſt. Brahman. *pag*. 31. 34. 219. *&* *ſeq*. Supra in hoc opere *pag*. 159. *&* *ſeq*. Num. 36.

Deo-

Digitized by Google

Deorum uxores

Saraſvadì dei *Brahmae* ſeu terrae uxor, dea ſcientiarum, harmoniae & proportionis. Editum in duobus ſimulacris ex aere. Item ineditum ex aere, & ex pictura in ſacello num. I. Vide ſyſt. Brahm. *pag* 91. Num. 17.

Laekshmi dei *Vishnu* uxor, Indis Venus & Ceres. Editum in tribus ſimulacris *ex aere*. Item ineditum in duobus ſacellis. Vide ſyſt. Brahm. *pag*. 93. 244. Virtus terrae rerum productrix. Num. 16.

B*havani* ſeu natura, Venus Urania omnium deorum mater, & *Pàrvadi* ſeu luna generantis naturae ſeu magnae dominae *Iſidis* ſymbolum. Editum *ex aere & duabus picturis*. Item ineditum in aliis picturis, & in primo ſacello Indico. Vide ſyſt. Brahmanicum *pag*. 317. 318. 99. 105. Uxor eſt dei *Shiva* Solis, Bacchi ſenioris, ſeu Oſiridis. Num. 2. 11. 20. 28.

B*havàni* ſeu *Pàrvadi* deae & *Shivae* dei, ſeu Solis & Lunae filii.

Ganèsha ſeu Ianus. Editum ex ligno *màva*, aere, et pictura. Item ineditum *ex aere* in duobus ſimulacris. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag*. 170. *& ſeq*. Num. 2. 11. 15. 17. 18.

Kartiguea, Subramanya, ſeu Scanda, Graecis Hercules Sandus. Editum ex aere & pictura. Vide ſyſt. Brahm *pag* 191. Num. 2. 22.

Hanumàn ſeu Pan deus. Editum ex aere, & plura eius ſimulacra inedita in duobus ſacellis. Vide ſyſt. Brahmanicum *pag*. 143. *& ſeq*. 134. 190. Num. 10.

Kali

Digitized by Google

Ordo muſei Bor-*giani* Velitris.

Kàli ſeu *dea nigra* , Graecis *Hecate* , in caelo luna, in terris Diana, apud inferos Proſerpina. *Tuque triceps Hecate.* Ovid. 9. *Metamorph.* Vide ſyſtema Brahmanicam *p.* 99. 100. Editum ſub forma Parvadi ex aere. Item inedita ex picturis. Hi igitur ſunt *Shivae* ſeu ſolis et Parvadi ſeu magnae dominae lunae filii. *Expandent ea ad ſolem & lunam, & omnem militiam caeli, quae dilexerunt, & quibus ſervierunt, & poſt quae ambulaverunt, & quae quaeſierunt, & adoraverunt.* Ierem. *cap.* 8 *v.* 2. Num. 2. 11. 20. 28.

B*havàni* deae *Toni* editum ex pictura. Vide ſyſt. Brah. *pag.* 32. 33. Hoc *Toni* rubeo colore depictum *Vishnuvitae*, ſed cumprimis *Togui Samanaei* ac M*agi* Indici in fronte geſtant, quo *naturam* rerum omnium matrem colunt & agnoſcunt. Num. 36.

Audierat (Plato) *apud Perſas eſſe viros inſignes, quos* Magos *indigenae vocant* (Vide ſupra pag. 196. 197. 198. 199.). *Ii rebus divinis operam ac ſtudium exhibent, in ſuſcipiendis votis, in reddendis ſacrificiis, in placandis diis ritus atque leges docentes, & illorum naturam ac generationem explicantes, de induſtria, de pietate, & humando, atque aliis permultis diſputantes: ad illos penetrare Platoni mens erat: verum flagrantibus per eas regiones bellis, conſilium revocavit.* Et infra: *Tres Pythagoricae ſectae libros a Philolao Crotonita, vel ut alii tradunt, ab eius neceſſariis centum minis mercatus eſt ..... Fuerat Philolaus haereſeos Pythagoricae philoſophus, qui de Pythagoricis primus naturalia edidit.* Plutarchus in vita *Platonis* Guarino Veronenſi auctore. *pag.* 348. edit. Venet.

Alii dei minores

Bu-

Digitized by Google

MYTHOLOGIA *Ordo muſei Borgiani Velitris.*

Budha. Editum ex aere, & picturis. Item ineditum in primo ſacello Indico. Vide ſupra *pag.* 59. *& ſeq.* Vide incarnationes dei *Vishnu*. Num. 4.

Ciani, ſeu Saturnus Editum ex pictura. V. ſyſt. Brah. *tab.* XXX. Num. 22.

Indra ſeu Devendra. Editum ex pictura. V. ſyſt. Brahm. pag. 180. *tab.* XXIV. Num. 28.

Yama. Editum ex pictura Indico-Tibetana. V. ſyſt. Brahman. *p.* 177. *tab.* XXIII. Num. 76.

Kàmadéva, genius Cupido ſeu Erotes. Editum *ex pictura*. Vide ſyſt. Brahmanicum *pag.* 185. *tab.* XXV. Num. 22.

Nàrada, Muni, Aſceta, Magus, Vates. *Nàrada*. Ineditum *ex pictura*. Num. 14.

Genius alis inſtructus ac manibus compoſitis in actu adorationis. *Ex aere* ineditum.

Brahman nudus *ex aere* ſola zona Brahmanica inſtructus. Ineditum.

Ciardhàva vomitor *ignis* populare numen. Editum *tab.* IV. in ſyſt. Brahmanico. Num. 26.

LITURGIA

Sacrificium Yàga Indis & Perſis veteribus commune. Vide ſupra *ex codicibus Indicis conſectaria*. Syſt. Brah. *pag.* I. *tab.* I. Editum *ex pictura*. Num. 22.

Sacrificium Hòma ſeu ignis, Indis & Perſis commune. Editum *ex pictura*. V. ſyſt. Brah. *tab.* II. Num. 23.

Sacrificium Túkam. Editum *ex pictura*. V. *tab.* III. ſyſt. Brah. Num. 24.

Sacrificium Lingamicum. Editum *ex pictura*. V. ſyſt. Brah. *pag.* 28. *tab.* V. Num. 36.

Sacrificuli. Editum. Vide *Yàga* & *Hòma*. Num. 22. 23.

Dévadàſi famulae deorum & templorum. Ineditum. Item aliud in primo ſacello Indico. Num. 13.

Digitized by Google

Tularſi, ſpecies *ocimi* diis offerri ſolita. Editum *tab.* V. ſyſt. Brah. Num. 36. 68.

Mukutti, ſpecies *chamaemeli* diis ſacra. Ineditum. Num. 68.

Karuva, cinnamomum in ſacrificiis cremari ſolitum. Ineditum. Num. 69.

Karimba, arundo zachari diis ſacra et in ſacrificiis, oblationibus, et anniverſariis conviviis adhiberi ſolita. Ineditum. Num. 69.

Màva, arbor Indica, Luſitanice *Manguéira*, deae *Laekshmi* ſacra. Ineditum. Num. 69.

Vèpa, arbor Indica in ſacrificio *ignis* adhiberi ſolita. Ineditum. Num. 70.

Kadalipagia, ſeu ficus Banána diis ſacra, fecunditatis ſymbolum. Vide Winckelmann, *Monumenti antichi inediti*, vol. 2. pag. 162. & pag. 32. *edit. Rom.* Alphab. Tibet. *pag.* 509. Ineditum. V. ſyſt. Brah. *pag.* 107. Num. 70.

Màdalam, arbor mali Punici deo *Gannesbae* ſeu Iano ſacra. Ineditum. Num. 71.

Molaga Piper, ramuſculis eius hederae mali genii pelluntur. Ineditum. Num. 67.

Pàla, arbor ſeu lignum arboris Pála ad ſacrificium *ignis* adhibetur. Ineditum. Num. 67.

Ingi, Zingiber cum oryſa cocta diis offertur, & ſacrificulis apponitur. Ineditum. Num. 67.

Aries, victima in ſacrificio *Yàga*. Editum. Vide ſyſt. Brahmanicum *pag.* 1. *tab.* 1. Num. 22.

Ara ſerpentum ſacrorum. Editum *tab.* XXVII. in ſyſt. Brah. Num. 25. 38.

Luſtratio, ſeu expiatio Brahmanica per aquam, edita ex pictura. Vide tab. VI. in ſyſt. Brah. Num. 36.

Faticinium Indicum magicum. Ineditum. Num. 37.

Icon unius templi Indici. Ineditum. Num. 46.

PHI-

Ordo muſei Borgiani Velitris.

Coſmogonia , ſeu mundi ſyſtema Indico-Tibetanum. Editum *ex linteo* . Vide ſupra in hoc opere . Num. 75.

Sanyâſi, ſeu philoſophus Indicus Stoicus, qui omnibus rebus terreſtribus ſe abdicavit, et uni rerum caeleſtium meditationi deditus eſt. Editum *ex pictura*. Vide ſyſtema Brahmanicum *pag.* 50. *tab. VII.* Num. 20.

Bhikſhu , alia ſecta philoſophica , cuius alumni nudi mendicando vitam agunt , *Togui* , *Goſvàmi* , *Samanaei* , & falſo *Faquiri* dicti . Editum *ex pictura* . Vide *pag. & tab. cit.* Num. 13. 46.

Idem *Bhikſhu* vel *Goſvàmi* in India ſeptemtrionali . Hi veri ſunt veteres *Magi* ſolis & lunae cultores, *Gaur* & ignicolae dicti, ſolo habitu a recentioribus Perſicis *Gaubre* ignicolis, qui Perſicum retinent veſtiendi morem, diſtincti. Haec ſecta olim in *Perſidem*, *Tibet* , *Siberiam*, *Ava*, *Pegu* & *Siam* penetravit, ac pro locorum, & gentium diverſitate ſuae doctrinae dogmata plaſmando variis illis regnis ſabaiſmum & ſymbola intulit (1). Ineditum *ex pictura* . Num. 57. 72.

Eiuſdem ſectae *guru* ſeu magiſter. Ineditum ex pictura . Num. 72.

(1) De *Parſis* , *Guabre* , ſeu ignicolis hodiernis , qui anno Chriſti 631. ex Perſide pulſi in Indiam delapſi ſunt, ac hodiedum vetus ſuum inſtitutum in India profitentur, vide Niebuhr, *Reiſebeſbreibung*. tom.2. pag.43. & ſeq. Kopenhagen 1778. Hi ignicolae Perſae *Zoroaſtri* diſcipulos ſe eſſe perhibent, ſummum, aeternum, verum Deum ſub ſymbolo ignis ſe colere & adorare dicunt, ſolem, lunam, aſtra venerantur, ignem perpetuum in domibus ſuis alunt, neque candelam ardentem inſuflando exſtinguere volunt. Luſtrant ſe ſe ut Indi : Vaccinam carnem non edunt, quamvis hoc ſibi licitum eſſe dicant. Aſtronomiae & aſtrologiae ſtudio dant operam, unam uxorem admittunt, quae ſi ſterilis ſit, aliam ducunt. Quiſquis intento animo ea omnia, quae de veteribus & hodiernis Indis, ac praeſertim ſupra de *Samanaeis* Indicis tradidimus, perlegit, iam facile perſpicit, hanc veterem Indorum religionem eſſe, atque ex India in Perſidem emigraſſe, tum iterum *anno Chriſti* 631. in Indiam rediviſſe .

Digitized by Google

Eiuſdem ſectae *Magi* ſeu *Samanaei* varicolores coma aſcititia *ciadà* dicta inſignes in primo ſacello Indico. Ineditum. Vide *ſupra*.

Brahman, ſeu claſſis Brahmanica ſacerdotalis, quae diſtinguitur in *Vishnuvitas* & *Shivanitas*, in *aquam* & *ignem* colentium ſacerdotum & ſacrificulorum. Hae duae ſectae unius eiuſdemque tribus ſeu claſſis & inſtituti, inter ſe communicant, & convivunt. Hi utpote ſacerdotes a *Samanaeis* diſtinguuntur, hi enim aliam claſſem conſtituunt philoſophicam claſſi ſacerdotali Brahmanicae adverſam, quam dum Brahmanes amplectuntur, abdicatis omnibus initiari debent. Veteres autem ſectae ad quatuor tantum reducuntur: *Brahmaciari* ſeu continentes qui & ſacrificuli; *Grabi*, ſeu uxorem ducentes; *Bhikshu* ſeu mendicantes, qui *Yógui* ſeu Samanaei; *Vànapraſtae*, ſilvicolae, montani, ſolitarii, ſeu *Holobii*. Vide Amaraſinha ſect. *Brahmavargga*, ſyſtema Brahmanicum pag. 50. *De quatuor Brahmanicis inſtitutis*. Item Brahmanum auſtralium icones *tab.* I. *tab.* II. *tab.* VI. *tab.* XXVIII. ex picturis. Num. 72. 48.

CIVILIS CULTUS

Claſſis regalis, & militaris antiqua & recens. Editum *ex picturis*. Vide ſyſt. Brahmanicum *tab.* XXIX. *a tab.* XXIX. *b.* Item inedita in ſacellis (1). Num. 40. 47. 48.

Ca-

(1) De varietate & diſtinctione Indicae gentis in varias claſſes ſeu tribus, Vide Sonnerat *tom.* 1., Niebuhr, *Reiſebeſchreibung nach Arabien, und anderen umliegenden Laendern* tom. 2. Kopenhagen 17;8. *pag.* 23., P. Norberti, *Memorie Iſtoriche intorno alle miſſioni dell'Indie orientali*, in Lucca 1744. *tom.* 1. *pag.*

CIVILIS CULTUS	*Ordo muſei Borgiani Velitris.*
Canarini & ***Baniani*** mercatores recentes. Ineditum.	Num. 35.
Naſrani ſeu chriſtiani S. Thomae in Malabaria. Ineditum.	Num. 55.
Muhamedani in Malabaria ***Mapule*** dicti. Ineditum.	Num. 50. 56.
Cego ſeu ***Ciána***, claſſis ſeu tribus, quae palmeta curat, vinumque ex nucibus *coco* elicit. Ined.	Num. 54.
Paravá ſindonum textores in ora Piſcaria. Ineditum.	Num. 53.
Mukaver ſeu piſcatores. Ined.	Num. 43.
Kakàler ſeu circulatores (ciarlatani.) Hi ſerpentes evocant, ludunt, canunt, ſimias, & ſerpentes cucullatos ad ſaltum, ad pugnam, & ludum impellunt. Ineditum.	Num. 45.
Vláden, claſſis ſilveſtris, rudis, barbara, montium & lignorum cuſtos. Ineditum.	Num. 32.
Pelleya aliis ***Poulleya*** agricolae mancipia. Editum. ***tab.*** XXXII. ***ſyſt. Brahm.***	Num. 30.
Topazes ſeu ***Dvibbáshi***, in ora Coromandelica ***Dobachi***, ex etymologia ſui nominis ***interpretes*** ſeu duo idiomata calentes, unum Indicum, aliud Europaeum. Ineditum.	Num. 58.

Ba-

pag.4. & ſeq., ſed cumprimis P. Conſtantini ab Aſculo Miſſionarii Nepalenſis cod. mſſ. ***Notizie Laconiche***, in bibliot. S. Congr. de Prop. Fide pag.216. ***Riſtretta notizia delle caſte***. In hoc codice ***pag.*** 91. ***fig.*** 155. pictor Nepalenſis vivis coloribus exhibet caput unius feminae Nepalenſis, cui in media fronte pro ſacro ſigno, quo Indi uni alterive numini ſe addictos eſſe profitentur, colore rubeo, albo, & nigro appingitur oculus dei ***Shivae***, quem is in ſua media fronte gerit, & quo indicat ſe ***Solem*** omnia videntem eſſe. Figura 159. ***pag.*** 92. exſtat caput viri, in cuius media fronte rubea ***Lunae*** cornua colore rubro appicta gerit, & in medio eorum duabus lineolis albis deſcriptum ***Bhaváni*** deae yoni. Fig. 174. ***pag.*** 97. caput feminae Nepalenſis, in cuius media fronte exſtat ***triangulus*** rubeus, in cuius medio promicat ***oculus***, ſine dubio ***Shivae*** ſeu ***Solis*** oculum in triangulo ***Bhavani*** deae ſeu ***naturae*** conſtitutum repraeſentans. Haec ſigna tam lucida & diſtincta non ſolum innuunt, hoc ſignorum & ſuperſtitionis genus per ſe chriſtianis prohibitum eſſe; ſed etiam palam & aperte demonſtrant: Indos gentiles, ***ſolis***, ***lunae***, ***naturae***, ac ***trianguli*** cultum profiteri.

Digitized by Google

Batavi in urbe Coccinenſi in Malabaria. Ineditum. Num. 59.

Imperator Mogolitanus *Aly Gaur* ſeu corrupte *Aly Gavor*, qui regnabat an. 1777. Ineditum. Num. 74.

Rex Travancoridis *Rama Varmer*. Editum *ex pictura*. Vide *tab.* XXIX. in ſyſt. Brah. Num. 73. 44. 49.

Inſignia huius regis. Editum *ibidem*. Num. 38.

Eiuſdem regis ſoror. Ineditum. Num. 49.

Eiuſdem primus adminiſter. Ineditum. Num. 49.

Eiuſdem adminiſter minor. Exactor. Ined. Num. 33.

Duo adminiſtri *Mogolitani*. Ineditum. Num. 74.

Rex *Aracèri*. Editum ex pictura. Vide *tab.* XXIX. b. in ſyſt. Brahmanico. Num. 47.

Nabab, princeps Muhammedanus. Ineditum. Num. 50.

Princeps *Pagletti* in Malabaria. Ined. Num. 51.

Scriba Indicus ſtilo ferreo ſcribens. Editum ex pictura. Vide *tab.* XXXII. in ſyſtemate Brahmanico. Num. 26.

Eszuttàni ſeu *Naràyam* graphium Indicum ferreum, quo epiſtolas ſcribunt in *olis* ſeu palmarum foliis. Ineditum.

Olae quatuor ſeu epiſtolae in foliis palmarum graphio ferreo lingua vulgari Malabarica exaratae, quarum una primi regis *Travancoridis* adminiſtri ſignum dei *Gannésba*, ſeu caput elephantis cum ſua proboſcide deſcriptum exhibet. Altera idem ſignum *Gannesbae* minori figura refert.

Faquir ſeu ſacerdos Muhammedanus. Ined. Num. 72.

Faquirni mulier Muhammedana eius uxor. Ineditum. Num. 72.

Mulier gentilis ex tribu *Nayer* vaccam mulgens. Ineditum. Num. 29.

Alia gentilis Indica femina. Num. 26.

Ri-

Digitized by Google

Ordo muſei Borgiani Velitris. Num. 34.

Ritus celebrationis matrimoni inter *Cegos* ſeu *Ciánas* in Malabaria. Ineditum.

Tàly gentilium, ſeu teſſera maritalis deo *Ganneshae* ſacra; Editum *tab.* XXII. in ſyſtemate Brahm. Deum *Gannésha* Indicum *Ianum* eſſe omnis ille facile perſpiciet, qui diſſertationem noſtram in hunc deum in ſyſtemate Brahmanico *pag.* 170. *& ſeq.* legerit. Hoc non diffitetur nuperrimus elegans & nobilis ſcriptor, qui alucinationibus D. *D' Hancarville* ſalutem & praeſidium quaerit. Quemadmodum hic *Gannesha* ſeu Ianus, totaque illa numinum ſeries, quam in ſyſtemate Brahmanico exhibuimus, non ex *Scythia*, ſed ab aſtronomia, & a rebus phyſicis deſcendit: ita Bacchi Indici fabula non ex Scythia & monte Tauro in Indiam illata fuit, ſed intra Indiam veterem, prout ea montibus *Himala*, promontorio *Comorino*, ac inſula *Salica* definitur, genita eſt. Totam itaque hanc Indicorum numinum ſeriem auctor a *Scythis* deducat, eos aſtronomos, naturae ſtudioſos, cultus divini amantes, unius regionis incolas fixos, *Magis* & philoſophis praeditos, ſchola aliqua celebri inſignes fuiſſe oſtendat. *Magos* illos, qui *Indico Baccho* in monumentis Indicis affiĉti exhibentur, in origine ſua nudos Scythas, ac aſcititia coma Scythica inſtructos fuiſſe commonſtret, deorum denique Indicorum veſtes & ornatum veteribus Scythis communem fuiſſe, ex Scythicis libris, monumentis, atque ex Scythica lingua nobis palam & aperte comprobet. Scythae, Maſſagetae, Perſae, Tartari ſeu Tatari, Arabes, Graeci Indiam invaſerunt, ſed numquid omnes hi populi religio-

Ordo muſei Borgiani Velitris.

gionem, dogmata, & idiomata ſua in Indiam intulerunt, ac Indos ad genium ſuum & patriae ſuae Indolem plaſmarunt ac temperarunt? Unde igitur haec connexa deorum ſeries? Unde lingua Samſcrdamica, mores Indici ſemper uniformes? Unde dogmata inter Indos ſemper & ubique inter ſe conſona, conformia, & conſentanea? Malam itaque vicem cum auctore dolemus D. *D'Hancarvilli* ac aliorum veteratorum in quos acriter animadvertimus. Verum meminerit inter paucos nobis ſummopere colendus auctor, philoſophiam *D'Hancarvillii* religionis famulam eſſe debere, non eius deſtructricem. Vide *Giornale de' Letterati*, tom. LXXXVII. anno 1792. *Piſa*, preſſo Gaetano Mugnaini *pag.* 6. *& ſeq.*

Amatàly, ex auro, teſſera maritalis mulierum ex tribu *Nayer* & *Ciàna*.

Minnà, teſſera maritalis ex auro mulierum ex tribu *Nayer*, *Ciàna*, *Tattàn*, aliarumque. Hae mulieres ſubinde hoc *minnà* in medio, & duo *amatàly* ad latera in uno eodemque filo appenſa in collo geſtant.

Tàly ſimplex ex auro cruce inſignitum, teſſera maritalis mulierum chriſtianarum.

Málcammódiram ſeu inaures ex auro mulierum chriſtianarum in Malabaria, quas in ſuperna auris parte innexas gerunt, ut à gentilicis feminis diſtinguantur.

Tàly ex iaſpide viridi orientali.

Tàly, teſſera maritalis ex ligno auro obducto crucibus inſignis a mulieribus chriſtianis littoris Coromandelici geſtari ſolita.

Tàly ex ligno ut ſupra, una facie teſſera maritalis gentilica, altera facie chriſtiana, qua fa-

Digitized by Google

facie crucem exhibet. Haec tesſerae species christianis vetita est. Hae teſſerae in regno Maiſſur, Madure, Carnate, Marava, & ora Coromandelica erant communes. Deum *Pullear* ſeu *Gannésha*, lingam, yoni, triangulum, teſtudinem, aliaque portenta Indica referunt. Omnia inedita.

Modus prandendi Malabarenſium. Ineditum. Num. 21.

Choreae ſacrae *Tiruvádiráttam* dictae ante delubra. Ineditum. Num. 41.

Langotti, Malabarenſibus *Cíla* ex tela ad contegenda verenda. Ineditum.

Lectica portatilis *Palankin* dicta. Ineditum Exhibet eam Niebuhr, & Sonnerat. Num. 51.

Torcular ad exprimendum oleum nucis *Coco*. Ineditum. Num. 42.

Taliſma Indico-Tibetanum. Editum ex marmore albo *tab.* XXV. in ſyſt. Brahm.

Catenula Indica longitudinis unius ſpitamae ex aere flavo. Cingendis pedibus ad ornatum apta. Inedita.

Numi Indici duodecim ex auro, argento, aere, & ſtanno. Editi & illuſtrati *tab* XXXI. in ſyſt. Brahm.

Exſtant in eodem muſeo Borgiano quamplures alii numi Indici inediti.

GEOGRAPHIA ET TOPOGRAPHIA.

Mappa geographica regni *Bengala*. Num. 66.

Topographia regni *Nepal*. Num. 65.

Iconographia oppidi *Maleatur* in Malabaria. Num. 63.

Palatii regis *Coccinenſis* proſpectus. Num. 63.

Ordo muſei Borgiani Velitris.

Fluminis *Feira d'Alva* icon. Num. 63.

Domus *Brahmanica* in Malabaria. Editum. Vide *tab.* XXVIII. in ſyſt. Brahmanico. Num. 25.

Domus gentilium *Nayer* dictorum, & chriſtianorum *S. Thomae* in Malabaria. Num. 29.

Domus gentilium *cegos* dictorum. Omnia inedita. Num. 29.

BOTANICA.

Vide *LITURGIA*.

Ciamba Vide ſupra in hoc opere pag. 238. Num. 75.

Avanacá palma Chriſti. Num. 71.

Adeka vulgo *Areka*, arbor, edit. *tab.* XXVIII. ſyſt. Brah. Num. 71.

Betila folium aromaticum, vulgo Betle. Num. 71.

Pajáni arbor ex qua ſcuta Indi conficiunt. Num. 70.

Ulam ſtramonium Malabaricum. Num. 69.

Coco, ſeu palma domeſtica *Téngnà* dicta. Num. 68.
Padma, vel *Támara*, vel *Camelapù*, lotus ſeu nimphaea, paſſim in monumentis Borgianis. Omnia inedita.

ZOOLOGIA INDICA

Mail vel *Kill*, pavo. Ineditum, ut ſequentia. Num. 62.

Kàttucòshi, gallina ſilveſtris a Phaſiano & Attagene diverſa. Num. 62.

Magnalkli ſeu avis coloris crocei pullo amictú diſtincta. Num. 62.

Eratta alia avis littoris Malabarici. Num. 62.

Talacì, avis parva praelonga cauda inſtructa. Item in ſacello Indico ſecundo. Num. 62.

Simiae, Samſcrdamice *Marcada*, *Kabi*, *plavanga*, quarum exercitus innumeri in inſula *Salita*, in *Malabaria*, in regno *Kishkinda* ſeu Golconda, & in regno *Nepal*. Bacchi Shriráma milites. V. tab. XVII. & XVIII. c. ſyſt. Brah. Num. 5. 61.

Pa-

Digitized by Google

Pàraciatten, Gallis *Chat volant*, in Malabaria in montibus Vaypurenſibus ſatis frequens. Num. 61.

Pannì, Samſcrdamice *Varàha*, *Sùgara*, *Khrashdi*, *Kòlà*, *Kari*, aper, animal, in quod *Viṡhnu* incarnatus. Num. 62.

Màn, hinnulus cervinus, cuius pellis albis maculis diſtincta. In pellibus huius animalis albis maculis inſignibus, conſidere ſolent magiſtri Brahmanes guru & Samanaei *Yogul* dicti. Vide Strab. lib. 15. *ſuper toris ac pellibus iacere &c.* Has, & leopardi pelles hi *Yogul*, dum ex uno loco in alium migrant, ſecum circumferunt, quia utriuſque animalis pellem ob inſitas eiſdem maculas caeli ſymbolum eſſe putant. Num. 60.

Kalà, Luſitanis *veado*, cervus. Malabarice കലാ *Kalà*, Samſcrdamice കുരംഗഃ *kuranga*, & ഹരിണഃ *harina*. Huius animalis cornua ſunt ramoſa. Hinnulus cervinus vel dama, animal cervi ſpecies, quod Malabarenſes മാൻ *màn*, vel പുള്ളിമാൻ *pullimàn* ſeu damam *maculis diſtinctam* nuncupant, quodque nos ſupra deſcripſimus, deae *Saraſvadi* eſt ſacrum: quia *Brahma* deus uxorem, eamdemque filiam ſuam സരസ്വതി *Saraſvadi* ſub hac cervae ſeu damae forma in ſilvis luxuriantem complexus eſt. Allegoria haec facilis eſt, ſi *Brahma* deum *terram*, *Saraſvadi* vero eius uxorem aut filiam *terrae* univerſae *harmoniam*, *concinnitatem*, partiumque *proportionem* eſſe dicas. Num. 62.

Digitized by Google

Ordo muſei Borgiani Velitris.

Dama ſeu *Pullimàn* per maculas ſuas rite diſtinctas, hanc terrae concinnitatem, partiumque proportionem & inter ſe conſenſum mirifice repraeſentat. Vide Sonnerat, & P. Iohannem a Brito Madure regni Miſſion. in *cod. mſſ.* Luſit. de vita & geſtis *Brahma* dei. Eadem damae ſeu hinnuli cervini pellis deo *Shivae* & *Pàrvadi* ſeu ſoli & lunae ob ſimiles cauſſas ſacra eſt.

Cornua *Antilope*; animal, quod Malabarenſes കൃഷ്ണമൃഗം *krsbnamrgam* nuncupant. Haec cervi ſeu damae ſpecies *krsbnamrgam*, id eſt *pullum animal* dicitur, quia pellis eius *pulla* ſeu fuſco-nigricans eſt, & cornua eius ſubfulca ad inſtar cochleatae vitis (Luſitanis *ponta retorcida*) ad ſeſquipedem in altum aſſurgunt. Haec bina cornua inter ſe ferreis clavis coniuncta, apicibus e diametro proſtantibus inſtrumenta ſunt, ut aiunt offenſiva & defenſiva, quae *Yògui Samanaei* hinc inde commigrando manibus circumferunt. Sub hac forma ea exſtant in muſeo Borgiano Velitris. Haec cornua damae Indicae *krsbnamrgam* dictae exſtant in muſeo D. *Marchionis de Marigny*, quae cum iis, quae *Velitris* viſuntur, omnino conveniunt. Vide *tom.* 12. hiſtoriae naturalis muſei regis Chriſtianiſſimi. Pariſ. 1764. *p.* 217. & *tab.* XXXVI. *fig.* 1. *&* 3. ubi ea in aes inciſa exhibentur. Cornua haec ab *Antilope* Mauritana, ad *Antilope* Indicae damae cornua translata, Indicae damae nomen *Antilope* falſo inſcribunt, ea enim Malabarice *Krsbnamrga*, & Samſcrdamice *Krsbnabarina* nuncupatur. Cervina cornua *Dianae* delubris in Graecia appenſa demonſtrabant, *Dianam* venatri-

tricem eſſe. Vide Winckelmann, *monumenta inedita*, edit. Rom. *tom.* 2. ſub voce *Diana*. Mos iſte, & fabula ex India in Graeciam perlata fuiſſe videntur. *Parvadi* luna dea montis *Himala* filia & habitatrix, radiis ſuis caeleſtia animalia, Tiranes, gigantes, larvas, ſpectra, & alia aerea ſimulacra venatur, ea occidit, caelum purgat, caeleſte nemus, ſeu caeli latifundium illuminat, eaque cum nymphis & ſtellis nuda vagatur, iocatur, & cum eis in flumine *Gange* & *Gagra* ex *Meru* monte effuſo ſe luſtrat. R. P. Marcus a Tumba in cod. mſſ. in fol. pag. 137. *Pàrvadì figlia del monte Hymalé* (Himalá) *e della montagna Menà, ed è ſorella del monte Maynak*. Vide etiam Aſiatick reſearches *tom.* 1. *pag.* 248. ſyſtema Brahmanicum *pag.* 321. *Menà* & *Ciandraſecbara* montes ſunt ſub gradu circiter 35. *lat. boreal.* ad flumen *Brahmaputra* ſeu *Gagra* (1). Huic itaque deae *Pàrvadì* Indicae *Dianae* ſeu *lunae* montium habitatrici & animalium venatrici cornua *Antilope* ſeu damae a nobis deſcriptae ſacra ſunt, ob quam cauſſam *Togui Samanaeí* ſolis & lunae cultores ea manibus circumferunt. Vide muſeum regium hiſt. nat. *tom.* & *pag. cit.* Pàrvadi luna radiis & nocturno ſuó ſplendore montium incolas cervos, hinnulos & damas excitat, eis viam commonſtrat, per iuga montium diſpellit, & venatoribus animalia haec inſequentibus oſtendit. Eadem *Parvadi* ſeu *Iſis* etiam in Aegyptiacis monumentis muſei Borgiani varia cornua geſtat.

 Sa-

(1) *D'Anville* & *De l'Ile* montem *Mena* ſeu *Mana* ſub *gradu* 33. collocant, & a P. *Tieſentaller* diſcrepant.

Digitized by Google

Ordo muſei Borgiani Velitris.

Salamandra animal quod in ſilvis Malabariae reperitur. Eius carnes edunt Indi. Ineditum. Num. 32.

Aana, elephas Indiae, inſulae Salicae, & regni Pegu incola. Num. 60.

Annan, ſciurus Malabarenſis. Num. 60.

Nallapàmba, ſerpens cucullatus. Num. 60.

Udumba, Luſitanice *lagarto*. Num. 60.

Pullì ſeu tygris. Num. 60.

Kuruken ſeu vulpes Indica. Num. 60.

Pullì ſeu tigris vel leopardus Malabaricus. Num. 60. 62.

Musbela, lepus in Malabaria. Num. 60.

Pàmba, ſerpentes ſacri cucullati. Editum, *tab.* XXVII. in ſyſt. Brahmanico. Num. 25. 60.

Mudelà, ſeu crocodilus Indis ſacer. In duobus ſacellis Indicis.

Sinba, leo olim Indiae incola. Vide *Specimen Zoologiae geographicae, quadrupedum domicilia, & migrationes ſiſtens*, Auctore Eberhardo A. I. *Zimmerman*; Lugd. Bat. 1777. *pag.* 386. 390. *In Aſia praeter illa, quae ante nominavimus loca, meridionales tantum plagas occupat. Arabiae enim, Indoſtanae, Malabaris, Ceilonis, Sumatraeque . . . feſſor eſt.* Bernier in *Allg. Reiſeb.* tom. XI. pag. 109., Knox, *Relation d'un voyage al'isle de Ceilan*. pag. 89. Amſt. 1693. Leonem equidem in *Malabaride* numquam vidi, at urſum *karadì* dictum, quaſi leoninas iubas ferentem in montibus *Ghates* deliteſcere, & frequenter viſum fuiſſe, dum ego ipſe in montibus illis verſarer, ſaepe ab illis montium incolis *Maléer* dictis narrari audivi. Fortaſſis ipſi *leonem* cum *urſo* confundunt. Leonem Brahmanes aſtro-

no-

Digitized by Google

nomi inter *zodiaci* ſigna, quae montem *Meru* circumſtant, numerant. In eo igitur monte ad auſtrales plagas olim delituiſſe videtur, nam is hodie in *Agra* & *Delly* vivit. *Viſhnu* in ſemileonem, & ſemihominem incarnatus fuit, & Brahmanes leonem *Hari* ſeu *raptorem* & *deſtructorem* nuncupant, eumque *Soli* deſtructori & rerum corruptori ac vindici ſymbolum ponunt. Quare Shiva deus *Harà*, & leo *Hari* dicitur. Vide *Syſtema Brahmanicum* pag. 88. Haec Indicorum animalium ad aſtra et Zodiacum accomodatio, atque Indicae ellypticae leonis, tauri, arietis, balenae, aliorumque animalium Indicorum affictio, palam & aperte demonſtrat, ſigna illa Zodiacalia in India ex Indica aſtronomia nata fuiſſe, non autem ex Scythia, Syberia & monte Tauro in Indiam commigraſſe. Vide varia animalia aſtris a Brahmanibus affiсta apud Sonnerat *tom.* 2. *lib.* 3. *pag.* 203.

ഏക സൎവ്വേശ്വരായ നമഃ

Ega Sarvéshvaráya namá.
Uni ſoli Deo adoratio.

Digitized by Google

INDEX RERUM

A

Amarasinha, liber Indicus, lexicon linguae sacrae Brahmanicae *Samscrda*, seu vulgo *Samscret* dictae, *pag*. 60. 198. 22.

Animae immortalitatem primi docuere philosophi Indici, *pag*. 26. 48. 189. 237. Iidem docent eius transmigrationem, *pag*. 26. 27. 183. 236.

Anquetilii du Perron commenta Indica dispelluntur, *pag*. 254. *& seq*.

Antilope cornua deae *Pàrvadi*, seu *lunae* sacra, *pag*. 254. 255.

Astronomiae periti sunt Indici philosophi, *pag*. 33. 173. *in not*.

Apparitiones deorum ex doctrina Indorum antiquissimae, *pag*. 7. 117. 119. 160. 173. 176. 189. 241. 233. 234. 235.

Apparitiones seu incarnationes dei *Vishnu*. *Ibidem*, & *pag*. 241.

Apparitiones Apollinis seu dei *Krshna* Indici. *Ibidem*.

Apparitiones dei *Godama* seu Mercurii. *Ibidem*.

Apparitiones dei *Budha*, seu eiusdem Mercurii. *Ibidem*. Vide, *Godama*, *Krshna*, *Budha*.

Aqua mundi principium, *pag*. 171. 200. 201. 217. *in not*.

Aquarum festum in Pegu & Malabaria, *pag*. 222. 223.

Aqua ab Indis & Persis colitur. *pag*. 98. 99. 100. 172. 160. 187. 188. 189. 177. 200. 201. 202. 203. 205.

Auctoris Alphabeti Tibetani opiniones & errores castigantur & refelluntur, *pag*. 12. 19. 34. 35. 36. 64. 147. 148. 149. 150. 195.

Ayodya urbs Bacchi Indici natalis locus, *p*. 149. 208.

B

Bacchus Indicus iuvenis, *pag*. 163. 164. 168. Non est Sesostris, Manes, Scytha, aut Budha, *pag*. 204. 207. 208. 209.

Allegoricum est numen. *Ibid*.

Eius triumphus. *Ibidem*.

Bailii commenta refelluntur, *p*. 5. 6.

Bàlagapuràna liber Indicus, *p*. 132. *& seq*.

Bhagavadà liber Indicus, *pag*. 175.

Bhavàni dea, eadem quae *natura*, virtus & efficacia procreatrix. *pag*. 83. 201. 204. 220. 221.

Benares urbs, quae & *Kasi*, *p*. 153.

Bidagat, liber Peguanus, *pag*. 1.

Borgiani musei monumenta Indica, *p*. 200. 240.

Buccinum dei Vishnu, *pag*. 221.

Budha nominis etymologia, *pag*. 71. 72. 73. Vide *Mercurius*.

C

Cabyriorum philosophorum seu poetarum secta antiquissima in India, *pag*. 159. *& seq*. Eorum doctrina & institutum. *Ibidem*.

Calini fluvius sacer in India. pag. 100. 102.

Cashemir urbs antiquissima in India, *pag*. 87. *in not*.

Cangipuri Indiae sacrarium, *p*. 155.

Ceylan insulae situs, *pag*. 108. 112. 113.

Ciandrodaya liber Indicus, *p*. 94.

Communicatio veterum Chaldeorum, Medorum, Persarum cum Indis, *pag*. 184. 185.

Concordia discors, *pag*. 99. 194. 229.

Confessio mutua peccatorum inter philosophos Indos, *pag*. 41. 85.

Coccincinensium & Tonchinensium religio & sacrificia, *pag*. 89. 238.

Consectaria ex codicibus Indicis. *pag*. 171.

Cosmogonia Indico-Tibetana, *pag*. 231. *& seq*.

Creationis mundi traditio apud Indos

Digitized by Google

dos & Persas, *pag*. 98. 99. 161. 171. 200 233. 234.
Christiana religio in India, *pag*. 19. 88 89. 87.
Crocodilus in Indicis monumentis. *pag*. 213
Cyri bella, & divini cultus per Magos institutio, *pag*. 185. *& seq*.

D

Dama, animal deae *Pàrvadi* sacrum, *pag* 233. 234.
Dei summi notio apud Indos, *p*. 234. 235. 236. 118.
Dèvadàsi famulae deorum, *pag*. 213. 219.
Dhermashàstra liber Indicus, *p*. 156. *& seq*.
Dhermaràgiaguru philosophus Avensis, *pag*. 4. 24. *& seq*. 236.
D'Herbelot, *pag*. 149.
Diluvii universalis apud Indos fides & traditio certa & explorata, *pag*. 19. 108. 109. 110. 111. 171. 172. 173.
Duo principia veterum Indicorum *Magorum* explicantur. *pag*. 193. *& seq*. 229.

E

Eleabad urbs Indica, *pag*. 154.
Elenchus omnium monumentorum Indicorum musei Borgiani Velitris, *pag*. 240. *& seq*.
Epochae praecipuae historiae Indicae, *pag*. 173. *& seq*.

F

Fabulas quot modis explicant Indi, *pag*. 157.
Fiat voculae geneseos antiquissimae traditiones & corruptiones, *p*. 102. *& seq*.
Flumina sacra apud Indos, *pag*. 100. 102. 188. 205.
Fohi Sinicus idem qui *Budha* seu Mercurius, *pag*. 12. 49. 50. 67. 74. 76.

G

Ganges fluvius Indis sacer, *pag*. 152. 153. *Magi* Indici, eorum mysteria, schola, phylosophia ibi semper viguit. *pag*. 101. 102. 92. 45.
Ganèsha, Indici Iani officium. *pag*. 118.
Génègapur Pandavarum urbs antiquissima, *pag*. 175. 176.
Gebelin, D. Court de Gebelin ariolationes dispelluntur, *pag*. 73. 80.
Genius bonus & malus ex doctrina Indorum, *pag* 99. 194. 195. 51.
Genii astrorum rectores, *pag*. 32. 33.

H

D. *Halhed* mendacia castigantur, *pag*. 104. 111.
Herma & *Dherma* idem qui Mercurius senior, *pag*. 74. 75. 76.
Hyde Thomae alucinationes, *pag*. 192. 193. & seq.
Himala montes Indiae, *pag*. 132. Iidem ex fide Indorum in supremo eorum cacumine aquis diluvii non submersi, *pag*. 107. 112. 233. 234. 235.

I

Iagarnat celebre sacrarium Indicum, *pag*. 152. 141.
Iapponensium religio, pag. 238.
Incarnationes dei Vishnu, *pag*. 241. 227. 228. 229. 230. 242. 243.
Indigitamenta deorum sacra, *pag*. 22. 23. 60.
Indostan nominis etymologia, *pag*. 131
Indorum religio, philosophia, & cultus civilis antiquissimus, *pag*. 173 *& seq*.
Indorum lustrationes, *pag*. 97. *& seq*.
Infernus Indicus, *pag*. 237.
Ignis & aqua Indorum dii, *pag*. 188. 189. 200. 192. 228.
Isidis & Osiridis simulacrum Aegyptiacum perantiquum illustratur. *pag*. 103, 104.

Kam-

Digitized by Google

K

Kammuva liber Indico-Peguanus, *pag*. 17. 84.
Krshnae Indici Apollinis theogonia, *pag* 204. 215. 216. 217. 218. 219. Item *pag*. 135. *& seq*.
Krshna non est Christus, *pag*. 148. *& seq*.
Krshna est pastor seu *Apollo* Nomius, *pag*. 215. 216. 140. 143.
Krshna Pythonem vicit, *pag*. 216. 135
Krshnae dei prima apparitio, *pag*. 128. 117. 175.
Krshnae dei corpus in santalum conversum, *pag*. 141.

L

Lantii Aloysii Abbatis eruditae animadversiones in systema Brahmanicum, *pag*. 237. 260.
Laekshmi Indicae deae variae figurae, *p*. 203. 204. 207. 211. 218. 228.
Leges & poemata sua cui adscribant Indi, *pag*. 79. 114. 115.
Leo Indiae sessor, *pag*. 256. *& seq*.
Lingua Persica vetus Indicae litteralis linguae *Samscrdamicae* dialectus ex India in Persidem illata, *pag*. 190. 191. *& seq*.
Lotus seu nymphaea cuius rei symbolum, *pag*. 159. *& seq*.
Luna eadem quae dea *Parvadi* ab Indis colitur, *pag*. 119. 192. 255. 256. 235. 233. 98. 246.
Lustrationes per aquam, *pag*. 98. *&* *seq*. Item 154.

M

Madura antiquissima Indiae urbs Krshnae dei natalis locus, *p*. 153. 149.
Magus nominis etymologia, *pag*. 190 191.
Magi Indici primi immortalitatem animae docuerunt, *pag*. 189. 190. 191. 236. 237. 246.
Magorum veterum Indicorum habitationes, *pag*. 44. 100. 101. 102. 187. & seq. 246.
Magi seu *Samanaei* Indici religionem, libros, linguam suam litteralem Indicam Samscrdamicam in Persidem intulerunt, *pag*. 190. 191. 184. 185. 186. 187. & seq. Item 196. 197. 198. 199. 246.
Magorum duo principia, *pag*. 189. 194. 195. 196. 229.
Manes impostor non est Indicae religionis auctor, *pag* 194. *& seq*.
Marci, P. Marci a Tumba laudes. *pag*. 169. *& seq*.
D. Mantegatii libri examinantur. *pag*. 47. *& seq*.
Massagetae in India, *pag*. 185. 186.
Meru montis descriptio *pag*. 85. 86. 154. 231. 232. 233. 234. 235 236. 239.
Mercurius Budha, *pag*. 5. 9. 13. 14. 38. 49. 50. 60. 61. 62. 66. 68. 69. 82. 83. 88. 89. 206.
Non est Manes. *Ibidem*.
Non est Christus. *Ibidem*.
Non est homo, sed genius: *Ibidem*.
Eius indigitamenta sacra. *Ibidem*.
Allegoricum est numen. *Ibidem*.
Mercurii duo. *Ibidem*.
Magorum praeses, institutor, sacerdos. *Ibidem*.
Numen Indis, Tibetanis, Aegyptiis, Persis, Scandinavianis, Peguanis, Tataris, Siamensibus, Coccincinensibus, Sinensibus, Iapponensibus commune. *Ibidem*.
Falso pro Christo habitus. *Ibid*.
Est Planeta. *Ibidem*.
Mitra nomen Indicum, *pag*. 192.
Eius simulacra, *pag*. 30. 198.
Monachi christiani in India diversi a Samanaeis, *pag*. 19. 87. 88.
Mulpanci liber Indicus, *pag*. 158. *& seq*.
Mundi ortus, *pag*. 239.
Musei Borgiani elenchus omnium monumentorum Indicorum, *pag*. 200. *et seq*. Item *pag*. 240. *et seq*.

N

Natura rerum procreatrix eadem quae Bhavani dea, *pag*. 105. 201. 204. 220. 221. 246.

Ny-

Nysa Bacchi Indici urbs perantiqua, *pag*. 179.

O

Oppida sua a diis condita fuisse Indi credunt, *pag*. 130.
Opinio Indorum, Scytharum, & Aegyptiorum de monte *Meru*. Vide *Himala*. & *Meru*.
Orandi modus & formulae apud gentiles Indos, *pag*. 15. 21. 98.
Orationis Dominicae analysis, *pag*. 52. & seq.
Ornatus deorum Indicorum, *pag*. 219.

P

Padimauka liber Indicus, *pag*. 16. 84.
Pali, Pahali, Bali, Pehlavi lingua litteralis *Avensis* & *Peguana* est dialectus Samscrdamicae, *pag*. 2. & *seq*. Item 11. 41.
Pan seu Hanumàn deus ab Indis colitur, *pag*. 210. 212.
Pandavarum Indicorum regum origo, nomina, bella, antiquitas. *pag*. 115. & 123. & *seq*. Item *pag*. 174. & *seq*.
Pandionum regum Atheniensium historia, *pag*. 174. & *seq*
Pantaenus in Indiam profectus, *pag*. 87.
Paradisus terrestris Indicus. *pag*. 233. 234. 235. 238. & 45. *in notis*.
Partha primi Indiae regis fabula, *pag*. 123. & *seq*.
Parthia hodie Kordistàn, *pag*. 185. 186.
Parvadi dea eadem quae luna, *pag*. 47. 48. 255. 256.
Persasum veterum religio & mores, *pag*. 41. 186. 187. 188. 189.
Persarum vetus religio ex India in *Persidem* illata per *Magos* Indicos. *Ibidem* & *pag*. 190. 191. 192. 193. & seq. Item *pag*. 28. 184. 185.
Persarum gentilium hodiernorum *Guabre* dictorum vetus religio, & mores, *pag*. 198. 248. *in notis*.
Plato *pag*. 231. 233. 234. 137. 199.
Praecepta quinque vetustissima Indis, Persis & Peguanis communia, *pag*. 85. 188.
Philosophi Indici, eorum sectae, opiniones, doctrina, cultus, *pag*. 48. 191. 233. 234. 236. 239. 247. 248. 249. Item *pag*. 26. 48. 189.
Pythagorae ad *Magos* Persas & Indos accessus, vindicatur, *pag*. 197. in textu & notis.

R

Ràma idem qui Bacchus iuvenis, non est Sesostris, non Manes, non Scytha, sed allegoricum numen, *pag*. 204. 207. 208. 164. 259. 260.
Ràmàyena Indicus liber, *pag*. 163. & *seq*.
Ràmeshvara Indici Bacchi celebre sacrarium, *pag*. 152.
Regum institutiones in India, *pag*. 44. 94. 157. 158.
Regum primaevorum historiae suspectae, *pag*. 12. 115.
Religionis Indicae in varia vicina regna transmigratio, *pag*. 28. 184. Vide *Magi*.

S

Sacrificia, *pag*. 92. 188.
Salomonis naves in insulam *Salicam*, *Taprobanem*, seu *Ceilan* navigarunt, *pag*. 184. *in notis*.
Samanà deus Peguanorum & Siamensium, *pag*. 66. Vide *Godama* & *Budha*.
Samanaei, *pag*. 17. 18. 19. Vide *Magi*.
Samscrdamica lingua vetustissima est Magorum lingua, *pag*. 198. 196.
Sandracottus Indiae rex ex sua nominis etymologia *lunae municipii rex*, pag. 182.

Digitized by Google

Semiramidis in Indiam invasio defenditur, *pag.* 180. *& seq.*
Sesostridi nequit adscribi Indiae civilis cultus & institutio, *pag.* 183. 208. 209. 207. 204. 205.
Serpens cucullatus Bacchi iuvenis attributum, *pag.* 167. Idem vitae & mortis symbolum, *pag.* 211. 214.
Shàstra nominis etymologia, *pag.* 156.
Siamensium religio, *pag.* 83. *& seq.*
Simiae in India, *pag.* 253.
Sinensium religio, *pag.* 89. *& seq.*
Signa sacra in fronte hominum & Indicorum deorum, *pag.* 99. 201. 205. *in not.*
Shiva deus sol & ignis vindex & destructor, *pag.* 118. 119.
Simandini, *pag.* 114.
Snànaparva liber Indicus *pag.* 96. *& seq.*
Sol & luna Indorum dii, *pag.* 33. 34. 35. 106. 177. 178. 188. 189. 190. 233. 234. 235. 247.

T

*T*alapoinorum instituta, *pag.* 25. *& seq.* Item 84. 85. 86.
Theologia Peguana, *pag.* 31.
Transmigratio animarum, *pag.* 26. 27. 183. 231. *& seq.*
Tygridis pellis caeli stelliferi symbolum, *pag.* 253.

U

*U*rbes Indiae vetustissimae, *pag.* 152 *& seq.* pag. 175. & seq.

V

*W*alker Iohannes, *pag.* 197.
Vindli montis nemora Apollini sacra, *pag.* 142. 143.
Vishnu Indicus deus est genius aquae rector eiusque symbolum, *pag.* 200 202. 203. 207. 222.
Idem mundi per aquas creator & destructor. *Ibidem*.
Ex eius umbilico natus *Brahma*, Ibidem.
Loti folio innatans exhibetur. *pag.* 172.
Idem in monte Meru, *pag.* 233. *& seq.* 241.
Eius incarnationes. *pag.* 200. *& seq.*
D. Wilkins de Indicis libris opinio & ariolationes castigantur. *pag.* 70. 121. *& seq.*

Z

*Z*oili, censores, & obtrectatores, *pag.* 25. *in notis*. 241.
Zoologia Indica, *pag.* 258. *& seq.*
Zoroastre, Zerdeset, Zerathust seu Cerathust rex & sapiens Bactrianae, *pag.* 41. 42. 43. 44. 186. 196.
De eius anima quid veteres prodiderint, *pag.* 183.
Libri Persici veteres ei falso adscripti, *pag.* 46. 57. 170. 198. 196.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google